

Pf XVII-79

# CVRSVS PHILOSOPHICVS, *de libav* IN QVO *joannis* TOTIVS SCHOLÆ QVÆSTIONES,

Ferè omnes, æquâ perspicuitate,  
ac doctrinâ, in vtrámque  
*jacobi* partem propugnantur. *bragasson*

*Auctore R. P. I. VINCENTIO, Congregationis Doctrinae  
Christianæ, Tolosæ in Collegio S. VILLANO,  
publico Philosophie Lectore.*

TOMVS. I.

COMPLECTENS LOGICAM.



TOLOSÆ,

Excudebat IOANNES BOVDE, Regis, & Comitiorum Linguae Occitanae  
Typographus, juxta Collegium Fuxense. 1658.

Cum Privilegio Regis.



VERSUS  
PHYSOPHICAS  
in quo  
SUSCEPTIBILITATIS  
VASTATION

conspicuum est quod per se  
separari in unum  
possit propositum.

Quia etiam in aliis  
modis etiam  
propositum.

L 2 M 0 T

CONSIDERATIONES LOGICAE

1875

1875

1875

1875

1875

1875

1875

1875

1875

Emilie Janssen-Böhlke 1875  
Geschenk des Herausgebers

CASA E. JANSSEN-BÖHLKE



ILLVSTRISSIMO  
TOLOSANI SENATVS  
PRINCIPI, . . :  
G A S P A R I  
DE FIEVBET,  
DOMINO  
DE PECHBONIEV,  
MONTESQVIEV,  
LA BRVIERE, &c.

**N**ON vnicum munus nolis est , quia Tibi  
non vnicum est beneficium ( PRIN-  
CEPS SENATVS ILLVS-  
TRISSIME ) Florum sanctum dedit  
Rhetorica : vi Philosophia sororem Sua-  
dam vincat suo munere , dat seipsum . Benè illa præine-  
it , quæ vel donandi celeritate placere potuit , vel quæ

solis placere potest fl̄sculis, quibus litat. Philosophia, quia  
grauior, non tam festina fuit; & quæ solum fructum habet,  
sapienter sequuta est Rhetoricam; ne, si p̄fasset, via es-  
set damnare naturam, quæ iubet fructum florem sequi. Vbi  
v̄dit Philosophia, Te blandè venienti cum suo dono risisse  
Rhetoricæ, tanti fauoris facta est emula, ne dixerim in-  
uida ( quamquam & hic eius ambitus in laude est, & in-  
uida res est virtutis ) suam tarditatem, quam ipsa culpat,  
ipsa sui vindicemendat: idèò, ne diutiùs suum Tibi desit  
munus; cùm nullum aliud habeat, seip̄am facit munus.  
Iure Suada Te adiuit; quia Tibi tam promptum est in li-  
liatis rostris eloqui, quam alijs expeditum loqui. Iure se  
Tibi s̄sistit Philosophia; quia Tibi tam facile est in Senatu  
pr̄sidere sapienter, quam dicere in cœtu prudenter. Cui  
magis debita, quam Tibi? qui eius penè languidos spiritus  
vegetasti, & illam afflasti in S Q V I L L A N I S subsellijs  
nouâ iuuentutis aurâ. Illa præceptis instruit in secreto; Tu  
exemplis in publico. Illa moribus pueros; Tu moribus doces  
viros. Illa regit animos; illâ tuum regis, & omnes. Illa  
tranquillat affectus, & turbato pectori serenum imperat;  
Tu Tibi: & si quando Tibi affectus aliquis imperat, is  
est, cui liberè & cum laude, diuina seruiunt. Affectus enim  
tuus est, velle semper benefacere; & opus tuum, quod Deo-  
rum, omnibus benefacere.

Hæc me Philosophum vocant ad tuas aras.  
magis numini deboe meam Philosophiam inferre,  
qui Philosophorum maximus es, quia maximus  
qui magis me Philosophum offerre, quam Tibi


vis, potes, & soles : vis, quia humanissimus; potes, quia  
maximus; & soles, quia optimus. Ne igitur à Philosophia  
deflecterem, quæ consilij melioris est mater, Te adeun-  
di consilium admisi. Ne à sapientia errarem, quæ regit  
optimè; Philosophiam Tibi consecravi, quâ regis optimè.  
Quæ Tibi fortè ex alijs placere non potest, placeat quòd  
TOLOSÆ nata. Te primum TOLOSÆ sydus saluta:  
Hanc sustine tuâ manu, ne cadat; hanc erige tuo vultu, ne  
iaceat; hanc excipe tuo sinu, ne pereat. Domesticos, pa-  
triisque flores nemo spernit, licet alienos tractet. Scio qui-  
dem impexam esse, & rudem Philosophiam: sed nemo  
rosam sine spinis obtulit. Scio eius verbis noctem esse, &  
caliginem: sed sydera in noctis obscuro rutilant. Aque,  
dum maria deserunt, mutant amarum saporem: & astra  
de proximiore Solis vicinia magis lucent. Mea Philo-  
phia in tuos sinus admissa, ex tuo nomine erit ornata  
magis; ex tuo lumine erit lucida magis. Ornatam nemo  
non amabit: lucidam nemo non queret: & si placeat  
adhuc in tuam vindicare; tamquam rem tuam, & à Te  
sacram, nemo nisi reuerenter tractabit.

At si dignam non iudicas (PRINCEPS SENATUS  
ILLVSTRISIME) tuâ luce; eam saltem tege pa-  
trociniū tui, & fauoris umbrā. Nam & suam ideo de-  
serit, vt tuam habeat. Licet in publicam lucem exeat,  
umbrarum adeò amica semper fuit; vt nolit adhuc à tua  
ricedere. Alibi trepida esset; hic secura est: alibi infirma  
esset; hic potens est: alibi vilis esset; hic à Te pretium  
babet, & fortunam. Denique, quia tuum nomen pe-

vire non potest ; vel Philosophia S Q V I L L A N Æ  
nomen æternum erit ; vel Philosophia S Q V I L L A N A ,  
quæ Tibi sifitum , erit æternum tua , tuisque ,

Addictissimus , & Obsequientissimus  
seruus.

I. VINCENTIVS ,  
Congregationis Doctrinæ Christianæ,



## FACULTAS

Reuerendi admodum Patris GENERALIS.

IOANNES ASTERIVS, Præpositus generalis Congregationis Doctrinæ Christianæ;

CVm Tomum primum Cursus Philosophici, complectentem Logicam, R. P. Ioannis Vincentij, nostræ Congregationis Theologi, duo alij ejusdem Congregationis Theologi, quibus id commissum à nobis fuit, recognouerint, & in lucem edi posse judicauerint, facultatem concedimus, vt Typis mandetur. In quorum fidem præsentes subscrisimus, & sigillo nostro muniuimus Auenione die 3. Augusti 1657.

IOANNES ASTERIVS.

---

### APPROBATIONES DOCTORVM.

---

NOS in sacra Theologia Professores Regij, fidem facimus legisse Librum, cui titulus est, *Cursus Philosophicus, in quo totius Scholæ Questiones in utramque partem propugnantur, complectentem Logicam*, Authore R. Patre I. VINCENTIO Congregationis Doctrinæ Christianæ; In quo nihil Orthodoxæ Fidei contrarium inuenimus, imò vtilem, & dignum iudicamus, qui in lucem edatur, & omnium oculis proponatur. Tolosæ die 16. Octobris 1657.

F. SIMPLICIANVS, Professor Regius & Decanus.

F. LANDON, Professor Regius.

F. FRAYSSINOVS, Professor Regius.

**N**os infra scripti, in Alma Vniuersitate Tolosana Doctores Regentes, fidem facimus nos legisse Tomnum primum *Cursus Philosophici*, R. P. I. *VINCENTII*, Congregationis Doctrinæ Christianæ, in Collegio Squillano Tolosatum publici *Philosophie Professoris*, in quo & Authoris ingenij præstantia apparet, & omnia Ecclesiæ Catholicæ, nec non sanctorum Patrum Doctrinæ consona dignoscuntur. Datum Tolosæ die 5 Aprilis 1657.

F. ANTONIUS SOLENNE, Doctor Regens Carmelita.

F. PETRVS DELICQVES, Doctor Regens Ord. Prædic.

**T**onus primus *Cursus Philosophici*, complectens Logicam à R. P. I. *VINCENTIO*, Congregationis Doctrinæ Christianæ, jam Professoribus Regijs probatus, in lucem tamquam rei literariæ utilis edi potest. Datum Tolosæ die 20. Octobris 1657.

F. IOANNES DOMINICVS, Regius Inquisitor Tolosanus,  
Ordinis Prædicatorum.

**N**os Vicarij Generales Illustrissimi, & Reverendissimi Domini D. PETRI DE MARCA, Archiepiscopi Tolosani, viis Approbationibus Professorum sacræ Theologiae in Alma Academia Tolosana super *Cursu Philosophico R. P. I. VINCENTII*, Congregationis Doctrinæ Christianæ, in Collegio Squillano *Philosophie Professoris*, Permittimus eumdem Cursum Typis mandari. In quorum fidem præsentes manu propria subscriptimus. Tolosæ in Palatio Archiepiscopali VIII. Kal. Nouembris 1657.

P. FAGET, Vic. Gen. & Offic.

DUFOUR, Vic. Gen.

# LIBER DE RERUM PRÆCIPVARVM

## INDEX

*RERVM PRÆCIPVARVM,  
qua in hoc Tomo continentur.*

### A

- Abstractio.  
V ID sit abstractio ,  
pagina 201.  
Quid sit abstractio  
præcisua , quid ne-  
gatiua , ibidem.  
Quid abstractio partialis , quid to-  
talis , p. 202  
Abstractio à materia quid , & quo-  
tuplex sit , p. 819  
Quæ abstractio propria sit cuilibet  
scientia , ibid. num. 7.& 8  
Abstractio à materia sumitur tri-  
pliciter , p. 820. num. 9  
Abstractio formalis , & abstractio  
totalis , p. 821. num. 11  
Quare abstractio à materia , condu-  
cat ad scientias , ibid. n. 12  
Quomodo non obstante tali abstra-  
ctione Physicus cognoscit res  
materiales , p. 822. n. 13  
Quomodo scientia sumat vnitatem  
& distinctionem à tali abstra-  
ctione , n. 14  
Quomodo intra eandem abstra-  
ctionē reperiatur diuersitas prin-  
cipiorum scientia , p. 823. n. 16  
Ad quam abstractionem pertineat  
Logica, moralis, Theologia, p. 825  
Accidens.  
Quā ratione definitur accidens per  
subiectum , p. 247. num. 10

### A

- Quandonam subiectum habeat ra-  
tionem generis , & quando diffe-  
rentia in definitione accidentis ,  
ibid. & pag. 248  
Quæ sint accidentia copulata , per  
subiectum definibilia , p. 251. n. 16  
Vtrum relatio ad subiectum , sit de  
essentia accidentis , ibid.  
Vtrum ens per accidentem possit defi-  
niri , p. 257. n. 25. & p. 901. n. 17  
Vtrū de eo detur scientia , ibid. n. 18  
Quid sit accidentis commune , p. 332  
Tres definitiones illius tradit Por-  
phyrius , ibid.  
Accidens est in alio , non tamquam  
pars , explicatur , p. 419  
Definitio eius ut est quintum præ-  
dicabile , p. 333. n. 10  
Vtrum unum accidentis sit subie-  
ctum alterius , p. 422. n. 29  
Accidens abest , & adest absq; sub-  
iecti interitu , vel re ipsa , vel pe-  
rationem , p. 333. & 33  
Soluuntur quedam difficultates cir-  
ca definitionem accidentis p. 337  
Accidens commune , & proprium  
differunt essentialiter , & non tan-  
tum ratione subiecti , p. 340  
Accidens commune non oritur ex  
principijs essentialibus subiecti ,  
bené autem proprium , ibid. n. 20  
Accidens commune primò conve-

# I N D E X.

- nit individuis , proprium verò ,  
primo speciei , p. 341. n. 20
- Accidens commune debet existere  
vt subiecto conuenire dicatur ,  
ibid. n. 21
- Non verò vt sit vniuersale , p. 342.  
n. 22
- Quomodo accidens proprium dicatur  
intendi , & remitti , p. 343.  
n. 24
- Vtrum plura accidentia solo numero  
diuersa possint esse in eodem  
subiecto , p. 503. n. 121
- Actionis**
- Actionis definitio explicatur , p. 560
- Quid sit actus primus , quid securus ,  
ibid. n. 2
- Action multipliciter diuiditur , p. 561
- Quomodo actio , & passio sint genera  
vniuoca , p. 562. n. 4
- Actionis proprietates , ibid. n. 5
- Action & effectio in quo differant ,  
p. 21. n. 3
- Aequiuoca.**
- Definiuntur , & diuiduntur aequiuoca , p. 348
- Qua ratione nomen aequiuocum  
plura significet , p. 351. n. 9
- Analogia.**
- Analogorum definitio in communione , p. 361
- Duo sunt analogorum genera scilicet attributionis , & proportionalityatis , p. 362
- Quæ sint analogia physica , seu inæqualitatis , ibid. n. 25
- Definitio analogorum attributionis , p. 363
- Conditiones ad istam analogiam requisiæ , p. 364. n. 28
- Analogum absolute prolatum sumitur pro principali analogato , p. 365. & 372.
- Vtrum ratio analogorum attributio  
nis vni soli sit intrinseca , ibid.
- Impugnatur pars affirmativa , ibid.
- Defenditur negativa , p. 367
- Definitio analogorum proportionalityatis , p. 368
- Vtrum ad hanc analogiam requiriatur metaphora , ibid. n. 33
- Variæ conditiones ad eam requisiæ , p. 369. n. 34
- Vtrum analogia habeant vnum conceptum formalem , & objectivum , p. 370
- Angelus.*
- Vtrum Angelus faciat ens rationis , p. 100. n. 39
- Argumentatio.*
- Quid , & quotuplex sit argumentatio , p. 778. & seqq.
- Arbor.*
- Schema arboris porphyrianæ , p. 417
- Ars.*
- Quid sit ars , p. 11. n. 2
- In quibus ars & scientia discrepant , p. 12. n. 4
- Quotuplex sit ars , ibid.
- Quot sint artes liberales , quot mechanicae , n. 5
- Axioma.*
- Axioma , dignitas , & positio , quomodo differant , p. 802. n. 37
- Axioma , propter quod vnumquodque tale , & illud magis , explicatur , p. 803
- Brevis regula ut axioma illud valeat , p. 804. n. 40
- Causa.*
- Quotuplex si causæ genus . p. 806. n. 1.
- Quæ dicitur causa virtualis , p. 807. n. 2
- Quomodo causæ sint sibi inuicem causæ , p. 813. n. 16

# INDEX.

- Christus.  
Christus ut homo, ponitur in praedicatione ito, p. 405  
An debeat dici creatura, p. 406  
Concretum.  
Ad multiplicationem concreti non sufficit multiplicatio formarum, sed requiritur pluralitas suppositorum, p. 504. n. 122  
Conuertentia.  
Quid requiratur ut aliqua dicantur ad conuertentiam, p. 515. n. 141  
Contraria.  
Quæ dicantur contraria, p. 567. n. 12  
Quomodo maximè distent, p. 568. n. 14  
Quomodo se expellant ab eodem subiecto, p. 569. n. 16  
Contradicторia.  
Quæ dicantur contradicторiè opposita, p. 570. n. 18  
Contradicторia carent medio, ibid.  
Contingens.  
Duplex contingentis genus, p. 676  
Contingens futurum potest considerari in duplice statu, ibid. n. 2.  
Vtrum enunciationes de futuro contingentis sint determinatè veræ, vel falsæ. Vide enunciatio.  
Futurūm contingens, ut futurum, non est determinatum in sua causa, p. 681. n. 8  
Tunc habet tantū rationem possibilis, p. 679. n. 5. & p. 686. n. 16  
Quomodo Deus intueatur futura contingentia, p. 685. n. 13. & 14  
Coatingens potest habere rationem futuri, etiam in sua causa nondum determinata, p. 686. n. 16. & 17.  
Quomodo futurum contingens sit
- indifferens ad esse & non esse, p. 689. n. 22.  
Credere.  
Quomodo accedentem ad Deum oportet credere quia est, p. 877. n. 34. & seq.
- D**
- Definitiones sunt principia, & prima media in scientijs p. 823. n. 14  
Vnde oriatur diuersitas definiendi ibidem.  
Quomodo res vera possit habere plures definitiones, p. 137. n. 31  
In definitione speciei infimæ possunt poni omnes differentiæ superiores, vel sola infima, p. 314 num. 27  
Demonstratio.  
Quid, & quotuplex sit demonstratio, p. 782  
Quid sit demonstratio à priori, & à posteriori, p. 784  
Demonstratio à posteriori, est vera demonstratio, ibid. n. 5  
Quid sit demonstratio *quia*, & *propter quid*, p. 785. n. 6  
Demonstratio *quia* potest fieri tripliciter, ibid. n. 7  
Vtrum demonstratio per causam remotam sit *quia* vel *propter quid*, p. 786. n. 8. p. 908. n. 33  
Vtrum hæc diuisio sit adæquata, p. 786. n. 8.  
An sit demonstratio, quæ neque sit à causa neque ab effectu, p. 787. n. 9.  
Quomodo demonstratio efficiat scientiam, p. 729. n. 25  
De præcognitionibus ad demonstrationem requisitis, p. 787. n. 10  
Quid, & quotuplex sit præcognitionis demonstrationis, p. 788

# INDEX.

- Quot** sint præcognita ad demon-  
 strationem, p. 789  
**An** dari posit demonstratio cir-  
 cularis, siue regressus, p. 8. n. 14  
**Vtrum** demonstratio à priori, & à  
 posteriori differant specie, p. 830  
**Quomodo** in demonstratione pos-  
 sit fieri transitus ex uno genere in  
 aliud, p. 899. n. 13  
 Denominatio.  
**Vtrum** denominationes extrinsecæ  
 sint entia rationis, p. 81. n. 11  
 Denominatiuum.  
 Definiuntur denominatiua, seu Pa-  
 ronyma, p. 355  
 Tria sunt denominatiuorum gene-  
 ra, p. 356  
**Vtrum** quæ sunt essentialia subie-  
 cto, debeant dici denominatiua,  
 ibid. num. 17  
**Quid** primariò significetur per de-  
 nominatiuum, p. 357  
 Denominatiuum aliter significat in  
 propositione, aliter extra, p. 358  
 num. 20.  
 Deus.  
 Deus cognoscit entia rationis p. 91  
 num. 27.  
 Probabile est Deum facere, vel non  
 facere ens rationis, p. 95. & seq.  
**Quomodo** Deus cognoscat priua-  
 tiones, & negationes, p. 93. n. 30  
**Quomodo** nihil sit simplicius Deo  
 quò ad intellectum, p. 404. n. 47  
 Differentia.  
**Quomodo** idem possit esse princi-  
 piū differendi, & conueniendi,  
 pag. 140. & 141.  
 Triplex est differentia, p. 296  
**Vtrum** illa diuisio sit adæquata,  
 vniuoca, & generis in species,  
 ibid.  
**Quæ** sit differentia subalterna, quæ
- infima, p. 299  
**Quintuplex** differentiæ definitio.  
 ibid. n. 6  
 Definitur differentia, ut est tertium  
 vniuersale, p. 300. n. 7  
**An** dentur differentiæ infimæ præ-  
 ter subalternas, p. 301  
**Vtrum** omnis differentia sit perfe-  
 ctior suo genere, p. 306  
**Quæ** sint munera differentiæ, pag.  
 307. n. 17.  
 Differentia non est vniuersalis per  
 ordinem ad genus, quod diui-  
 dit, p. 308. n. 18  
 Neque per ordinem ad speciem,  
 quamcū onstituit, sed in ordine  
 ad individua, ibid.  
 Si differentiæ non sunt infimæ sim-  
 plices, possunt dici vniuersales  
 in ordine ad speciem, p. 312  
 Differentia inferior non includit  
 formaliter superiores, p. 313. n. 25  
 Differens, & diuersum distingui-  
 tur, p. 314. n. 26. in fine  
 Quædam differentiæ infimæ inclu-  
 dunt formaliter subalternas, pag.  
 318. n. 32.  
 Non omne genus perfectè præscin-  
 dunt differentiis, p. 319. n. 33  
**Quomodo** species dicatur constitu-  
 ex genere, & differentia, pag.  
 320. n. 34.  
**Quomodo** differentia infima dicat  
 totam rei essentiam, p. 321. n. 36  
 Non omnis differentia perfectior est  
 suo genere, p. 322. n. 37  
 Probabile est oppositum, p. 323  
 Discursus.  
 Quid sit discursus, p. 716  
**Vtrum** ad discursum plures requi-  
 rantur cognitiones, p. 717. n. 5  
**Quæ** sit radix discursus, ibid.  
 Quotuplex sit species discursus,

# INDEX.

- pag. 719. n. 8.  
 Dispositio.  
 Quid sit dispositio, & quid dispo-  
 nere, p. 523. & 533  
 Definitio dispositionis, ibid.  
 Distinctio.  
 Quotuplex sit distinctio, p. 113  
 Quid, & quotuplex sit distinctio  
 realis, ibid. & p. 115. n. 4  
 Quæ ad distinctionem realem refe-  
 rantur, p. 116  
 Quid, & quotuplex sit distinctio  
 rationis, p. 117  
 Quod sit fundamentum distinctio-  
 nis rationis ratiocinatae, p. 118  
 Duplex est distinctio rationis ratio-  
 cinatae, scil. perfecta, imperfecta,  
 pag. 119. n. 9.  
 Quid sit distinctio virtualis, pag.  
 124. n. 15.  
 Reperitur in Deo, ibid.  
 Reperitur in creatis, ibid.  
 Distinctio virtualis non admittit syl-  
 logismo vim concludendi, nec  
 in diuinis nec in creatis, p. 126  
 Duplex est distinctio virtualis, ma-  
 jor, & minor, p. 127. n. 18  
 Quid sit distinctio formalis Scoti,  
 pag. 127. & 128.  
 Cnr vocetur formalis, & ex natura  
 rei, ibid.  
 Duplex est, nempe adæquata, &  
 inadæquata, p. 129. n. 20  
 Censura talis distinctionis, ibid. n. 21  
 Variæ explicationes illius reiciun-  
 tur, pag. 129  
 Explicatur vera mens Scoti pro di-  
 stinctione formalis, p. 130  
 Probatur distinctio formalis Scoti,  
 pag. 132. &c  
 Soluuntur obiectiones contra di-  
 stinctionem formalem, pag. 134  
 & seq.
- Soluuntur argumenta pro distinc-  
 tione formalis Scoti, p. 138.  
 E  
 Ens rationis.  
 An sit & quid sit ens rationis, pag.  
 48. & 75.  
 Quotuplex sit ens rationis, p. 78 n. 5  
 Ens rationis non est obiectum Lo-  
 gicæ, p. 48  
 An denominationes extrinsecæ sunt  
 entia rationis, p. 81. n. 11  
 Quomodo ens rationis possit cau-  
 sam habere, p. 86. n. 18  
 Intellectus est causa efficiens entis  
 rationis, ibid.  
 Vtrum actus per quem fit ens ra-  
 tionis, sit reflexus, p. 88. n. 22  
 Voluntas non facit ens rationis,  
 ibid. n. 23  
 Nullus sensus facit ens rationis,  
 p. 90. n. 25.  
 Vtrum Deus faciat, & cognoscat  
 ens rationis, p. 91. 95. & 99  
 Ens rationis non ponitur in prædi-  
 camento entis realis, p. 383  
 Potest tamen speciale pro illo præ-  
 dicamenti constitui, ibid. n. 7  
 Quid sit ens per se, & ens per acci-  
 dens, p. 384. n. 8  
 Vtrum ens sit vniuocum, & vtrum  
 sit genus, p. 386 n. 13  
 Enunciatio.  
 Diuisio enunciationis in simplicem  
 & coniunctam vtrum sit generis  
 in species, p. 609  
 Vtrum in affirmatiuam, & negati-  
 uam sit vniuoca, p. 611  
 Quid sit enunciatio apprehensiua,  
 p. 612.  
 Vtrum admittenda sit, ibid.  
 Vtrum in ea sit veritas, & falsitas,  
 p. 615. n. 22.  
 Vtrum enunciatio de extremo con-

## INDEX.

- Iuncto sit per se, p. 616. & seq.  
Vtrum hæc, *Deus est homo*, sit per se, p. 619. n. 29  
Quibus nominibus appelletur enunciatio, p. 619  
Eius definitio, p. 620. n. 30  
Quomodo enunciatio verum, aut falsum significet, p. 621. n. 33  
Non significat verum obiectuum, formale in actu exercito, pag. sed 622. & 624.  
Vel etiam in actu signato, ibid. n. 39  
Vtrum enunciatio mentalis sit una simplex qualitas, p. 625  
Quadruplex compositio in enunciatione distingui potest, p. 630  
Vtrum enunciatio duobus, aut tribus conceptibus constet, p. 636  
Enunciatio de futuro cont.  
Quid sit enunciatio de futuro contingenti, p. 675  
Vtrum sit determinatè vera, aut falsa p. 679 & seq.  
Si efferatur sub disunctione, sit necessaria, p. 680. n. 7  
Ut duæ enunciations sint contradictoriæ, non est opus ut altera sit vera, & altera falsa, p. 681. n. 9  
Aristoteles non dixit enunciations vniuersales de futuro contingere determinatè veras, singulares vero non esse, p. 683. n. 11  
Quomodo enunciatio Christi ad Petrum, *ter me negabis*, erat determinatè vera, p. 684. n. 12  
Quomodo eadem propositio sit vera, & falsa respectu diuersorum causarum, p. 685. n. 15  
Quæ sit differentia inter enunciationem de futuro contingenti, & de necessario quod ad veritatem, p. 688. n. 19. & 20.  
Quid senserit Diuus Thomas circa
- veritatem enunciationum de futuro contingenti, p. 696  
Quid de eadem re dixerit Aristoteles, p. 699  
Germana Aristotelis interpretatio circa veritatem enunciationum de futuro contingenti, p. 700. n. 44  
Quæ sit differentia inter determinationem veritatis enunciationum de præsentí, & de futuro, ibid. n. 43  
Enunciatio modalis.  
Quid, & quotuplex sit enunciatio modalis, p. 703. & seq.  
Quæ sit modalis de re, quæ de dicto, p. 705. n. 4  
Quæ sit modalis composita, quæ diuisa, ibid. n. 5  
De quantitate, & qualitate enunciati. modal. p. 706.  
De earundem æquipollentia, p. 707  
De earundem oppositione, & conversione, p. 711  
Enthymema.  
Quid sit Enthymema, p. 779. n. 20  
Quomodo cognoscatur quæ præmissa in illo desit, ibid.  
Exemplum.  
Quid sit exemplum, p. 781. n. 24  
Quomodo differat ab enthymemate, & inductione p. 782  

### F

Falsitas.  
Quid sit falsitas formalis, p. 668  
Alia positiva, alia negativa, pag. 662 n. 37.  
Falsitas reperitur in sensu, & simplici apprehensione, p. 660. n. 34. & p. 668. n. 45.  
Vtrum reperiatur in rebus, p. 661. n. 35  
Reperitur in aliquo per se, vel per accidens, n. 36  
Quomodo reperiatur in rebus, siue

# I N D E X.

- naturalibus, sive artefactis, pag. 664 in fine.
- Falsitas non reperitur in simplici apprehensione, p. 665
- Falsitas alia propria, alia non, ibid. n. 42
- Falsitas est in simplici apprehensione circa quidditates compositas, p. 666. n. 42.
- Quomodo falsitas sit in intellectu vt cognita, p. 672. n. 53. & p. 625. n. 39.
- Fides.
- Quid sit fides, & quomodo ab opinione differat, p. 861. n. 3
- Quomodo fides sit de non visis, p. 871.
- Fides, & visio in transitu simul esse possunt, p. 882. n. 44
- Quomodo fides differat à Theologia, p. 884. n. 47
- Vtrum sit unicus habitus fidei respectu omnium credibilium, p. 839. n. 4.
- Vtrum fide teneatur Christum esse risibilem, p. 748. n. 59
- Vtrâque præmissâ existente de fide, vtrum conclusio sit de fide, ibid. n. 60. & p. 773.
- Ad fidem requiritur pia voluntatis affectio ibid. n. 59.
- Vtrum totus habitus fidei destruatur ab unico actu heresis, & an meritorie, vel Physicè, p. 850 n. 26.
- Forma & figura.
- Formæ & figuræ acceptio multiplex, p. 551
- In quibus differant, p. 552. n. 53. & 54
- Explicatur definitio formæ, & figuræ, p. 553
- Traditur earum definitio ex Diuo Thoma, p. 554
- Accidentaliter tantum differunt, ibid. n. 55
- Aut etiam essentialiter, ibid.
- Vtrum forma, & figura sint propriæ qualitates, d. 555
- Quod figura Mathematica non sit praesentia localis, ibid.
- Quid & quotuplex sit figura syllogismi, p. 750
- Admititur figura Galeni, ibid.
- Figura Galeni an distinguitur à prima, p. 755
- Rejicitur figura Galeni, p. 756. n. 10
- Vtrum transpositio præmissarum variet figuram, p. 757. n. 12
- Vtrum in secunda, & tertia figura dentur modi indirectè concludentes, p. 758. n. 15
- Fundamentum.
- Quid sit fundamentum, & ratio fundandi relationem vide relatio.
- Futurum.
- Quæ sit differentia inter futurum, & illud, quod erit, p. 686. n. 16
- Quomodo debeat intelligi hæc propositio, non ideo aliquid est futurum quia Deus prævidet, sed contra, p. 694. n. 32
- Futurum continens duplex, propriæ scilicet & impropriæ futurum, p. 698. n. 39
- Ad propriæ futurum duo requiruntur ibid. n. 40
- Quomodo aliquid cognoscatur ut futurum, p. 699. n. 41

## G

### Genus.

- Genus sumitur tribus modis, p. 241
- Explicatur eius definitio, p. 242
- Vtrum vniuersale teneat locum generis in illa definitione, p. 246
- Vel potius natura substrata, pag. 247. n. 10.

# INDEX.

- Quomodo res eadem possit habere rationem generis, & differentiarum,** p. 249. n. 13.
- Quid definitur definitione generis,** p. 252
- Vtrum secunda intentio,** p. 253
- Vtrum natura affecta genereitate,** p. 254. n. 20
- Vtrum aggregatum ex utraque,** p. 256. n. 24
- Quomodo genus contineat species, & differentias,** p. 258
- Continet actu confuso,** p. 259. n. 28
- Vtrum genus prædicetur de suis speciebus ut totum, vel ut pars,** p. 261. n. 32
- Genus non sumitur à materia,** pag. 262. n. 34.
- Genus & differentia sumuntur à tota rei entitate,** p. 264
- Explicatur Diuus Thomas super hac re,** p. 265
- An genus possit conseruari in unica specie,** ibid.
- Genus logicum exigit plures species possibiles,** ibid. n. 39
- Metaphysicum habet totam suam perfectionem in unica specie,** p. 266
- Contraria sententia est probabilis,** p. 267. n. 42.
- Genus non prædicatur de individuis ut species, sed ut genus,** p. 269. n. 44
- Vnicā relatione respicit species, & individua,** p. 272. n. 47
- Quae sint genera subalternatim posita,** p. 376
- Vtrum genera diuersa possint habere easdem differentias constitutivas,** p. 377. n. 47
- Vtrum idem genus subalternum possit constitui pluribus diffe-**
- rentiis essentialibus, p. 378. n. 49
- H**
- Habitus.**
- Cur habitus statuatur prima species qualitatis,** p. 528. n. 19
- Explicatur definitio habitus,** p. 533
- Species intentionales referuntur ad habitum,** p. 335. n. 30
- Habitus & dispositio differunt tantum accidentaliter,** p. 536. n. 31
- Aut etiam essentialiter,** p. 537. n. 33
- Vtrum virtus moralia sint habitus,** p. 538.
- Habitus prædicamentum quid sit,** p. 565.
- Eius species, & proprietates,** ibid.
- Vtrum detur habitus circa prima principia,** 747. n. 57
- Vtrum habitus virtutum moralium sint qualitates simplices,** p. 840 n. 6.
- Quomodo habitus scientificus ponatur per se in prædicamento qualitatis,** p. 842. n. 10
- Quomodo ratio formalis obiecti specificat habitum scientificum,** ibid.
- Quæ difficultates multiplicent habitus,** p. 844. n. 13
- Qui actus producant diuersos species habitus,** p. 845. n. 15
- Quomodo habitus augmentur intensiuē, & extensiūē,** p. 851
- Vtrum habitus scientificus distinguatur à speciebus,** p. 853. n. 33
- Habitus scientificus utilis est, licet non inclinaret ad assensum,** p. 855 n. 37. vide *scientia*.
- Vtrum habitus scientiarum, & opinonis vel fidei possint esse simul,** p. 879. n. 38. vide *scientia*.
- Vtrum unus habitus possit elicere actum**

# INDEX.

- actum circa obiectum alterius, p. 891. n. 62.
- I  
    Idæ.  
    Quid sint idæ Platonis, p. 106  
    Non dantur idæ Platonis, p. 171  
    Nihil conferunt ad scientiam, p. 172  
    Quomodo plures idæ dicantur esse in Deo, p. 95. n. 32.
- Individuum.  
    Definitio individui, p. 289  
    Quomodo Aristoteles negat individuum posse definiri, p. 290  
    Quomodo individuum prædictetur de multis ibid. n. 19  
    Vtrum individuum in communione, vel etiam individuum vagum sit vniuersale ibid. & p. 228. n. 22  
    Quomodo individuum referatur ad genus, & contra, p. 291. n. 21  
    Individuum respicit genus, & speciem eadem relatione, p. 292  
    Vel etiam diuersa, p. 293. n. 23  
    Vtrum individuum, & species recipiant genus eadem relatione, p. 294.
- Inductio.  
    Quid sit inductio, p. 780. n. 22  
    Quomodo differat ab entymemate, & exemplo, p. 782. n. 24
- Infinitum.  
    Vtrum infinitum excludatur à prædicamento, p. 385. & 401. n. 42
- Intellectus  
    Intellectus noster format plures conceptus dum iudicat, p. 632 n. 51.  
    Quod sit criterium inter modum intelligendi nostrum, & Anglorum, p. 630  
    Quomodo iudicium intellectus eum sit imago obiecti possit esse falsum, p. 633
- Vtrum idem actus intellectus possit repræsentare diuersa ut sic, ibid. n. 53.
- Vtrum intellectus possit in eodem instanti plures actus elicere, pag. 796. n. 26.
- Vtrum possit necessitari simul, & non necessitari ad eundem actum, p. 890. n. 61.
- Intentio.  
    Intentio quid, & quotuplex sit, p. 84. n. 16.
- An secundæ intentiones sint entia rationis, n. 17
- L  
    Logica.  
    Vnde dicatur Logica, p. 1  
    Cur vocetur dialectica, n. 3  
    Vtrumque nomen pro tota usurpatur arte, n. 2  
    Quid sit logica naturalis, quid artificialis, n. 4  
    Quid vtens, quid docens, n. 5  
    Quare Logica docens dicatur à rebus australibus, & vtens cum rebus concreta, ibid.  
    Triplices divisiones Logice docentis, n. 6  
    Logica est docens in omnibus suis partibus, p. 4. n. 6  
    Vtrum sit vtens in omnibus, n. 7  
    Vtens peculiariter ratione dicitur de Topica, & sophistica, p. 6. n. 10  
    Probatur existentia Logice artificialis, p. 7  
    Logica fuit Adamo infusa, p. 8. n. 12  
    A quibus fuit reparata, n. 13  
    Causæ reparationis illius, p. 9. n. 14  
    Logica est scientia, p. 13  
    Est pars Philosophie, p. 15. n. 10  
    Logica vtens non est identificata cum aliis scientiis, p. 16  
    Vtrum sit scientia p. 18  
    An sit habitus distinctus à docente,

I N D E X.

- pag. 20. & seq.
- Logica est simpliciter practica, vel simpliciter speculativa, pag. 33 & seq.
- Vtrum partim practica, & partim speculativa, p. 37. & 40
- Linea.
- Quomodo linea visualis sit obiectum perspectivæ, p. 920
- M
- Materiæ.
- Quotuplex sit abstractio à materia p. 819. vide *abstractio à materia*.
- Mathematica.
- Vtrum Mathematica abstrahat ab omni materia, p. 827. n. 24
- Metaphysica.
- Quomodo Metaphysica abstrahat à materia ibid.
- Medium demonstrati.
- Quæ causæ possint esse medium demonstrationis *propter quid*, pag. 806.
- Quodnam sit medium potissimum demonstrationis à priori, p. 909
- Modus.
- Quid sit modus, p. 115. n. 4
- Quid sit modalis distinctio, ibid.
- Quinque modi prioritatis, p. 574 n. 24.
- Modi simultatis, p. 575. n. 25
- Modi habendi, ibid. n. 26
- Quid & quotuplex sit propositio modalis, vide *enuntiatio*.
- Quadruplex modus dicendi *per se*, p. 799. n. 30.
- Tres modi *per accidentem*, pag. 800. num. 32.
- Musica.
- Vtrum musica sit potius scientia naturalis, quam Mathematica, pag. 826.
- Obiectum musicæ est numerus fo-
- notus, & quomodo, p. 902
- Mensura.
- Quomodo prima numeri mensura sit unitas, & prima mensura magnitudinis sit punctum, pag. 828. n. 26.
- N
- Natura communis.
- Natura communis potest in triplici statu considerari, p. 156. n. 17. & p. 168.
- Vtrum detur natura multis communis à parte rei, p. 149
- Soluuntur argumenta contra communitatem naturæ, p. 162
- Quid sit naturam esse communem positivè, quid negativè, p. 168
- Natura non est de le communicabilis, nec incomunicabilis, p. 197. n. 37.
- Necessarium.
- Quotuplex sit necessarium, p. 63
- Logicam necessariam esse, vel non necessariam ad acquirendas alias scientias, disputatur à pagina 64. n. 4.
- Omne scitum à Deo, necesse est esse, quomodo intelligi debeat p. 691. n. 26.
- Deus sciuit hoc esse futurum, an sit propositio absolutè necessaria, p. 692. n. 27.
- Vel potius simpliciter contingens pag. 693.
- Necessitas.
- Quæ sit necessitas Physica, quæ Logica, p. 327
- Necessitas altera simplex, seu absoluta, seu antecedens: altera consequens, seu conditionalis, pag. 688. n. 21.
- Duplex genus necessitatis absolutæ, p. 692. n. 27.

# INDEX.

- Necessitas consequens non tollit contingentia effectus, p. 689. n. 21
- Quid sit necessitas consequentis, & necessitas consequentia, pag. 691. n. 26.
- Vtrum intellectus possit necessitari simul, & non necessitari ad eundem actum, p. 890. n. 61  
Nomen.
- Quid sit nomen, p. 591. n. 22
- Quid sit nomen infinitum, ibid.
- Defenduntur singulæ particulæ definitionis nominis, p. 592. & seq.
- Vtrum recto, & obliquis casibus diuersi conceptus respondeant, p. 595. n. 29.
- Vtrum nomina adiectiva sint vera nomina ibid n. 30.
- Vtrum adiectivo, & substantivo, eamdem formam significantibus, diuersus conceptus respondat, p. 596 n. 31
- O
- Obiectum.
- Quid, & quotuplex sit obiectum, p. 42.
- Quæ sint obiecti conditiones, p. 44
- Quid sit ratio qua, & ratio sub qua obiecti, p. 43. n. 3
- Probatur talis diuisio, ibid. & p. 817. n. 3.
- Vtrum idem sit obiectum primum, adæquatum, & attributionis, p. 832. n. 34.
- Quomodo obiectum adæquatum debeat virtualiter continere omnes veritates scientiarum, ibid. n. 35. & p. 833.
- Quomodo potentia, & habitus sumant unitatem, & distinctionem ab objectis p. 834.
- Ratio obiecti, qua si sit adæqua-  
ta, specificant potentiam. pag.
835. num. 42.
- Obiectum logicæ est syllogismus p. 45.
- Non autem ens rationis, pag. 48
- Nec voces, nec tres mentis operationes, neque res omnes, à pag. 53.
- Ens rationis potest dici obiectum logicæ p. 58.
- Aut etiam tres mentis operationes p. 60.
- Item res omnes, ut substantia secundis intentionibus. pag. 62.
- Atque etiam modus sciendi ibid. n. 35.
- Qua ratione vniuersale dicatur obiectum intellectus, p. 199. n. 40  
Opinio.
- Quid sit opinio, p. 860
- Vnde oriatur formido in opinione, pag. 861.
- Duplex est formido in opinione, actualis, & radicalis, ibid.
- Duplex est habitus opinionis, ibid. num. 2.
- Quomodo opinio differat à fide, num. 3.
- Vtrum formido sit de essentia opinionis, n. 5.
- Duplex est formido, altera ex parte actus cognoscens, altera ex parte subiecti, ibid.
- Prima sumi potest positivè, & negatiuè, p. 863.
- Formido ex parte subiecti potest absesse ab opinione, ibid. n. 6
- Non vero ex parte actus, p. 864. n. 9.
- Quomodo formido opinionis minuitur, p. 865
- Opposito.
- Quid sit oppositio, p. 566
- Quadruplex oppositionis genus, ibidem,

# INDEX.

- Ratio huius diuisionis, p. 567  
 Quid sit oppositio relativa, p. 497  
     num. 114.  
 Quid contraria, p. 567. n. 11  
 Quæ sunt conditiones oppositionis  
     contraria, ibid.  
 Quomodo contraria intelliguntur  
     maxime distare, p. 568. n. 14  
 Oppositio in actu exercito non  
     conuenit nisi existentibus in statu  
     perfecto, p. 882. n. 44  
 Opposita contrariè possunt intelligi  
     se expellere à subiecto duobus  
     modis, p. 569. n. 16  
 Quæ sunt opposita priuatiua, p. 570  
 Quæ opposita contradictione, p. 571  
 Oppositio contradictione est maxi-  
     ma, p. 571. n. 19  
 Deinde priuatiua, p. 572. n. 20  
 Quomodo contradictione sunt ma-  
     gis opposita intensiuè, licet non  
     extensiue, p. 573. n. 21  
**Oratio.**  
 Quid sit oratio in communi, p. 603  
 Oratio est artefactum ex materia, &  
     forma, p. 604. n. 2  
 Forma illius est duplex, ibid.  
 An aliqua sit oratio, cuius partes  
     nihil significant, p. 605. n. 5  
 Multiplex orationis, & enuncia-  
     tio-  
     nis diuiso, p. 606. & seq.  
**P**  
 Passio, & passibilis qual.  
 Passio sumitur multis modis, pag.  
     551. n. 42.  
 Quid sit passibilis qualitas, p. 546  
 Passio & passibilis qualitas essentia-  
     liter non differunt, p. 550  
     D. Paulus.  
 Diuus Paulus vidit essentiam diu-  
     nam transeunter, p. 882. n. 44  
     Perspectiva.  
 Vtrum perspectiva sit magis Ma-
- thematica, quam naturalis, p. 826  
 An obiectum perspectivæ sit linea  
     visualis, & quomodo, p. 902  
     Possibile.  
 Quomodo possibili posito in esse  
     nullum sequatur absurdum, pag.  
     690. n. 24.  
**Potentia.**  
 Potentia & impotentia sumitur  
     multis modis, p. 539. n. 35  
 Explicatur definitio potentiaz, p. 540  
 Potentia & impotentia accidenta-  
     liter tantum differunt, p. 541. n. 37  
 Contrarium est probabile, p. 542  
 Vtrum potentia resistendi sit spe-  
     cialis qualitas, p. 543. n. 39  
 Vtrum detur qualitas quæ sit po-  
     tentia pure passiva, p. 545. n. 41  
 Quid sit habere potentiam simulta-  
     nis, & simultatem potentiaz, pag.  
     705. n. 5.  
**Praxis.**  
 Quid sit praxis, p. 26  
 Praxis non conuenit actibus intel-  
     lectus, p. 27. n. 3.  
     contrarium est probabile, p. 29  
**Præcisio**  
 Quid sit præcisio obiectua, p. 120  
     num. 10.  
 Nominales negant præcisiones ob-  
     iectivas, ibid.  
 Admittendas esse præcisiones obie-  
     ctivas, p. 122. n. 13  
     Prædicabile, &c.  
 Prædicabilitas est proprietas uni-  
     uersalis, p. 108. n. 9.  
 Quid sit prædicari in quid, & in  
     quale, p. 243. n. 3  
 Quid prædicetur in ista proposicio-  
     ne *Petrus est homo*, p. 191. n. 29  
     Prædicamentum.  
 Quid sit prædicamentum, & enas  
     prædicamentalis conditions, p. 380

I N D E X.

- Concreta ponuntur in prædicamento substantiæ, abstracta vero in aliis, p. 381. n. 3
- Modus prædicandi sequitur modum essendi, p. 382. n. 6
- Sola realia ponuntur in prædicamento, p. 389
- Potest tamen statui unum speciale prædicamentum entis rationis, ibid. n. 7.
- Ens per accidens non ponitur in prædicamento, p. 384. n. 8
- Infinitum in aliquo genere, potest ponni in prædicamento, p. 385
- Quot sint prædicamenta, p. 386
- Vnde colligatur diuisio, & numerus prædicamentorum, p. 389. n. 19
- Vtrum debeant ex parte rei distingui, p. 391. n. 23
- Sufficit distinctio rationis, pag. 393 num. 28.
- Vtrum eadem res in diuersis prædicamentis statui possit, p. 394
- Quomodo Deus ponatur in prædicamento, p. 395
- Poni in eo directe, p. 396
- Poni tanquam speciem physicam substantiæ, p. 404. n. 48.
- Christū poni in prædicamento, p. 405
- Præmissæ
- Præmissæ influunt effectiuè in conclusionem, p. 729
- Vel tantum ut conditio sine qua non, p. 732. n. 31
- Aut illuminatiuè, ibid.
- Quomodo per assensum conclusio-  
nis attingantur præmissæ, pag. 734. n. 35.
- Eodem actu attingi conclusionem, & præmissas, p. 735
- Vel diuerso, p. 738
- Quomodo præmissæ sint ratio as-  
sentiendo conclusioni, p. 736. n. 37
- Præmissæ syllogismi sunt obiectum  
quo, p. 740
- Vtrum ex præmissis falsis sequatur  
conclusio vera, p. 741. n. 45
- Intellectus concessis præmissis ne-  
cessitatur ad assensum conclusio-  
nis quod ad speciem, p. 743
- Vtrum quod ad exercitium, p. 744
- Vtrum voluntas possit impedire tie  
intellectus concessis præmissis  
apprehendat conclusionem, pag.  
749. n. 61.
- Cur prima præmissa dicatur major,  
& altera minor, p. 753. n. 5
- Vtrum assensus conclusionis, &  
præmissarum sint simul in intel-  
lectu, p. 795
- De conditionibus ad præmissas de-  
monstratio necessariis, p. 797
- Quomodo præmissæ debeant esse  
priores, & notiores conclusione,  
p. 804.
- Vtrum conclusio possit esse notior  
præmissis, p. 806. n. 43
- Principium.
- Principia dici de omni, & dici de  
nullo, explicantur, p. 762
- Quomodo syllogismi per ea regu-  
lentur, p. 763. n. 4
- Explicatur principium, quæ sunt  
eadem vni tertio sunt eadem in-  
ter se, logicè sumptum, pag.  
764. n. 6.
- Quomodo syllogismi per illud eius-  
que oppositum regulentur, pag.  
765. n. 7.
- Vtrum valeat in diuinis, ibid. n. 8
- De eodem Metaphysicè simpto  
multiplex explicatio, p. 766. n. 10
- Præscientia.
- Præscientia Dei non tollit contin-  
gentiam effectus, p. 691. n. 25
- Est veluti signum futuron, p. 694. n. 31

# INDEX.

- Prius.  
 Quid dicatur prius natura, p. 574.  
 Quinque sunt modi prioris, ibid.  
 Propositio.  
 Vtrum dentur propositiones æternæ veritatis, p. 214. n. 3.  
 Non sunt ab æterno verae veritate positiuā, sed negatiuā, p. 216. n. 7.  
 Propositiones, etiam contingentes, sunt ab æterno verae, & quoinodo, p. 217. n. 7.  
 Vtrum propositiones de futuro contingenti sint determinatè verae, aut falsæ vide *enunciatio*.  
 Quid sit propositio probabilis, p. 770.  
 Proprium.  
 Quid & quotuplex sit, p. 325.  
 Definitur proprium quarto modo, p. 327. n. 4.  
 Debet naturæ conuenire necessariò necessitate simplici, p. 328. n. 5.  
 Definitio proprii ut est quartum prædicabile, ibid. n. 6.  
 Quomodo primæ qualitates sint proprietates elementorum, pag. 329. n. 7.  
 Vtrum verum proprium debeat omni tempore inesse, p. 331. n. 9.  
 Quomodo subiectum possit intellegi sine suo proprio, p. 335. n. 14.
- Q
- Qualitas
- Qualitas tribus maximè modis usurpatur, pag. 517.  
 Definitio qualitatis ab Aristotele tradita defenditur, p. 518.  
 Traduntur variæ qualitatis definitiones, p. 519. & seq.  
 Explicantur definitiones qualitatis, ex Dito Thoma desumptæ, pag. 523. & seq.  
 Quomodo qualitas disponat, & or-
- dinet potentias eiusdem subiecti, p. 524.  
 Explicatur egregia qualitatis definitio, p. 525. n. 13.  
 Duiditur qualitas in quatuor membra, tanquam genus in species, p. 526.  
 Talem divisionem esse adæquatam, p. 527.  
 Rationes illius divisionis, ibid. & p. 530.  
 Cur habitus ponatur prima species qualitatis, p. 528.  
 Quatuor species qualitatis distinguuntur sola ratione, p. 531. n. 23.  
 Vel etiam secundum rem, ibid. n. 24.  
 Alia est qualitas secundum rem, alia secundum modum, p. 550. n. 50.  
 Explicantur proprietates qualitatis, p. 556.  
 Quando.  
 Quid sit quando, p. 564. n. 4.  
 Quantitas.  
 Quid sit quantitas, p. 423. n. 1.  
 Quomodo definiriatur ab Aristotele, p. 424.  
 Divisione quantitatis, p. 425.  
 Quid sit quantitas continua, quid discreta, ibid.  
 Quid successiva, quid permanens, p. 426.  
 Vtrum hæc prædicatio, *quantitas est longa* sit essentialis, ibid. n. 8.  
 Proprietates quantitatis, p. 428.  
 Vtrum esse æquale, & inæquale sit proprium quarto modo quantitatis, p. 429.  
 Quantitas in communi est æqualis, vel inæqualis alteri in actu signata, non exercito, ibid.  
 Quomodo quantitas sequatur ma-

# I N D E X.

- teriam & qualitas formam , pag.  
391. n. 22.
- Prima ratio distinguendi numero  
est penes quantitatem , pag.  
826. n. 23.
- R**
- Res & realitas
- Quid sit res , quid realitas apud sco-  
tistas , p. 127. n. 19.
- Regressus
- Vtrum detur regressus sive demon-  
stratio circularis , p. 812. n. 14.
- Progressus , qui in regressu seruatur ,  
p. 815. n. 21.
- Relatio
- Debet admitti relatio realis , etiam  
prædicamentalis , p. 431. n. 2, & 3.
- Definitio relationis , p. 436
- In quo consistat formalis ratio re-  
lationis , p. 437. n. 12
- Vtrum relatio ponat aliquid in re-  
secundum esse ad , p. 433. n. 4.
- Vtrum unitas super qua fundatur  
relatio sit aliquid reale , p. 434. n. 7
- Multiplex relationis diuisio , p. 438
- Vtrum relatio rationis ponatur in  
hoc prædicamento , ibid. n. 13
- Cur relatio rationis dicatur simpliciter  
relatio , non vero quantitas  
rationis , simpliciter quantitas ,  
p. 439. n. 15
- Quomodo differant relationes se-  
cundum dici , & secundum esse . p. 440
- Discrimina inter relationem prædi-  
camentalem , & transcendentalem ,  
p. 441. n. 19
- Relatio prædicamentalis non inten-  
ditur per se à natura , p. 442. n. 21
- Quid sit relatio extrinsecus , vel in-  
trinsecus adueniens , p. 444
- Quomodo ad relationem non detur  
motus , p. 461. n. 55
- Dari relationes extrinsecus aduenie-  
tes , p. 445
- Ad cas dari motum , non ad prædi-  
camentales , q. 444. n. 24
- Vtrum actio , & passio sint relatio-  
nes extrinsecus aduenientes , pag.  
446. num. 28.
- Relationis subiectum , &  
fundamentum.
- De subiecto relationis , p. 447
- Quæ differentia sit inter subiectum  
& fundamentum relationis , ibid.
- Vtrum fundamentū relationis præ-  
dicamentalis debeat esse realē , p. 449
- Vtrum debeat distingui à subiecto ,  
ibid. n. 33
- Vtrum substantia possit esse funda-  
mentum proximū relationis , p. 450
- Vtrum una relatio possit esse funda-  
mentum alteritis , p. 451. & seq.
- Ratio fundandi relar.
- Quid , & quotuplex sit ratio fun-  
dandi relationem , p. 454. & seq.
- De relationibus prīmi , secundi , &  
tertiū generis . p. 455. & seq.
- Vtrum relatio fundata in actione  
transeat actione transacta , p. 458  
num. 48
- Vtrum relationes fundatæ in men-  
sura , sint mutæ , p. 460. n. 53
- Vtrum possit esse relatio realis si ra-  
tio fundandi eadem numero sit in  
vtroq; extre mo , p. 481. n. 88. & 89
- Distinctio relationis.
- Relationem distingui solā ratione à  
suo fundamento , p. 461
- Aut etiam ex parte rei , p. 470
- Quæ sit causa productiua relationis ,  
p. 463. n. 57.
- Duo alba , relatione sublatâ sunt si-  
milia tantum fundamentaliter ,  
p. 464. n. 58
- Vtrum duplicitas sit tota in quali-  
bet parte dupli , ibid. n. 59

# I N D E X,

- Vtrum relatio p̄dicanetalis Deo  
conueniat, p. 467. n. 64.
- Cur Deus non referatur ad creatu-  
ras, p. 468. n. 65.
- Quomodo denominations relatiæ  
competunt Deo, p. 469. n. 66.
- Deum referri ad creaturas, ib. n. 67.
- Denominations relatiæ sunt par-  
tim intrinsecæ, partim extrinsecæ,  
p. 471. num. 70.
- Quomodo res eadem dicatur simul  
intendi, & remitti in relatione,  
p. 472. n. 71.
- Vtrum relatio æqualiter identifice-  
tur cum fundamento & termino,  
ibid. n. 72.
- An cū solo fundamēto, p. 475. n. 77
- Quid sentiat Diuus Thomas de di-  
stinctione relationis à fundamen-  
to, p. 477
- Terminus relationis.
- Debet distingui realiter à funda-  
mento, p. 481. n. 87
- Terminus relationis prædicamenta-  
lis debet esse realis, & actu exi-  
stere, p. 483
- Vtrum terminus sit de essentia rela-  
tionis, p. 485
- Terminus relationis est absolutus,  
p. 487. n. 97.
- Aut etiā formaliter relatiuus, p. 496
- Ia relationibus non mutuis vtrum  
que extrellum est ad aliquid,  
p. 488. n. 98.
- Cur terminus in mutuis possit dici  
relatiuus, non autem in non mu-  
tuis, ibid. n. 99.
- Quomodo omnia relata possunt di-  
ci mutua, p. 490.
- Vtrum omnia relata sint simul na-  
tura, p. 489. n. 100.
- Relatio maternitatis denominat B.  
virginem intrinsecè matrem, &
- Christum extrinsecè filium, p.  
491. n. 103.
- Relatio est terminus ut quo, alterius  
relationis; compositum verò ut  
quod, p.
- Quomodo intelligatur resultare re-  
lationem posito fundamento, &  
termino, p. 492. n. 105.
- Quomodo relatio definitur per  
eminum absque circulo vitiōso,  
p. 493. n. 107.
- Quomodo terminus specificet rela-  
tionem, p. 496. n. 111.
- Cur terminus in diuinis sit formaliter  
relatiuus non in creatis, p. 502.  
num. 119.
- Vtrum multiplicetur numero rela-  
tio in eodem fundamento ad plu-  
res terminos eiusdem rationis,  
p. 503. & sequi.
- Vtrum filius vnicā relatione respi-  
ciat patrem, & matrem, p. 507  
n. 127. & vice-versa p. 510
- Ad unitatem specificam relationis  
requiritur unitas specifica termi-  
ni, & fundamenti, p. 506. n. 125
- Summum genus relationis.
- Datur unum summum genus rela-  
tionis, p. 512
- Referitur per se ad aliud in actu sig-  
nato, non in actu exercito, pag.  
513. & seq.
- Oppositio relativa.
- Datur duplex oppositio inter rela-  
tiva, p. 497. n. 114. Vide *oppositio*.
- Relationis proprietates.
- Assignantur quinque, p. 514
- Quid sit relata dici ad conuententiā,  
p. 515. n. 141
- Quomodo relata sint simul natura,  
p. 516.
- Quomodo sint simili cognitione &  
definitione, p. 499. & sequi.  
sapientia.

I N D E X.

- S  
Sapientia.  
Vtrum sapientia sit simul practica,  
& speculativa, p. 38. n. 20  
Scientia.  
Scientia sumitur multis modis, p. 10  
Illi⁹ definitio, ibid.  
In quibus differant scientia specula-  
tiva, & practica, p. 31. n. 10  
Quomodo de contingentibus pos-  
sit esse scientia, p. 15. n. 9  
Scientia triplex distinguitur in Deo,  
p. 695. n. 33.  
Vtrum aliqua scientia possit de-  
monstrare existentiam sui subie-  
cti, p. 793  
Vtrum possit definitionem eius el-  
ementalem tradere, p. 794. n. 22  
Vnitas scientiarum.  
Vnitas, & distinctio generica scien-  
tiarum sumitur ex abstractione à  
materia, p. 824  
Vnitas verò, & distinctio specifica  
ex vnitate, vel distinctione spe-  
cifica principiorum, ibid. n. 18  
Quomodo diuersa immaterialitas  
inducat diuersitatem specificam  
in scientiis, p. 831. n. 32  
Quomodo diuersitas & vnitas  
scientiarum sumatur ab obiecto  
adæquato, ibid n. 33.  
Quà ratione multe scientiarum in unam  
classem redigantur, p. 834. n. 39  
Vtrum scientia totalis possit dici vna  
specie scientia, 843 n. 12  
Vtrum scientia habitualis distincta  
sit à speciebus, p. 854  
Vtrum sit vna simplex qualitas,  
p. 837.  
Vtrum scientia, & error de eodem  
obiecto possint esse simul, p. 848  
Quomodo scientia, & fides diuina  
sint de eodem quò ad habitum,
- non quò ad applicationem, pag.  
850. n. 26.  
Vtrum actus scientiarum, & opinio-  
nis, vel fidei possint esse simul  
de eodem, p. 867. & seq  
Quomodo actus erroneous opponi-  
tur scientifico, p. 869. n. 16  
Quomodo post scientiam opinio de  
eadem re sit superflua, pag. 870  
num. 18.  
An fides diuina possit simul esse  
cum scientia de eodem, p. 871  
Vtrum, saltem, diuinatus actus  
scientiarum, & opinionis simul esse  
possint, p. 885  
Scientia & opinio possunt esse si-  
mul in actu signato, non exerci-  
to, p. 873. & 875  
Cur fides diuina, & scientia non  
possunt eodem modo esse simul,  
p. 874. n. 26.  
Quæ sit oppositio inter actum  
scientiarum, & opinionis, p. 875  
num. 28.  
Vtrum major quam inter actum  
scientiarum beatarum, & acquisitorum,  
p. 876. n. 30.  
Habitus scientiarum, & opinionis, vel  
fidei de eodem possunt esse si-  
mul, p. 879. n. 38. & seq.  
Quæ sit disparitas quò ad hoc inter  
scientiam, & habitus virtutum  
moralium, p. 881. n. 41  
Habitus scientiarum, & opinionis de  
eodem possunt esse simul, pag.  
830. n. 40.  
Accidente scientiarum fides de eodem  
cessat quò ad applicationem, &  
extensionem, non quò ad enti-  
tatem, p. 882. n. 43  
Habitus scientiarum, & actus opinio-  
nis possunt esse simul, pag. 884  
num. 48.

# IN D E X.

- Vtrum idem homo ,positus in duobus locis , possit in vno habere scientiam , in alio fidem , pag. 886. num. 52. demonstrationes , p. 907
- Vtrum sit scientia in non habente subalternantem , p. 911. & seq. Scientia subalternans est habitus *per se* principiorum subalternatæ , fides verò quâ creduntur , est habitus *per accidens* , p. 896. & 913 Subalternata sine subalternante est imperfecta , p. 917. n. 46 Signum , significare.
- Scientiarum subalternatio.
- Quid , & quotuplex sit , p. 893 Modus propriissimus subalternationis , p. 894. n. 3 Conditiones subalternationis propriæ , p. 895. n. 6 Caietanus & Iauellus vnicam admittunt , p. 896. n. 7 Vtrum omnes scientiæ subalternentur Metaphysicæ , ibid. n. 8 Vtrum Theologia viatorum subalternetur scientiæ beatæ , pag. 897 num. 10.
- Vtrum scientia subalternata sit verè scientia , p. 898. n. 11
- Quomodo scientia subalternata legitimas habeat demonstrationes , ibid. n. 12.
- Vtrum de ente per accidens , possit dari scientia , p. 900. n. 15. & seq. Quomodo sonorum sit obiectum musicæ , p. 902
- Quid principaliter spectet subalternata , an obiectum subalternantis , vel differentiam illi additam , p. 903. n. 21.
- Quomodo ad subalternatam spectet scire quia , & ad subalternantem propter quid , pag. 904 & seq.
- An subalternata in ratione scientiæ pendeat à subalternante , pag. 906. n. 27.
- Quomodo subalternata formet suas
- Sensus.
- An , & quomodo fallantur sensus , p. 668. n. 45.
- Simplex apprehensio alia complexa , alia incomplexa , pag. 667 num. 44.

I N D E X.

- Species.  
 Vtrum dici possit species rerum esse  
     à parte rei, p. 196. n. 36  
 Quid, & quotuplex sit species,  
     pag. 274.  
 Explicantur definitiones speciei ibid  
 Quomodo species definitur per  
     genus & genus per speciem absq;  
     circulo vitioso, p. 276. & 497  
 Adduntur aliqua definitionibus  
     speciei, vt sint à cauillatione  
     immunes. p. 278. n. 5  
 Species vt subiicibilis non est vni-  
     uersalis nisi materialiter, p. 279  
 Quid sit præcipuum in specie an  
     subiicibilitas, an prædicabilitas  
     an vniuersalitas, pag. 281.  
 Vtrum species Logica plura exigat  
     individua possibila, p. 282.  
 Vtrum natura diuina, sicut Ange-  
     lica possit fieri vniuersalis nostro  
     modo intelligendi p. 286. n. 14  
 Vtrum eadem species possit esse sub  
     diuersis generibus, non subal-  
     ternatum positum, p. 378  
 Speculatio.  
 Quid sit sepeculatio, p. 27  
 Vtrum ratio speculatiui, & ratio  
     practici sint differentiæ essentia-  
     liter diuersæ, p. 41. n. 26  
 Situs.  
 Quid sit situs, p. 564. n. 8  
 Quomodo differat ab *vbi*, ibid.  
 Eius proprietates, 565  
 Simul natura quæ dicantur, pag.  
     516. n. 142.  
 Subiectum.  
 Quid sit subiectum inhæsionis, &  
     attributionis, p. 374. n. 42  
 Quid sit esse in subiecto, pag. 419  
     num. 22.  
 Substantia.  
 Quid significet substantia, p. 407
- Substantia à substando, vel subfi-  
     stendo dicitur, p. 408  
 An modus substendi sit aliquid  
     positiuum, p. 409. n. 4  
 An sit aliquid ex natura rei à sub-  
     stantia distinctum, p. 410. n. 6  
 Quid sit substantia, ibid. n. 7  
 Quid sit prima, quid secunda sub-  
     stantia, p. 411  
 Vtrum illa diuisio sit propria & vni-  
     uoca, p. 412. & 415  
 Cur prima dicatur magis substantia,  
     p. 414. & 416.  
 Ordinatio prædicamenti substantiæ,  
     p. 417.  
 Schema prædicamenti substantiæ,  
     seu arbor Porphyriana, ibid.  
 Proprietates substantiæ, p. 418  
 Quid sit primam substantiam signi-  
     ficare *hoc aliquid*, secundas vero  
     *quale quid*, p. 420  
 Quid sit iuicere magis & minus,  
     p. 421.  
 Vtrum omnis substantia creata sus-  
     cipiat contraria, p. 422  
 Vtrum hoc illi soli conueniat, ibid.  
 Syllogismus  
 Quid sit syllogismus, p. 719 n. 9  
 Quid sit conclusionem sequi vi  
     formæ, & vi materiæ, p. 721.  
 De materia, & forma syllogismi,  
     ibid n. 13.  
 Forma essentialis syllogismi est dis-  
     positio medij, uel iudicium illa-  
     tuum, p. 722. n. 14.  
 Vtrum iudicium consequentiæ sit  
     distinctum à iudicio consequen-  
     tis, ibid. n. 15.  
 Quæ sint partes essentiales syllo-  
     gismi, p. 724. n. 18.  
 Solæ præmissæ sunt de essentia syl-  
     logismi, ibid.  
 Essentiam syllogismi in sola con-

# INDEX.

clusione positā esse, p. 725. n. 20  
 Veli in conclusione, & præmissis,  
     p. 726. n. 21.  
 Quid in mente respondeat par-  
     ticulæ rationali conclusionis,  
         ergo, p. 738. n. 40.  
 Quodnam sit maius extrellum in  
     syllogismo, quodnam minus,  
     p. 751. n. 2.  
 Quæ maior, quæ minor proposi-  
     tio, p. 753. n. 5.  
 De principiis artis syllogisticae, p.  
     761. vide *principium*.  
 Quotuplex sit syllogismus, p. 770  
 Quid topicus, quid sophisticus,  
     &c. ibid.  
 Si altera, vel ambæ præmissæ sint  
     de fide, in quo genere erit syllo-  
     gismus, p. 617. n. 8.  
 De syllogismo expositorio, p. 774  
 De modali, p. 776.  
 Syllogismus est obiectum adæqua-  
     tum Logicæ, p. 45.  
 Quomodo syllogismus sit prior  
     Logica, p. 46. n. 8.  
 Quomodo sit objectum totius Lo-  
     gicæ, & partis eius, p. 47.

## T

### Theologia

Vtrū Theologia sit scientia, p. 916  
 Vtrum subalternetur scientiæ bea-  
     tae, p. 897. n. 10  
 Quomodo abstrahat à materia,  
     p. 825.      Terminus  
 Vtrum terminus relationis sit absolu-  
     tus, vel relatiivus, p. 487 &  
     496. vide *relatio*.

## V

### Vbi

Quid sit vbi, p. 563.  
 Eius proprietates, ibid.  
 Quomodo differat à situ, pag. 564  
     num, 8.

### Verbum

Quid sit verbum, p. 597.  
 Eadem res significatur nomine,  
     & verbo, p. 598 n. 43  
 Quomodo verbum significet actio-  
     nem, p. 599. n. 34  
 Quomodo verbum infinitum diff-  
     erat à verbo negato, n. 36  
 Quomodo verbum sit semper ex  
     parte prædicati, p. 600  
 Vtrum est, semper habeat rationem  
     verbi, n. 38.  
 Essentialis est verbo consignificare  
     tempus, p. 601. n. 39

### Veritas.

Quotuplex sit veritas, p. 639  
 Veritas formalis est conformitas rei  
     ut cognitæ ad seipsum ut est in  
     se, ibid. n. 2.  
 Vel conformitas conceptus cum re  
     concepta, ibid.  
 Vtrumque probatur à pagina, 640  
 Vtrum visio beata sit vera veritate  
     creata, p. 643. n. 8  
 Quid sit conformitas conceptus  
     cum re concepta, p. 647. n. 14  
 Veritas est relatio rationis, vel realis,  
     ibid.  
 Quomodo verum sit obiectum in-  
     tellectus, p. 643. n. 9  
 Duplex est veritas in intellectu, p.  
     653. n. 23.  
 Veritas est in simplici apprehensio-  
     ne, pag. 652. n. 22. vel non est  
     p. 655.  
 Quomodo ab ea cognoscatur, p.  
     624., & 654. n. 24.  
 Tria ad veritatem formalem requi-  
     sita, p. 657  
 Quid sit veritas complexa, quid  
     simplex, p. 658. n. 30  
 Quid sit dicere verum, ibid. n. 31  
 Veritati simplici nulla falsitas op.

# INDEX.

- ponitur, *ibidem*.  
 Res naturales sunt semper veræ,  
     item artefacta, p. 664. n. 40  
 Quis sit specialis modus, quo veri-  
     tas, & falsitas in enunciatione  
     reperiuntur, p. 668. n. 46  
 Veritas ut cognita, est in compo-  
     sitione, non in simpliei appre-  
     hensione, p. 670. n. 49.  
 Hoc aliter à Caietano, aliter à  
     Ferrar. explicatur, p. 670. & seq.  
     *Vnitas.*  
 Quid & quotuplex sit *vñitas*, p. 143  
 Quid sit *vñitas* numerica, *ibid.* n. 1  
 Cur sic vocetur, p. 144. n. 2  
 Quid sit *vñitas* formalis, *ibid.* n. 3  
 Cur vocetur formalis, p. 145  
 Quid sit *vñitas vñuersalis*, *ibidem*  
     num. 4.  
 Quomodo differat à formalis, *ibid.*  
 An detur *vñitas* formalis ex parte  
     rei, p. 146.  
 An sit realis, & positiva, pag. 166  
 Vnitatem formalem multiplicari  
     numero in individuis, etiam ex  
     Scoto, 147. n. 6.  
 Vnitatem formalem esse ex parte  
     rei communem multis, p. 149  
     num. 9.  
 Soluuntur argumenta in opposi-  
     tum, p. 153  
 Aliquid potest dici *vñum tripliciter*, *ibid.*  
 Cur *vñitas* numerica dicatur mate-  
     rialis, p. 160. n. 22  
 Quid sit *vñitas* conformitatis, p. 162  
 Quid *vñitas* fundamentalis, p. 434  
     num. 7.  
 Vnitatem formalem sufficere ad  
     *vñuersale*, p. 181. n. 13  
*Vñitas vñuersalis* non dependet  
     ab intellectu, p. 182  
*Vñitas* præcisionis non conductit ad  
     *vñuersale*, nec sufficit ut *vñi-  
         uersale* prædicetur de multis,  
     pag. 183.  
     *Vñuersale.*  
 Quotuplex sit *vñuersale*, p. 104. n. 2  
 Quæ sint *vñuersalia* ante multa,  
     in multis, & post multa, pag  
     105. n. 3.  
 Egregia comparatio ad illam diui-  
     sionem explicandam, n. 4.  
 Quid sit *vñuersale platonicum*, p.  
     106. n. 5.  
 Definitio *vñuersalis*, 107. n. 7  
 Quæ requirantur ut aliqua natura  
     sit *vñuersalis*, p. 109  
 An dentur naturæ *vñuersales*, p.  
     110. n. 13.  
 Solæ voces non sunt *vñuersales*,  
     p. 111. n. 14.  
 Non datur *vñuersale Platonicum*,  
     pag. 171.  
 An detur *vñuersale Aristotelis* ex  
     parte rei, p. 173. & seq.  
 Quid sit *vñuersale actuale*, & po-  
     tentiale, p. 179  
 Quid sit aptitudo *vñuersalis*, p. 174  
 Alia positiva, alia negativa, pag.  
     180. n. 12.  
 Sublatâ distinctione formalis Scoti  
     dari *vñuersale completum* ex  
     parte rei, p. 184  
 Soluuntur argumenta contra *vñi-  
         uersale* ex parte rei, p. 186  
 Quomodo omnis res existens sit  
     particularis, p. 188 n. 24  
 Vtrum ista prædicatio sit essentialis,  
     *homo est vñuersalis*, p. 190  
 Vtrum natura ut contracta debeat  
     habere aptitudinem existendi  
     in multis ut sit *vñuersalis*, pag.  
     192. n. 30.  
*Vñuersale* aliud metaphysicum,  
     aliud logicum, p. 178. & 192

## I N D E X.

- probabile est logicum fieri ab intellectu, *ibid.*
- S**oluuntur argumenta facta pro vniuersali à parte rei, p. 195.
- Fundamentum vniuersalis est à parte rei, p. 196
- Quomodo nulla sit æquiuocatio in definitione vniuersalis, p. 99. n. 41
- Quomodo vniuersale sit obiectum intellectus, *ibid.* n. 40.
- Quando vniuersale fiat per intellectum, p. 201
- Per quem actum intellectus fiat, p. 202. n. 3.
- Vtrum fiat per intellectum agens, p. 204
- Vtrum per primam operationem intellectus possibilis, p. 206
- Vtrum per cognitionem comparatiua, p. 207
- Vniuersale fit per abstractionem, cognitis confuse singularibus, p. 210
- E**sse vniuersale, est realis denominatio extrinseca, p. 211. n. 15
- Vniuersale dicit relationem ad inferiora veluti transcendentalem, non vero rationis, aut fictam, *ibid.*
- Quem processum seruet intellectus informando vniuersali, p. 212
- An vniuersalia sint ingenerabilia, æterna, &c. p. 213
- Vniuersalia sunt æterna secundum essentiam negatiuè, *ibid.* n. 2.
- Quomodo propositiones de vniuersalibus factæ, sint æternæ veritatis, p. 214. n. 3
- Non sunt ab æterno verae veritate positivâ, sed negatiuâ, p. 216 num. 7.
- Quot sint vniuersalia, 217.
- Sunt tantum quinque, vel duo, vel octo, à p. 217.
- Vtrum sint certo numero determinata, p. 221
- Soluuntur argumenta facta pro his omnibus sententiis, p. 222. & seq.
- Vtrum vniuersale sit vniuocum, atque etiam genus ad omnia vniuersalia, p. 229. & seq
- Vtrum vniuersale sit genus immediatum ad omnia vniuersalia, p. 239.
- An vniuersalia sint species infimæ, pag. 240.
- Vnuocum.
- Definiuntur, & diuiduntur vnuoca, pag. 351
- Quæ sint vnuoca Logica, Physica, Metaphysica, p. 352
- Quæ sit differentia inter prædicari vnuocè, & esse prædicatum vnuocum, p. 353
- Quadruplex est vnuocationis gradus, *ibid.* n. 13.

F I N I S.

EXTRAICT DV PRIVILEGE  
du Roy.

**L**OVIS par la grace de Dieu Roy de France & de Nauarre ; A nos amez, & feaux Conseillers les Gens tenans nos Cours de Parlement, Maistres des Requestes ordinaires de nostre Hostel, Baillifs, Seneschaux, Preuofts, leurs Lieutenans, & à tous autres de nos Justiciers, & Officiers qu'il appartiendra, Salut. Nostre cher & bien amé, le Pere Iean Vincens, de l'Ordre de la Doctrine Chrestienne nous a fait remonstree qu'il a compoſé vn liure intitulé, *Cursus Philosophicus, in quo totius Schola Questiones ferè omnes aqua perspicuitate, ac Doctrinā in partem utramque propugnantur*, Autore Réuerendo Patre IOANNE VINCENTIO, congregatiōnis Doctrinae Christianae, Totaſe in Collegio Squillano publico Philosophie Lectore. Lequel liure il est ſollicité de faire imprime, pour l'utilité qui en pourra reue nir au public: ce qu'il ne peut faire ſans auoir nos lettres ſur ce neceſſaires, lesquelles il nous a tres-humblement ſupplié de Iuy accorder. A ces caufes, Nous auons permis, & permettrons par ces preſentes à l'expoſant de faire imprimer, vendre, & débiter en tous les lieux de nôtre obediſſance, & par tel Imprimeur, ou Libraire qu'il voudra, ledit liure en vn, ou plusieurs volumes, en tels marges, & en tels caractères, & autant de fois que bon luy ſemblera durant ſept années entières, à compter du jour que chaque volume ſera acheué d'imprimer pour la premiere fois : Et faſons tres-expreſſes deſſences à toutes personnes de quelque qualité, & condition qu'ils foient, d'en rien imprimer, vendre, ny diſtribuer en aucun lieu de nôtre obediſſance ſans le conſentement dudit expoſant, ou de ceux qui auront fon droit, ſous preteſte d'augmentation, correction, changement de titre, fauſſes marques, ou autre déguisement, à peine de quinze cens liures d'amande payables ſans deport par chacun des contrevenans, & applicables vn tiers à Nous, vn tiers à l'Hostel-Dieu de Paris, & l'autre tiers à l'expoſant, ou au Libraire, dont il ſera feruys de confiſcation des exemplaires contrefaits, & de tous despeſs, dommages, & intereſts: à condition qu'il ſera mis deux exemplaires de chaque volume en nôtre Bibliotheque publique, & vn en celle de nôtre tres-cher & feal le ſieur Seguier, Cheualier, Chancelier de France, auant que de les expoſer en vente, & que les preſentes feront regiſtrées dans le liure de la communaué des Libraires de nôtreddite ville de Paris, ſuivant les Arreſts de nôtre Cour de Parlement, à peine de nullité d'icelles: du contenu desquelles nous voulons que vous faſſiez jouyr pleinement, & paſſiblement l'expoſant, & ceux qui auront droict de luy, ſans ſouffrir qu'il leur ſoit donné aucun empescheſſement. Voulons auſſi qu'en mettant au commencement, ou à la fin de chaque volume, ou traité yn extraict desdites preſentes, elles ſoient tenuées pour deuilement ſignifiées, & que foy y foit adjouſtée, & aux copies collationnées par vn de nos amés, & feaux Cōſeillers, & Secrétaires comme à l'original. Mandons au premier nôtre Huiffier, ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'exécution d'icelle tous exploits, & actes neceſſaires, ſans demander autre permission; Car tel eſt nôtre plaisir: nonobſtant Clameur de Haro, Chartre-normande, priſe à partie, & toutes lettres à ce contraires. Donné à Paris le 16.

jour de Mars, l'an de grace 1658. & de nostre regne le quinziesme, P A R  
LE ROY EN SON CONSEIL. Signé, COYPEAU.

*Registré sur le livre de la Communauté des Libraires suivant l'Arrest de  
la Cour de Parlement du 8. Avril 1653. Fait à Paris le 21. Mars 1658.  
D. BECHET syndic.*

---

L'edit R. P. Jean Vincent a cedé & transporté le présent Priuilege à Jean Boude Imprimeur ordinaire du Roy, & des Estats de la Prouince de Languedoc, & Marchand Libraire en Tolose, pour en jouyr le temps contenu en iceluy, comme il est plus amplement porté par le transport que luy en a fait ledit Pere en datte du 2. Iuin 1658.

*Achevé d'imprimer le huitième Iuin 1658.*

---

*Errata præcipua.*

P Ag. 232 lin. 13. competitur, lege comple&tus, p. 233. l. 1. quartio, l. tertio, p. 432.  
l. 25. relationis, lege rationis, p. 464. l. 33. duplicatis, lege duplicitas, p. 468. l. 36.  
dispositio, lege dispositio p. 481. l. 15. non dicitur alius, de le non, p. 489. l. 10. tamquam  
termini, lege qui sunt termini, p. 490. l. 13. idipsum est, lege cui ipsum quod est, p. 494. l. 23.  
hoc esse, lege hoc non esse, p. 499. l. 23. intrinseca lege extrinseca p. 508 l. 21. relatione, lege  
ratione, p. 509. l. 24. excedebat, lege excebat, p. 510. l. 16. cisque commodiūs, adde  
questioni, p. 510. l. 21. est eadem, lege sic est eadem, p. 512. l. 26. ad aliud, lege il-  
lud, & linea antepen ad hoc, lege ad quod, p. 514. l. 2. & 9. loco perse, lege perse, p.  
516. l. 4. vno defuncto, lege destruto, p. 523. l. 5. numero 6. lege 8. p. 524. l. 30. post  
licet addo hoc p. 525. l. 2. modo illo, lege villo, & l. 27. lege formo p. 526. l. 4. duabus, lege  
duabus, p. 527. l. 12. inter quos &, lege est, p. 528. l. 35. post quod, addo primò, p. 534.  
l. 3. & si, lege sic, p. 536. l. 22. post specie, addo &, p. 545. l. 3. qualitatibus, lege quanti-  
tatis, p. 547. l. 35. sanguinem, lege sanguineum, p. 551. in titulo qualitate, lege qualitatibus,  
p. 572. l. 28. alijs majorem, sed potius minorem, lege alijs minorem, sed potius majorem,  
p. 612. in titulo, & linea ab hinc secunda, in extiua, lege iudicatiua, p. 633. l. 38.2  
loco tertij non, lege nam, p. 697. l. ultima, numero 34. & 35. lege 35. & 37. &c.





LIBER PRIMVS,

*CONTINENS*

# QVÆSTIONES PROOEMIALES.

## QVÆSTIO I.

De Nomine, Diuisione, & Existentia Logicæ.

Multum difficultatis rerum cognitioni parit nominis, verborumque  
equiuocatio. Vnde non immerito, cum de rebus agimus, nominum ratio-  
nem accuratè habendam esse Plato monet in Cratyle. & Aristoteles primo  
post. cap. 1. notitiam nominis semper præhabendam esse docet, dum res ali-  
qua controvèrsia subjicitur. Non abs re igitur fuerit, priusquam de na-  
tura Logica aliquid dicamus, exponere quibus ipsa nominibus significari  
soleat, & quod inter ea discriben insit.

---

### SECTIO I.

De varijs Logicæ Nominibus.



RÆTERMITTENDO varia nomina, quibus  
veluti elogis insigiri solet hæc facultas, ut cum di-  
citur janua Scientiarum, ars artium, oculus mentis,  
rationis Cynosura, &c. duo ipsius magis propria ex-  
plicabimus, quorum alterum *Logica* est, alterum  
*Dialectica*.

Logicam ergo à nomine λόγος deriuatam esse  
nemo non videt: λόγος autem, licet alia significata habeat, præcipuum tamen  
est ratio, seu discursus, à quo rectè denominatur Logica, cum sit ars ra-

A



tioinandi; quamvis etiam deduci possit ab eodem nomine  $\lambda\delta\gamma\sigma\alpha$ , prout sermonem interiore significat, hoc est quamlibet mentis operationem. Licet enim Logica consideret principaliter syllogismum, ut inferens ostendemus: tamen alia quoque sciendi instrumenta, quae operationibus mentis constant, ut diuisionem, definitionem &c. spectat: vnde à Dhuo Thoma, & alijs vocari solet scientia rationalis.

2. Dialectica à græco  $\Delta\alpha\lambda\epsilon\gamma\omega\alpha$  deriuatur, quod significat probabiliter dispuo ex Cicerone in fine libri tertij de natura Deorum: in quo etiam sensu usurpat ab Aristotele primo Topicorum cap. 2. dum ait dialecticæ proprium esse, vel maximè familiare de qualibet re probabiliter differere: ideoque Averroes, & Alexander initio Topicorum, simplicius primo phys. cap. 8. & alij græci Interpretes putant Dialecticam octo libris Topicorum tantummodo contineri. Vnde Logica pro vniuersitate disputandi arte sumi debet; dialectica vero pro altera tantum parte, quæ scilicet viam & rationem docet disputandi ex probabilibus.

Nihilominus, quamvis hæc distinctio ab antiquioribus multis obseruata sit, nunc promiscue, & sine differentia vtrumque vocabulum pro tota arte solet usurpari, & ab ipso Aristotele ita factum est primo Rheticorum c. 1. circa medium, dum ait omnium syllogismorum rationem spectare ad totam dialecticam, aut ad aliquam eius partem: id est illam partem, quæ de argumentatione agit, quæque libris priorum, & post. continetur. Et quamvis locum hunc multi suspectum habeant, illumque Antonius Muretus, tanquam suppositum, in suâ versione omisit: tamen circa finem eiusdem capituli ait Aristoteles dialecticam tractare de vero syllogismo, & de sophistico. In parte autem topica non agitur de syllogismo sophistico, sed in libris Elenchorum: & per verum syllogismum potest intelligi demonstratus æquè, ac topicus. Igitur Aristoteles per dialecticam non intellexit solam topicam. Deinde, postquam secundo capite sequenti dixit Rheticam esse particulam dialecticæ, & veluti propaginem eius, atque moralis: eandem doctrinam repetit cap. 4. his verbis. *Quod enim prius diximus, verum est, Rheticam compositam esse, tum ex analytica scientia, tum ex politica, que in moribus versatur.* Ergo hic intelligit per analyticam, quod per dialecticam c. 2. & conseqüenter per dialecticam non intellexit solam topicam.

3. Verum hæc non sunt tanti momenti, ut diutius à nobis discuti debeant. Quapropter  $\Delta\alpha\lambda\epsilon\gamma\omega\alpha$  non tantum significat probabiliter dispuo; sed absolute significat differo: differo autem idem est quod sermone vtor, & argumentor, & probabiliter argumentor, & ignotum ex noto patefacio, & vera, ac falsa dijudico; in quo ultimo sensu usurpatum est à Cicerone primo quæstionum academicatum. *nihil definient, inquit, nihil partiuntur, nihil apta interrogatione concludunt, nullam denique (ut hæc omnia differendi verbo complectar) artem esse differendi putant.* In hoc ergo sensu Logica recte nuncupabitur dialectica, quia patefacit ignotum ex noto, sive id faciat dividendo, sive definiendo, sive argumentando.

Scio Platonem in Philebo usurpasse dialecticam pro prima Philosophia; itemque septimo de Republica, paulò ante finem, dum ait dialecticam veluti culmen, & apicem in summo fastigio disciplinarum collocatam esse, nec villam eā superiorem, sed omnium omnino finem in se habere, cūm circa id quod est, & verē est, & semper eodem modo se habet, versetur. Sed hæc acceptio communis non est apud Philosophos.

## SECTIO II.

*De Logica Diuisione.*

**T**RIPLEX communiter ex Aristotelis Doctrinâ assignatur Logica diuisione. Prima est in Logicam naturalem, & in Logicam artificialē, seu acquisitam. Naturalis est ipsum lumen naturale rationis, hoc est intellectus ipse, omnibus hominibus communis, cuius beneficio sine regulis, aut præceptis potest quilibet homo, etiam rusticus, definire, dividere, & discurrere, saltem imperfectè, atque ex primis principijs, per se notis, aliquam deducere consequentiam; ut cognoscendo quid sit totum, & quid pars, poterit ex isto principio, *Totum est maius suā parte*, sic discurrere. Totum est maius suā parte: sed manus est totum, & digitus est pars illius, ergo manus est maior digito. De hac Logica loquitur Arist. I. Elenchorum cap. II. vbi ait quemlibet aliquando dialectica vti, & I. Rhetorico rum cap. I. initio, ait omnes esse quodammodo participes, tam dialecticæ, quam rhetoricæ.

Logica artificialis est quædam facultas, seu habitus studio, & labore comparatus, multas continens præceptiones, & regulas, ad veri inuestigationem maximè utiles, quibus naturalis Logica ab erroribus protegitur.

Secunda Logica diuisione, tum à recentioribus, tum ab antiquis Philosophis tradita, præsertim à Diuo Thoma. 4. metaph. lction. 4. Scoto quæst. I. super porph. &c. initio Elench. est ea, quæ Logica artificialis distribuitur in Logicam docentem, & vtentem.

Logica docens, quæ à Græcis dicitur Logica à rebus aulifa, eo quod nudas differendi formas praescribat, non spectata materiâ, cui tales formæ applicentur; est quidam habitus, seu quædam facultas, quæ varias regulas diuidendi, definiendi, & argumentandi tradit.

Logica verò vtens, est habitus, qui ad huiusmodi diuisiones, definitio-nes, & argumentationes efficiendas concurrit; atque adeo est executiva præceptorum docentis. Et hanc vocant Græci Logicam cum rebus concre-tam, quia, dum in alijs scientijs efficit argumentationes, & syllogismos, mis-cepitur cum earum materia.

Tota res à simili clarior fiet in arte, verbi gratia, pingendi, quæ in Pictore existens, eum dirigit, docetque quo pacto varia lineamenta ducere, varios

misceat colores, multiplicemque proportionem seruare oporteat; quæ sunt præcepta artis: atque adeo hæc docens appellari potest, cuius præcepta excœns deinde pector, miscet colores, sumptoque penicillo varia ducit linea-menta, & hic est usus artis pingendi.

Eodem modo Logica existens in intellectu, varias tradit regulas, & præcepta ad bene definendum, argumentandum &c. & hæc est docens, cuius directioni inherens ipse logicus, syllogismum, verbi gratia, secundum regulas traditas effingit: & hic syllogismus in particulari esformatus, est usus: ille autem habitus, qui huiusmodi syllogismum in particulari efficit, Logica utens appellatur.

6. Tertia diuīsio est Logicæ docentis in tres partes. In prima tractatur de terminis simplicibus, & incomplexis; complectiturque tractatum de vniuersalibus, seu prædicabilibus, & tractatum de prædicamentis. In secunda agitur de propositione, seu enuntiatione; & hæc continetur in libris *metaphysicis*, hoc est de interpretatione. In tertia agitur de discursu, præsentim de syllogismo, perfectissima discursus specie; & hæc quatuor continent partes. Prima tractat de syllogismo formalí, hoc est de syllogismo absolute secundum formam, & nulli materiae applicato; & hæc comprehenditur duobus libris, qui vocantur priores analytici. In secunda agitur de syllogismo demonstrativo, duobus libris, qui posteriores analytici nuncupantur. In tertia de syllogismo topico, seu probabili, octo libris Topicorum. In quarta de syllogismo sophistico, seu fallaci, in libris Elenchorum.

Ex quibus patet Logicam esse ubique, hoc est in omnibus suis partibus docentem; in ijs enim omnibus regulas, & præcepta tradit, falsa à veris di-judicandi, & ad recte diuidendum, definendum, & argumentandum.

7. Verum: utrum, sicut in omnibus partibus docens est, ita in omnibus sit utens, satis magna est controvrsia. Nam Diuus Thomas in metaph. lectione 4. multique cum eo, existimant Logicam, quamvis sit docens in quâuis materia, siue sua, siue alienâ; non esse tamen utentem, seu nullum habere usum, quatenus demonstrativa est, nec in sua, nec in aliarum scientiarum materia; sed tantum respectu partis topicæ & sophisticæ, quatenus efficit syllogismos probabiles, aut sophisticos: non in aliena quidem materia, quia quælibet scientia habet propria principia, proprias definitiones & demonstrationes, quas in sua materia conficit, ita ut earum notitia ad nullam aliam scientiam pertineat: si autem Logica efficaret huiusmodi demonstraciones, tanquam proprium usum, ipsa fola esset scientia, quod est absurdum.

Quod etiam non habeat usum in propriâ materia, quatenus demonstrativa est, seu quatenus regulas suas per demonstrationes actuales probat, ostenditur ex eo quod usus, à quo Logica denominatur utens, debet esse distinctus à doctrina, ita ut Logica non doceat formaliter per ipsum usum, alioquin considerationes Logicae utentis, & docentis non essent formaliter diuersæ: sed usus in materia demonstrativa Logicæ non distinguuntur à doctrina actuali, quia per illum Logica demonstratiæ probat suas regu-

las, & formaliter docet ; ergo non potest ab eo denominari vtens.

Confirmatur : quia aliter Logica docens , & à rebus aulsa non essent idem ; nec etiam Logica vtens , & rebus concreta. Solum enim dici potest à rebus aulsa , quando non descendit ad extraneam aliarum scientiarum materiam ; ergo quandiu sifit in propria materia , est solum docens , & non vtens. Erit ergo vtens respectu solum topicæ & sophisticæ , quatenus in materia aliarum scientiarum syllogismos efficit probabiles : vnde meritè tunc dicitur cum rebus concreta.

8. Nihilominus , vt dicam quod sentio , nimis videtur coarctari Logica vtens ad materiam tantum probabilem , & incertam. Quapropter existimò totam Logicam esse vtentem , non secùs ac docentem , in quacunque materia veretur ; atque adeò docentem , & vtentem æquè latè patere. Ratio est , quia in omni materia præceptis , & modis suis vtitur , conficiendo syllogismos , & alia instrumenta sciendi , & consequenter est vtens.

Fateor tamen Logicam , dum primò regulas suas per actuales demonstrationes ostendit , non esse vtentem in ordine ad eas , quas actu demonstrat : quia , cùm dicatur vtens ex eo quòd præcepta à docente tradita exequitur , nec possit exequi , quæ nondum tradita sunt : non potest consequenter ea demonstratiuè tradere , simul & exequi. Per huiusmodi tamen actuales demonstrationes generatur habitus Logicae vtentis , siue distinguatur re ipsa à docente , siue noua , quia per eas producitur in intellectu facilitas quædam argumentandi absolute , non habita ratione materiae : quæ facilitas , vbi semel comparata est , promptum efficit intellectum ad argumentandum , siue in materia ipsius Logicæ , siue in materia aliarum scientiarum ; siue necessaria sit , siue tantum probabilis.

Dixi , Logicam non esse vtentem in ordine ad regulas , quas actu demonstrat , quia potest dici , & est de facto vtens , quando in una demonstranda , vtitur altera , iam priùs demonstrata , cui innititur , cuiusque dictum sequitur. Verbi gratia. Dum primò demonstrat hanc regula. Omnis legitima definitio constare debet proximo genere , & ultima differentia , & in ea demonstranda vtitur hoc syllogismo demonstratio. *Omnis oratio explicans naturam rei , debet constare genere proximo , & ultima differentia : sed definitio est oratio explicans naturam rei , ergo debet constare proximo genere , & ultima differentia.* Non est vtens respectu talis regulæ , quia tunc ipsam docet ; sed est vtens respectu actualis syllogismi , & demonstrationis , quia tunc non docet quomodo debeat fieri syllogismus , sed doctrinam eius supponit. Similiter quando ex regula definitionis iam demonstrata descendit ad aliquam definitionem particularem efficiendam , tunc non docet quomodo definitio debeat fieri , sed vtitur doctrinâ definitionis iam traditâ , ad illam particularem definitionem efficiendam. Erit ergo vtens , etiam quatenus demonstrativa est in propria materia , sequendo regulas , & præcepta antea tradita , eo modo , quo Geometria propositionem aliquam ē suis de-

monstrando, sequitur præcedentes iam demonstratas, præuisque præceptis  
vitetur.

9. Ex quibus respondeo ad argumenta in contrarium allata. Ad primum  
quidem: quod si Logica vtens, non sit scientia, de quo sequenti quæstione  
agemus. Ejus non erit considerare materiam, sed tantum promptè inducere  
formam differendi in instrumenta sciendi, dependenter, & ex directione do-  
centis, tanquam magistræ, cuius ductum sequitur. Et præterea ipsa non cli-  
ciet effectuē actus, ex quibus componuntur syllogismi demonstratiui, quia  
hoc pertinet ad habitum scientiæ, in cuius materia fiunt: sed tantum prom-  
ptè efficiet dispositionem actuuum intellectus in formam argumentationis. Si  
vero dicatur scientia, non erit vtens habitâ ratione illius regulæ, quam primò  
demonstrat, ut explicui, sed in ordine ad aliam, à qua dirigitur in demon-  
stratione aliqua efformanda: atque hoc modo considerationes vtentis, &c do-  
centis erunt formaliter diuersæ.

Ad secundum dicendum est vtentem vocari rebus concretam non ratione  
materia Logicæ, sed aliarum scientiarum, in quarum materia syllogismos  
effingit: vocari tamen vtentem respectu materia Logicæ quando in ea præ-  
ceptis traditis vitetur. Si quis tamen primæ sententia adhærere maluerit, satis  
aduertet Logicam, quatenus aliquam ē suis regulis demonstrat, licet vtens  
sit respectu regulæ alias demonstratae, non esse tamen vtentem respectu il-  
lius, quam actu demonstrat: atque adeo non habere vsum, quatenus demon-  
strativa est, nec in sua, nec in aliena materia.

10. Coeterum inficiandum non est Logicam peculiari ratione dici vtent-  
em respectu topicæ & sophisticæ, quia illi syllogismi censentur ad eam fa-  
cilitatem pertinere, ad quam pertinet medium, aut principia, per quæ con-  
clusio procedit. Nam virtus syllogismi dependet ex medio. Vnde eadem  
propositio, verbi gratia, quod terra sit rotunda, si probetur per media Ma-  
thematica, ut per figuras eclipsium, pertinet ad Astrologiam: si vero per  
media naturalia, ut per motum grauium ad centrum, pertinet ad Physicam,  
ut rectè docet Diuus Thomas prima parte. quæstione prima, art. 1. ad secun-  
dum, & 1. 2. quæst. 54. artic. 2. ad 2.

Cum igitur media & principia, per quæ Logica procedit ad differendum  
probabiliter in omni materia, sint ferè omnia propria ipsius Logicæ; ut locus  
à definitione, à toto, à similibus, ab oppositis, à genere, &c. Item in so-  
phistica locutus, ab equivocatione, ab accidente, &c. Hæc enim impor-  
tant aliquid de obiecto formalis Logicæ, siue illud sit intentio, seu relatio ra-  
tionis, siue aliquid aliud, de quo infra. Meritò tales syllogismi tribuuntur  
Logicæ vtenti, non solùm, ut ordinanti, sed etiam, ut effectuē clicant  
actus, ex quibus componuntur.

Adde quod Logica est ministra generalis omnium scientiarum, disponens  
intellectum ad earum acquisitionem. Per syllogismos autem probabiles pa-  
ratur via ad cognitionem scientificam, & sic rectè tribuuntur Logicæ, si nou-

vt elienti ; quando scilicet media , & principia non sunt propria illius ; saltem extrinsecè & reductiue ; tum ratione formæ , quam ipsa inducit ; tum ratione huius ministerij , & dispositionis generalis , quam præbet intellectui ad alias scientias . Vnde intelligitur quod dixit Aristoteles i. Topicor. cap. 2. & alibi proprium esse dialecticæ ex probabilibus differere in quauis materia.

## SECTIO III.

*An sit , & à quo sit Logica.*

**T**I. **D**ico primò admittendam esse Logicam artificialē , seu acquisitam . Ita communiter Philosophi . Probatur primo ipsā experientiā , qua videmus aliquos rectē discurrendo , & appositē contexere argumenta ; alios verò , licet acutos , vix unum ex alio posse deducere absque errore , & magna difficultate , quod satis indicat in illis esse habitualem aliquam facilitatem ad rectē discurrendum , quā isti careant . Vbi autem certis Logicæ præceptis instructi sunt , ad rectē ratiocinandū fiunt habiles , quæ mutatio , euidens est argumentum admittendam esse Logicam acquisitam , quā ad rectē discurrendum dirigantur .

Probatur secundo à pari . In artificiis , communi consensu reperiuntur quādam facultates , seu artes ad artificioſa opera debitē conficienda , vt in Architecto ars ædificandi , in Pictore ars pingendi , &c. Ergo in intellectu debet quoque admitti facultas aliqua , cuius beneficio aptè ratiocinetur , definit , diuidat , &c. Nulla enim appetit ratio , cur dari debeat ars docens modum rectē pingendi , & non detur facultas docens modum rectē discurrendi .

Probatur tertio . Natura non deficit in necessarijs : sed Logica maximè necessaria est homini , vt sine errore de rebus discurrat , & iudicet . Non enim minus errare solet intellectus in inuestigatione veri , quām voluntas soleat deflectere ab honesto . Sicut igitur natura prouidit homini scientiam moralem ad promouendam voluntatem ad honestum ; ita prouidisse debuit Logicam ad dirigendum eius intellectum in veri cognitione & inuestigatione .

Probatur denique . Logica necessaria est , aut saltem maximè utilis ad alias scientias acquireendas , vt ostenderemus infra : igitur admittenda est ad iuandū intellectum ad earum acquisitionem , ne illius conatus aut inanis sit , aut multū difficilis ad cæteras Philosophiae partes .

Dices : circa operationes naturales non datur ars , aut scientia directiua ex Arist. 6. Ethic. c. 4. neque enim eorum est ars , quæ sunt secundum natūram , inquit . Sed operationes intellectus sunt naturales : ergo non datur Logica carum directiua .

Respondeo . Operationes aliæ sunt , quæ non nisi certo modo possunt exerceri : aliæ varijs modis , & bene , vel male fieri possunt . Huius generis

sunt operationes intellectus. De primis loquitur Aristoteles, non de alijs, vt patet ex ipso textu.

12. Dico secundò Logicam habere primam suam originem à Deo, qui eam cum cæteris scientijs Adamo infuderit. Ita Diuus Thomas prima parte, quæstione 94. articulo 3. cuius rei hanc optimam rationem afferit, quia res primitus à Deo institute sunt, non solum, vt in scipis essent, sed vt essent aliorum principia, & ideo productæ sunt in statu perfecto, in quo possent esse principia aliorum. Homo autem potest esse principium alterius, non solum per generationem corporalem, sed etiam per instructionem & gubernationem, & ideo, sicut primus homo constitutus est in statu perfecto, quantum ad corpus, vt statim posset generare, ita constitutus est in statu perfecto quantum ad animam, vt statim posset alios instruere & gubernare. Non potest autem aliquis instruere alios, nisi habeat scientiam. Vnde primus parens sic à Deo institutus est, vt scientiam habuerit omnium, in quibus potest homo instrui.

Hoc patet 1. ex capite 2. Geneseos, vbi dicitur Adam imposuisse nomina animalibus iuxta proprias eorum naturas. *omne enim quod vocavit adam, anima vivens, ipsum est nomen eius*, quod tam breui tempore quo perficit in Paradiso, didicisse non potuit: accepit ergo cognitionem illam per infusionem à Deo. Et idem dicendum est de Logica & alijs scientijs.

Præterea. Si debuisset primus homo scientias proprio Marte comparare, longo nimium tempore fuisset ignorans, quæ ignorantia dedecebat statum illum innocentia in primo parente.

Denique rebus alijs corporeis perfectiones illas contulit Deus in principio, quas lapsu temporis comparare poterant, vt patet in arboribus cum suis fructibus productis. Ergo multò magis debuit creare hominem bene dispositum, & proximè aptum ad fructus mentis producendos, quales sunt cognitiones scientiarum.

13. Logica igitur ab Adamo transiit ad posteros usque ad Noë, & à Noë, eiusque filijs in orbis diuisione in varia terræ partes deriuata est, maximè in Armeniam, Ægyptum, Græciam, & Italiam.

Verum, Hominum incuria, obliuioni tradita est, donec tandem ab antiquis illis naturæ genijs, & sapientiæ arnatoribus reparari coepit: præsertim ab Architâ Tarentino, cui diuisio entis in decem prædicamenta tribuitur; à Crysippo, cuius opera per antonomasiam Logica vocabantur; à Socrate, cui inuentio inductionis, & aliarum quarundam argumentationum assignatur; à Platone, qui à Diuo Augustino lib. 8. de Civit. Dei cap. 4. Logicæ reparator creditus est. Sed præ ceteris ab Aristotele, qui in unum collegit ea, quæ à peritis Philosophis antea dicta erant, multaque ex propria inuentione adjecit, præcipue Syllogismorum rectè formandorum rationem. *Nam de Rheticis quidem, inquit ipsem cap. ultimo Elench. erant multa, & antiqua dicta; de syllogismis autem omnino nihil habuimus prius aliud.*

aliquid quidpiam, quid diceremus, quam morā perquirentes, multo tem-  
pore insudauerimus. In quo certe ita excelluit, ut in ceteris quidem rebus  
magnum se Philosophum ostenderit; in Logica vero Ansotum. Vnde  
dux, ac princeps in Logicæ reparatione est omnino habendus.

14. Quæres quâ viâ reparata sit Logica? Respondeo, duo ad hanc con-  
currifse, admirationem & experientiam; illam tanquam causam remotam;  
istam tanquam causam proximam. Ut enim r. 8. docet sanctus Thomas  
1.2. q. 32. art. 8. admiratio est desiderium quoddam sciendi, quod in homine  
contingit ex hoc quod videt effectum, & ignorat causam. Cum ergo veter-  
es illi Philosophi varios effectus cernerent, & causas eorum ignorarent, ra-  
piebantur in admirationem, & ad huiusmodi causas periesligandas incita-  
bantur; & ita sedulo studio & longâ observatione similium effectuum, uni-  
uersales cognitiones eliciebant, quas euulgabant communibus effectis. Vnde  
cum vellent rei aliquius naturam explicare per definitionem, nec scirent bonæ  
definitionis regulas, errabant saepè, & definitionem, quam concipiabant,  
rebus alijs conuenire mirabantur; donec tandem longa experientia & diu-  
turna reflexione supra suas cognitiones deprehenderunt omnem definitio-  
nem, explicantem rei naturam, eamque à ceteris distinguentem, corflare  
debere proximo genere & ultima differentia. Idemque de alijs instrumentis  
sciendi intelligendum est. Et ita potuerunt virtute Logicæ naturalis tradere  
præcepta bene definiendi, diuidendi, & argumentandi; atque ad eo paulatim  
Logicam inuenire seu reparare.

Per experientiam autem non hic intelligas observationem, seu cognitio-  
nem acceptam ex pluribus particularibus, in memoris retentis, quasi ipsa  
generare possit habitum scientificum; est enim cognitio plerumque fallax,  
cum versetur circa contingentia, & fallibilia: sed intellige experientiam,  
quam ipsem intellexit fecit circa suos actus, evidenter cognoscendo se  
non errare in suo discursu.

*QVÆSTIO II.*

## An Logica sit Ars , vel Scientia.

SECTIO I.

*Quid sit Scientia, & quid sit Ars.*

I. C I E N T I A tribus præscritim modis sumitur. Primo fusâ vocabuli significatione pro quacunque cognitione, probabili, vel certâ, siue habeatur per causam rei, circa quam versatur, siue non; quomodo Aristoteles cap. 2. ait: *prædicamentorum vocavit Grammaticam, Scientiam.* Secundo sumitur pro certa, & clara rei notitia, quo cunque modo habeatur, siue experimento sensus, siue euidentiâ terminorum: & sic comprehendit habitum primorum principiorum, quo habetur euidentissima cognitio absque discursu, ex sola terminorum notitia. Tertio sumitur propriissimè pro certa, & euidenti cognitione per discursum comparata.

Huiusmodi autem certa cognitio potest spectari in actu , vel in habitu : si spectetur in actu , dicitur scientia actualis , & est ipsamet cognitio , seu assensus , quem præbet intellectus alicui particulari conclusioni , qui tamdiu durat , quamdiu intellectus actu intelligit . Si autem spectetur in habitu , dicitur scientia habitualis , & est quædam facilitas ad eliciendam scientiam actualem , producta in intellectu ex multiplicatione similium cognitionum in eo perseverans , licet ipse nihil operetur .

In hac tertia acceptione definitur Scientia ex Arist. i. post c.2.habitus per demonstrationem acquisitus. Quomodo Scientia conuenit in esse habitus cum alijs habitibus intellectus, & ab ijsdem differt, quatenus per demonstrationem acquiritur, hoc est per certum & euidentem discursum ; à prudentia quidem & arte, que, cùm versentur circa singularia, non comparantur per cognitionem scientificam ; ab intelligentia , quia non acquiritur per discursum; ab opinione, quia non habet certitudinem, nec ei firmiter adharet intellectus; à Fide diuina, quia, licet sit omnino certa, non est tamen euidentis, sed obscura : si autem Fides humana fit, incerta est : denique à sapientia , quatenus hæc eminentiori quodam modo continet rationem intelligentiæ, seu habitus primorum principiorum , & rationem Scientiæ communis.

2. Quod spectat ad Artem, hac bifariam usurpari solet. Primo quidem pro quoconque habitu, quo aliquid agimus, aut ad agendum promptiores reddimur, quomodo Seneca Epist. 95. Sapientiam vocat Artem vitae: &

Arist. Arithmeticam, Geometriam, &c. Vocab Artes, licet rationem habent perfectæ scientiæ. Et in hoc sensu Fabius lib. 2. insit. cap. 18. tria eius genera constituit, dicens alias solum cognitione contentas esse, quas vocat *Σωρτηκάς*; alias in agendo occupatas, ita ut nihil operis post actum relinquant, quas vocat *πρακτηκάς*; alias denique aliquod opus externum efficiere dicit, & eas vocat *ποιητηκάς*.

Secundo sumitur Ars strictè pro habitu rectè aliquid efficiendi, & ita definitur ab Arist. 6. Ethic. cap. 4. habitus cum recta ratione effectiuus. Quid porro Arist. nomine effectionis intelligat, & quomodo effectionis, & actio inter se differant, magna est controuersia. Multi enim existimant actionem significare operationem, quæ voluntate & consilio suscipitur, quæque per se sub electionem, & libertatem cadit, atque ita pullo modo posse arti competere. Innituntur autem maximè c. illo 4. lib. 6. Ethic. jam citato vbi sic Arist. loquitur, *quia autem effectionis, & actio diuersum quid est, non actionis, sed effectionis esse Artem necesse est*, in græco ponitur pro effectione *πάθησις*; *πάθησις* vero pro actione. Et paulo antè, *neque illa Ars est*, inquit, *qua non sit habitus cum ratione effectiuus*; *neque illius huiusmodi habitus, qui non sit ars*. Vnde ex hoc capite male coligunt quidam juniores, Artes definiri habitum cum vera ratione actuum, vel effectuum, cum ibi Arist. contrarium afferat.

3. Dicendum tamen censco Aristotelem indifferenter usurpare nomen actionis, & effectionis, & utrumque arti tribuisse. Nam lib. 1. magn. moral. cap. 35. paulò post initium, dividit Artes in actiuas & factiuas, & eas quæ non relinquunt opus externum post operationem, qualis est Ars saltandi, citharisandi, &c. vocat actiuas, seu practicas: eas verò, quæ relinquunt opus externum post se, vocat effectiuas. Vnde ait in arte practica non esse aliud finem præter ipsam operationem: in effectuā verò esse aliud finem, scilicet aliquod opus externum, ut imaginem in Arte pingendi, domum in domificatiua. Neque obstat textus 6. Ethic. cap. 5. sic habens, *effectionis alius quam effectionis finis est, actionis verò non semper*, quasi diceret aliquando hoc contingere in actione. Non obstat, inquam, quia particula *non semper*, idem est quod *nunquam*, vel talis finis non est intrinsecus, & per se conueniens actioni, sed ab operante intentus; vel textus corrigi debet, & loco *ex aet.*, poni *ex aet' eti*, *non erit*, ut aliqui codices habent. Et hæc sit prima acceptio, seu differentia actionis, & effectionis ex Aristotele.

Secunda sit. Quod per actionem intelligatur operatio immanens, ut visio, visio, &c. quæ remanent in ipso agente, à quo procedunt: per effectionem verò intelligentur actiones transiunt, à quocunque principio procedant. Et ita usurpari ab Arist. 9. Metaph. cap. 8. textu 16. docet Diuus Thomas ibi lectione 8. & 1. 2. quæst. 57. art. 4. in græco tamen non est *πράξις*, sed *ἐργασία*, tum pro operationibus immanētibus, tum transiuntibus

Tertia denique est quod *actio* significet operationem moralem, ab ele-

ctione, & libertate dependentem, & ex principijs morum, regulisque prudentialijs, & virtutum dirigibilem: effectio verò significet operationes dirigibles ex præceptis suarum artium, nullà habitâ ratione per se regularum vitæ, & prudentiæ, & ita sumuntur 6. Metaph. c. 1. vbi Arist. distinguens scientiam operatiuam in actuam, & factiuam, ait idem esse agibile quod eligibile.

Quidquid porro sit de mente Aristotelis circa differentiam actionis, & effectiōnis; si inueniatur quædam facultas, quæ versetur circa operationes immanentes intellectus, & propriam habeat rationem artis, qualis est fortè Logica vtens, poterit definiri ex loco magnorum moralium citato, habitus cum vera ratione adiuus.

4. Très autem potissimum differentias assignari posse existimo inter scientiam, & artem, propriè dictas, quatenus sunt habitus intellectuales diuersi inter se, & ab alijs tribus supra enumeratis. Prima est quod scientia sit de objecto necessario, & circa vniuersalia versetur, quæ aliter se habere non possunt: Ars verò circa singularia, & contingentia, quæ possunt esse, & non esse.

Secunda est quod scientia acquiratur per demonstrationem, & habeat cognitionem rei per causam eius, per quam ita est, ut aliter se habere non possit: Ars autem non potest sic comparari, cum versetur circa res variabiles, & contingentes, quæ à circumstantijs, & rerum euentu sèpe dependent, ut pater in dominicatoria, medica, nauigatoria, &c.

Tertia denique est, quod ars operetur ex præsupposito aliquo fine, atque adeo aliter, & aliter. Ut supposito quod velis te ab hostibus tutari, aliter tibi fabricanda domus est, ac si eam tantum pro delicis velis. Scientia autem absolute versatur circa objectum suum, naturam eius, & proprietates considerans, independenter ab extrinsecis.

Quarta differentia potest addi, quod ars propriè dicta versetur circa effectionem in sensu. 4. c. lib. 6. Ethic. supra citati, hoc est circa actionem externam, & materiale, sed hoc modo ars liberalis, si quæ sit propriè ars, excluderetur à numero artium: ideoque de hac quarta differentia, licet communiter admittatur, nihil concludo; ut liberum cuique relinquant de natura, & de distinctione Logicæ vtentis, & docentis sentire quod voluerit, de quo infra.

5. Quæres quæ sint artes liberales, & quæ mechanicæ? Respondeo, liberales numerari septem, videlicet Grammaticam, Rhetoricam, Dialeticam, Arithmeticam, Musican, Geometriam, & Astrologiam hoc versu, prædicto ordine comprehensas.

*Lingua. Tropus. Ratio. Numerus. Tonus. Angulus. Astra.*

Mechanicæ quoque septem numerantur, nimirum Agric. Itura, Veteraria, Militaris, Nautica, Chirurgia, Textoria, Fabrilis, hoc versu expressæ ordine eodem.

*Rus, Nemus, Arma, Rates, Vulnera, Lana, Faber.*

Fatendum tamen est multò plures esse artes , quām quæ hic numeratæ sunt, vt est ars palestræ, ars pingendi, &c. Imò quædam ex his , quæ manu exercentur, non solent vñu communi mechanicæ nuncupari , quia majorēt quædam habent speciem dignitatis , quām aliæ , vt militaris , pictoria. Artes porro liberales dicuntur , quæ animum liberati hominis partem excollunt ; Mechanicæ vero , quæ corporis ministerio , & exercitio mancipantur.

## SECTIO II.

## Ostenditur Logicam esse Scientiam.

6. **D**ic o Logicam esse verè , & propriè scientiam, tertio modo , præcedenti sectione explicato , sumptam. Ita Diuus Thomas 4. Metaph. lectione 4. Scotus quæst. i. vniuersalium. Sotus q. 2. proemiali. Et alij satis communiter , contra quosdam juniores.

Probatur primò ex Arist. 1. prior. initio , vbi exp̄resē ait analyticam versari circa demonstrationem , & esse scientiam demonstratiuam. Est autem analyticā pars Logicæ.

Probatur secundò. Scientia est habitus per demonstrationem acquisitus ex 1. post. cap. 2. sed Logica est huiusmodi habitus. In ea quippe multæ fiunt demonstrationes , ex quibus iteratis producitur habitus scientificus. Verè enim , & euidenter demonstrat Logica in libris de interpretatione , quomodo altera contradictoriarum sit semper vera , altera falsa ; vniuersalem affirmatiuam non posse simpliciter conuerti , nisi in terminis æ qualibus. Item quomodo definitio rei naturam aperiat , quia partes eius essentiales continentur demonstrat etiam in libris Topicorum quando valeat argumentum à definitione , à genere , ab oppositis , &c. Præterea in libris analyticis euidenter ostendit modos utiles syllogismorum in qualibet figura: quā etiam ratione imperfecti reducantur ad perfectos , vel ostensiue , vel per impossibile. Ex quibus certis cognitionibus noui potest non generari vera , & propria scientia.

7. Probatur tertio , quia Logica habet verum subjectum , cui veræ proprietates conueniunt , quasque de eo euidenter ostendit per certa principia ; Ergo est propriè scientia , quia hæ sunt scientiæ conditiones. Probatur antecedens. Ostendit enim de suo objecto , verbi gratia , syllogismo , quod generet scientiam , si constet propositionibus veris , necessarijs , causisque conclusionis : quod pariat opinionem , si constet tantum probabilibus : quod ingerat veritatem , tantum apparentem , si procedat ex veris tantum apparenter. Iste enim syllogismus. *Omnis oratio constans propositionibus veris , necessarijs , causisque conclusionis , generat scientiam : sed syllogismus demonstratiuus est huiusmodi , ergo generat scientiam.* Non est minus euidentis , & necessarij , quām alijs quilibet in materia aliarum scientiarum.

formatus. Idemque de topico , & sophistico potest ostendi. Licet enim ille opinionem tantum ; iste vero errorem causet : tamen modus procedendi Logicæ in illis partibus est demonstratiuus.

Probatur quartò. Logica ministrat alijs scientijs communia instrumenta , quibus ipsæ comparantur , nempe modos definiendi , & argumentandi , ergo necesse est , vt euidenter ostendat hujusmodi instrumenta esse certa & infallibilia ; & consequenter , vt sit scientia. Antecedens admittitur ab omnibus. Probatur consequentia , quia , nisi logica euidenter demonstraret formas differendi , quibus aliæ scientiæ vtuntur , esse certas , & infallibilis , nulla alia scientia esset firma , quia assensus conclusionis semper cum formidine conjunctus esset , atque adeo certam cognitionem non pareret. Quæ ratio vim habet , etiam si Logica dicatur necessaria ad alias scientias , tantum secundum quid , hoc est valde utiles. De quo infra.

Ex his sequitur totam Logicam , hoc est quoad omnes suas partes , esse verè scientiam , quia in omnibus certas habet regulas , verasque demonstrationes , vt ostendimus. Licet autem in decursu varias efficiat argumentationes , tantum probabiles , & multas opiniones mixtas habeat , non ob id definit esse scientia , alioquin nullam ferè scientiam haberemus , cùm nulla lère sit , quæ multis non habeat opiniones , & conclusiones tantum probabiles.

8. Objicies primò Arist. i. Rhetor. cap. 2. vbi de Rhetorica , & de Dialectica sic loquitur. *De aliqua re definita neutra ipsarum est scientia: sed facultates quædam sunt parandi rationes.* Ergo ex mente Aristotelis Logica non est scientia , quia non habet determinatum objectum , circa quod versetur. Præterea 2. metaph. cap. 3. ait absurdum esse querere scientiam simul , & modum sciendi. Vbi per modum sciendi , intelligit Logicam , vt ait Auerroes , D. Thomas , aliquje ; & consequenter eam excludit à numero scientiarum , cùm scientiam à modo sciendi distinguat.

Respondeo ad primum locum , Aristotelem loqui de parte topica , non quatenus demonstratiua est , modo iam explicato , sed prout locos conimunes tradit ad eruenda argumenta probabilia circa res omnes , ad nullam scientiam particularem spectantes , & hoc intelligitur nomine facultatis , quæ significat habitum , quo qui instructus est , potest probabiliter , & in utramque partem disputare. Vnde non sequitur Logicam , quamvis remotè circa res omnes versetur , non habere materiam , seu objectum proximum determinatum , videlicet syllogismum , vt ostendemus , aut aliquid aliud.

Ad secundum locum dico Arist. tantum velle non esse addiscendas alias scientias simul cum Logica , quia ipsa tradit communem modum procedendi in illis , & ideo prius debet addisci. Dicitur autem modus sciendi materialiter tantum , quia circa illum versatur , tanquam circa propriam materiam , illumque tradit.

9. Objicies secundò. Scientia debet esse de rebus necessarijs , perpetuis , & certis , quæ aliter se habere non possunt , alioquin non esset certa , & infallibilis notitia : sed Logica non est de rebus certis , & necessariis , sed de

contingentibus, nimirum de syllogisino, & alijs differendi modis, qui possunt à nobis fieri, vel non fieri pro arbitrio, ergo non potest esse scientia.

Respondeo quod, ut bene ait Scotus quæst. 4. prologi sententiarum n. 41. de contingentibus multæ sunt veritates necessariae, quia actus, qui contingenter elicetur, concluditur necessario debere esse talis, ad hoc ut sit rectus, licet in se sit contingens, in quantum elicetur à potentia propria. Quamvis igitur syllogismus possit à nobis fieri, vel non fieri pro arbitrio: certo tamen & euidenter concluditur ipsum debere sic fieri, ut recte fiat. Enim vero necessitas alicuius rei, quatenus hæc ab aliqua scientia consideratur, non petitur ab eius existentia: hæc enim omni enti contingens est, Deo excepto: sed petitur ab essentialibus attributis, & conceptibus, sine quibus res, nec esse, nec intelligi potest, & hoc modo syllogismus est res necessaria, & certa. Necessaria enim sunt istæ propositiones, & sempiternæ veritatis. Syllogismus demonstratiuus est qui parit scientiam. Definitio constare debet genere & differentia, quia explicat naturam rei; sicut istæ in Physica. Omne corpus naturale est mobile. Omnis homo est animal. Quamvis in particulari istud, vel istud corpus, iste, vel iste homo producatur, aut intereat.

Denique licet, dum res aliqua accipit existentiam, producatur ipsius essentia actualis æquè, ac existentia: causa tamen producens non facit ut res producta tales postuler essentiam, & tales conceptus: ideoque non est contingens illi quod tales includat essentiam, licet sit illi contingens, quod hic, & nunc cum tali essentia producatur. Similiter licet Logica faciat in particuliari hanc definitionem, hunc syllogismum: tamen non facit ut definitio constare debit genere, & differentia; neque ut syllogismus constet tribus terminis, hoc & hoc modo ordinabilibus: sed hoc petitur ex; intrinseca dependencia eorum ad sua principia essentialia, quæ necessaria omnino sunt, & hoc modo à Logica, ut scientia est spectantur: atque adeò particularis effectio definitionis, syllogisni, &c. nullo modo potest auferre Logicæ rationem scientiæ.

II. Ex his colligere licet Logicam esse partem Philosophiæ, quia siue Philosophia dicatur scientia entis & veritatis cognitio, ut definit Iustinus martir dialogo aduersus Triphonem; vel comprehensio cuiuscunque admirabilis veritatis, ut Albertus Magnus tract. I. Logicæ cap. 2. aut cognitio rerum ut sunt, hoc est per suas causas, ut deducitur ex Arist. I. metaph. c. 2. dum ait homines ex cognitione effectuum, quorum causæ ignota erant, animum applicuisse ad philosophandum, hoc est ad causas talium effectuum indagandas. Cum Logica sit verè scientia, & rem per suas causas & principia demonstratiu cognoscat, ut ostendimus: non potest à numero partium Philosophiæ excludi; maximè, cum proprium eius sit modum philosophandi explicare, & alijs scientijs tradere.

Accedit communis illa diuisio Philosophiæ in naturalem, moralem, & rationalem, hoc est Logicam, ab antiquis communiter recepta, & profecta ab Stoïcis, ut vult Laërtius in vita Zenonis, & Plutarchus I. de placitis c. I.

Denique moralis censetur pars Philosophiae, quæ dirigit actus voluntatis ad honestatem moralcm, ergo & Logica, quæ dirigit actus intellectus ad veri inuestigationem, censeri debet pars Philosophiae. Non est enim potior ratio de morali: tum quia actus intellectus necessarij sunt dirigendis actibus voluntatis, tum quia satis communiter censentur illis nobiliores, sicut verum bono præstantius.

II. Neque obstat quod Logica sit instrumentum ad alias Philosophiae partes. Nam ut benè ait Boëtius prologo in porphyrium, manus est pars fabri, & simul instrumentum eius ad fabricandum malleum. Adde quod Logica, ut scientia habitualis est, non est propriè instrumentum ad alias scientias, sed instrumenta sciendi illis suppeditat.

Quod si Aristoteles contrarium sentire videatur multis in locis distinguendo Logicum à Philosopho, vt i. Topic. cap. 12. dicens ea quæ in disceptionem cadunt, aliter à Philosopho, aliter à Dialectico pertractari. Et c. 2. Dialecticam esse vtilem ad eas, quæ secundum Philosophiam sunt, disciplinas. Sumit in ijs, & similibus locis Philosophiam pro Metaphysica, aut pro scientia reali, distinctâ contra rationalem: Logicam vero sumit pro Topicis, quatenus probabiliter in omni materia differit; vel confundit Dialecticam cum Metaphysica. Dialectica enim aliquando sumitur pro quâuis scientia, vt notat Ammonius, & Philoponus in præfatione ad categorias Arist. quia omnis scientia verum falsumque dijudicat, & versatur in differendo, unde nomen Dialecticæ sumitur.

### SECTIO III.

#### *An prædicta ratio Scientiæ conueniat Logice docenti vel vtenti.*

12. **Z**A BARELLA cap. 3. lib. 1. suæ Logicæ existimat Logicam non esse scientiam, neque artem, sed habitum instrumentalem, contentum reductiuè sub habitu Scientiæ, cui inferuit. Cap. vero 5. ejusdem libri dieit Logicam vtentem esse scientiam, cum scientijs, quibus applicatur, identificatam, ita ut applicata Physicæ, nihil aliud sit nisi scientia naturalis; applicata Geometriæ, sit Geometria, &c. Nam Philosophia naturalis nihil aliud est, inquit, nisi congeries definitionum, syllogismorum, &c. in materia Physicæ formatorum: tales autem definitiones, syllogismi, &c. sunt usus Logicæ, seu Logica in usu posita, & applicata materiæ Physicæ. Illum sequuntur recentiores quidam.

Verum hæc sententia non placet. Primo, quia, licet nulla alia esset scientia, præter Logicam, posset ipsa vti præceptis à se traditis, in propria materia, & conficerere definitiones, diuisiones, & syllogismos de rebus ad se pertinentibus,

tinentibus, vt de propositionibus, de prædicabilibus, de argumentatione, de sophismatis. Nunc autem idem præstat, & ita vñus illius non est idem cum alijs scientijs.

Secundo. Instrumentum non potest esse idem cum te, ad quam est instrumentum: neque enim malleus. *A.* fit malleus. *B.* per vñsum, quo applicatur a fabro ad malleum. *B.* fabricandum: nec penicillus per vñsum, quo Pictori inferuit, fit imago, cui efformanda inferuit: sic enim eadem res esset prior, & posterior seipsa, siveque ipsius instrumentum, quod est absurdum: sed Logica est instrumentum ad alias scientias acquirendas, vt fatentur omnes; ergo per vñsum & applicationem ad eas non potest fieri idem cum illis.

13. Præterea. Ex Arist. I. Topicor. c. 2. & alibi, proprium est dialecticæ ex probabilitibus differere in quacunque materia. Quod de Logica vtente communiter intelligunt Philosophi, etiam aduersarij: tunc autem vñus ille non potest esse scientificus, vt patet, sed tantum opinatiuus: ergo non potest identificari cum scientijs, in quarum materia versatur, quia vñus non scientificus non potest identificari cum vñu scientifico, qui est scientiarum proprius. Igitur, si Logica potest applicari materiae probabili aliarum scientiarum, & tamen non fieri idem cum illis; quare non poterit applicari materiae necessariae earundem, & non transire in earum naturam? non est enim potior ratio ex hac parte, quam ex altera.

Quarto. Quando dicitur Logicam applicatam Physicæ, esse Physicam, vel per Logicam applicatam, seu per illius vñsum intelligitur ipse syllogismus, quatenus est actualis demonstratio Philosophiæ naturalis circa eius materiam, & objectum; vel intelligitur cognitio naturæ ipsius syllogismi quatenus tali cognitione vtimur ad illum formandum in materia Physicæ? Sed neutro modo Logica vtens potest dici Philosophia naturalis: non primo, quia in tali syllogismo duo possimus considerare, materiam scilicet, & formam: materiam quidem, hoc est actus intellectus, ex quibus ipse componitur quatenus sunt cognitiones de objecto Physicæ, elicite ab intellectu dependenter ab habitu Physicæ: & sic nullo modo pertinent ad Logicam, sed sunt totaliter ipsius Physicæ, vt per se patet: alioquin Logica eliceret cognitiones omnium scientiarum, quod est falsum. Igitur, vt sic, talis syllogismus non potest dici vñus Logicæ, seu Logica vtens.

14. Secundum, quod potest in eo considerari, est forma eius, hoc est dispositio, & ordo actuum in formam argumentationis. Sed, vt sic, non spectat per se ad Physicam. Talis enim forma non est Physica, sed Logica, à Dialectica vtente inducta; neque est idem cum eo, quod in tali syllogismo spectat ad scientiam physicam, hoc est cum actibus intellectus. Nam aliud sunt actus à Physica eliciti circa suum objectum, aliud ordinatio actuum in formam argumentationis, quia talis ordinatio, vel est ens rationis, vt multi dicunt, vel connotat aliquid præter actus, quidquid illud sit. Ergo vñus Logicæ in tali forma positus, non erit ipsa scientia naturalis, seu physica.

Adde quod forma syllogismi est separabilis ab aliis scientijs, vt patet isto

exemplo. *omne A. est B. omne C. est A. ergo omne C. est B.* Cùm ergo applicatur illis, non potest cum ipsis confundi.

Quod autem secundo modo spectata Logica vtens, non sit Physica, euidentis est, quia cognitio de natura syllogismi, omnimodè pertinet ad Logisticam, cùm sit de objecto Logicæ: cognitio autem quæ habetur de objecto Physicæ, est scientia naturalis. Ergo tales duæ cognitiones non possunt esse idem; atque adeò usus Logicæ hoc modo sumptus, non potest fieri idem cum scientia, cui Logica applicatur.

Denique inepta prorsus esset diuisio Logicæ in vtentem, & docentem: quin potius alia scientiæ deberent sic diuidi, quia Logica nunquam esset actiue vtens in materia aliarum scientiarum, sed tantum passiuè, atque adeò nulla esset ratio cur ipsa potius absolutè diuideretur in docentem, & vtentem, quam alia scientiæ. Quod est contra communem Philosophorum usum & doctrinam.

15. Posito igitur quod Logicæ vtens distincta sit à cæteris scientiis, queritur an ratio scientiæ, quam præcedenti sectione Logicæ conuenire ostendimus, tribuenda sit vtenti, an docenti.

Quod autem Logicæ docenti non conueniat potest probari primò, quia non est de rebus necessarijs, sed de contingentibus, nempe de effectione syllogismorum, qui possunt à nobis fieri, vel non fieri. Non alio enim vtitur Aristoteles argumento 6. Ethic. cap. 4. & 5. ad probandum artem, & prudentiam non esse scientias, nisi quia non sunt de necessarijs, sed ijs quæ à nobis efficiuntur. Quod autem Logica docens versetur circa effectiōnēm syllogismorum, traditur expressè ab Arist. cap. 4. operis analytici, vbi ait, sibi dicendum esse ex quibus, & quando, & quomodo fiat syllogismus. Sequitur ergo vera conclusio, quod Logica docens non sit scientia.

Præterea scientia est habitus per syllogismum demonstratiuum genitus ex 1. post.c.2. at Logica docens non est huiusmodi habitus, sed vtens. Ergo, &c. Probatur minor. Logica enim docens, tantummodo tradit regulas, & præcepta conficiendi syllogismos, &c. Vtens verò facit tales syllogismos. Cum igitur syllogismus in materia certa ex evidentibus principiis efformatus, sit actualis scientia, & usus proueniens à Logica vtente, non à docente, quia docentis non est efficere syllogismos, siue demonstratiuos, siue cuiuscunque alterius generis; Logica vtens generabitur per huiusmodi syllogistum demonstratiuum, & ita erit potius scientia, quam docens.

Tertio. Facultas illa, quæ docet modum conficiendi instrumenta mathematica, non est scientia Astrologiæ V. G. sed illa potius, quæ illis instrumentis vtitur certâ, & evidenti ratione ad astra, motusque coelestes contemplandos: neque Geometria, quatenus tradit modum conficiendi triangulum, est vera scientia Geometriæ, sed quatenus trianguli proprietates demonstrat. Ergo à simili, Logica docens, quæ tota occupatur in tradendis regulis ad conficiendos syllogismos, non erit scientia; sed potius vtens, quæ actuales demonstrationes efficit, quibus natura syllogismi, cæterorumque

ad Logicam pertinentium ostenditur.

Denique usus non auffert à re propriam eius rationem. V. G. usus mallei non auffert à malleo rationem mallei: sed Logica ex propria ratione est scientia: ergo per usum non definit esse scientia: & ideo usus illius erit verè scientificus, generans consequenter habitum scientificum, qui est Logica utens.

16. Hæc opinio est probabilis, quam sequi potest qui voluerit; qui autem noluerit, ad hæc & similia respondeat, ad Logicam docentem pertinentem, non tantum tradere præcepta conficiendi syllogismos: sed etiam eadem præcepta demonstrare per vera principia, & actuales demonstrationes, ad quas in particulari conficiendas vtitur Logicæ utente tamquam ministræ. Quomodo autem syllogismus, & cætera instrumenta sciendi, non sint contingentia, prout à Logica spectantur, supra explicatum est. Et licet demonstrationes actuales fiant à Logica utente quoad actualem ordinationem terminorum, & propositionum: Tamen, quia talis ordinatio fit ex directione Logicæ docentis, quæ certò non sit eam sic debere fieri, consequenter ratio scientiæ tribui debet Logicæ docenti, non utenti.

Præterea actualis demonstratio est doctrina actualis, & per tales demonstrationes Logica formaliter docet: ergo debet procedere ab habitu docente, vt sic, alioquin usus, & doctrina actualis non essent formaliter diuersa.

Denique licet usus ille, seu constructio materialis instrumentorum sciendi in particulari, non sit actus scientificus, non ideo auffert à Logica propriam rationem scientiæ, vt ex sequenti sectione constabit.

Erit ergo Logica utens Ars liberalis versans circa actus internos rationis, & definiri poterit *habitus cum vera ratione actius circa syllogismum, vel modum sciendi &c. occupatus*. Vtrum tamem dicenda sit ars propriæ, an verò solùm analogiæ, refoluendum est ex sequenti sectione de distinctione docentis, & utentis.



SECTIO IV.

*An Logica docens, & utens sint habitus realiter distincti.*

*Perfunctorie satis tractari solet hæc quæstio à Philosophis, quasi paruum habens momentum: non aspernandam tamen videtur mihi doctrinam continere, ideoque fusius eam hic agitare lubet, & sub problemate sustinere.*

• PRIMA PARS SECTIONIS.

*Logicam videntem, & docentem esse habitus distinctos.*

17. **P** Rima ratio. Ex communi consensu Philosophorū, habitus admitti debent ad tollendas difficultates: ergo vbi sunt diuersæ difficultates, debent diuersi habitus admitti: sed diuersæ sunt difficultates in Logica docente ad eius ediscenda præcepta, & in Logica vtente, ad ea executioni mandanda, vt patet in incipientibus, qui licet præcepta docentis optimè calleant, magnam tamen patiuntur difficultatem in efformandis syllogismis, etiam si tres termini eis assignentur: quæ difficultas deinde tollitur vnu argumentationis.

Respondeo negando minorem; ad cuius probationem dico eum, qui præcepta callet Logicæ docentis, esse sufficierter dispositum ad ea exequenda in particulari, modo rectè calleat; sicut ille, qui absolute nouit modum ædificandi, non experitur peculiarem difficultatem in aliquo loco particulari, per se loquendo. Incipientes autem nondum habent habitum perfectum docentis, nec species præceptorum eius in intellectu bene radicatas, & ordinatas.

Secunda ratio. Logica vtens, seu facilitas argumentandi acquiritur per syllogismos factos in quavis materia, certa, vel incerta, vera, vel falsa. Ergo eius habitus re ipsa distinguuntur ab habitu docentis. Antecedens est per se evidens, & à nobis infinitum est supra, dum diximus usum differendi in quavis materia probabili, maxime proprium esse Logicæ vtentis. Consequientia autem probatur, quia omnis scientia, qualis est Logica docens, est de rebus certis, & immutabilibus; ergo non potest versari circa materiam incertam, & contingenter: siue quia talis materia non potest habitum certum & infallibilem generare; siue quia est incapax, ut habitus scientificus aliquem actum circa ipsam producat. Aequaliter enim repugnat opinionem ab habitu scientifico, & habitu scientificum ab opinione generari.

Respondeo negando primam consequentiam, ad cuius probationem con-

cedo scientiam non posse generari à materia fluxa & incertâ : sed nego quod circa eam non possit versari per actus secundarios & imperfectos, pro quo.

18. Aduerte scientiam habere posse duplex actuum genus. Alij sunt primarij, quos ipsa per se primò respicit, eosque elicit, vt scientia est formaliter & in ordine ad ipsos specificatur atque definitur; & illi debent esse scientifici, seu demonstratiui, & consequenter circa materiam certam versari.

Alij sunt actus secundarij, & imperfecti, deficientes à ratione actus scientifici, defectu alicuius conditionis ad scientiam requisitæ, vt quia eam respicit tantum in particulari, & non in communi, quia medium, per quod procedit conclusio, non est necessarium, sed probabile tantum. Et isti actus non requirunt nouum habitum, quia non addunt peculiarem difficultatem supra primarios; sed continentur in virtute habitus scientifici, vel quatenus circa eius obiectum versantur, licet per medium contingens; vel quatenus eius directioni subduntur, ab eoque accipiunt principia, & media, quibus vntuntur. Quod maximè patet in actibus Logicæ vtentis; dependent enim à docente, vt dirigente, vt imperante, vt ministrante principia, & media, ex quibus procedunt, siue in materia propria ipsius Logicæ, siue in extranea aliarum scientiarum.

Et ita solutum manet argumentum: non prætermittendo tamen, ad communem rationem Logicæ vtentis, prout scientia non est, parùm referre qualis sit materia, dubia, vel certa, dummodo debita forma differendi seruetur, hanc enim primò, & principaliter respicit.

19. Tertia ratio. Differentiæ essentiales oppositæ, non possunt eidem habitui conuenire, quia sic eadem res poneretur iub dupli specie oppositâ; sed ratio artis, & ratio scientiæ sunt differentiæ essentiales, diuidentes habitus intellectus, tanquam in membra specie diuersa, vt patet ex 6. Eth. c. 3. ergo non possunt eidem habitui competere. Igitur Logica docens, & Logica vtens, sunt duo habitus realiter distincti, cum una sit scientia, & altera sit ars, vt diximus supra.

Confirmatur. Actus Logicæ vtentis, & actus Logicæ docentis, sunt diuersi specie, ergo non possunt ab eodem habitu procedere; nam habitus specificantur ab actibus, ita vt ex diuersitate specifica actuum, colligatur diuersitas specifica habituum. Antecedens constat, quia actus docentis sunt scientifici, non vero actus vtentis, & ita sunt diuerſæ rationis.

Respondeo, Logicam non dici artem, quasi intrinsecè constituantur ex propriâ differentiâ artis, prout ars est habitus diuersus ab alijs habitibus intellectus: sed dicitur tantum ars analogiæ, & per quamdam similitudinem, quam habet cum artibus propriè dictis, quatenus in eâ reperitur aliquid per modum operis artificialis, vt constructio syllogismi. Hac enim ratione Arithmetica, & Geometria, vocantur artes, quia in illâ opus numerandi, in istâ opus mensurandi reperitur. Item quia versatur circa particularia, & materiam sâpe tantum probabilem per aliquos actus secundarios, ad rationem

actus scientifici non pertingentes, ut dictum est præcedenti solutione; unde comparatione diuerorum actuum recte dici potest esse, & non esse scientia.

Ad confirmationem respondeo negando consequentiam. Quando enim non est diuersa difficultas in eliciendis huiusmodi actibus diuersis, possunt ipsi ab eodem habitu procedere: unde charitas elicit amorem Dei, & amorem proximi, & odium peccati, vt est offensa Dei.

20. Quarta ratio. Huiusmodi actus Logicæ vtentis, sunt productui aliquius effectus, siue termini, qui alias esse non potest nisi habitus: ergo vel debent producere distinctum habitum artis, vel augere habitum Logicæ docentis: sed non possunt augere habitum docentis, quia habitus scientificus, sicut non potest primò produci ab actibus non scientificis, ita non potest ab ijs augeri. Oportet ergo actus vtentis, cum non sint scientifici, producere & augere habitum, realiter distinctum ab habitu docentis.

Respondeo primò negando primum antecedens. Nam illi tantum actus debent augere habitum, in quibus eliciendis est difficultas, cum propter difficultates ponantur habitus acquisiti: at non est difficultas in actibus vtentis, diuersa ab ea, qua est in actibus docentis, & ita habitus Logicæ solum augetur per actus docentis.

Respondeo secundò ad minorem: Actus vtentis augere habitum docentis, non vt docens est, & scientia formaliter, sed vt est vtens & ars. Quando enim actus versantur circa idem objectum sub eadem ratione formaliter, producunt eundem habitum. Quod si tales actus differant secundum aliquam conditionem, in habitu ipso erunt quoque diuersæ conditiones, & quasi formalitates; idem autem est obiectum vtentis, & docentis, vt syllogismus, &c. sed quia hic consideratur à docente in-communi, & scientificè: ab vtente vero efficitur in particulari, ideo actus docentis est scientificus, non vero actus vtentis, ex probabili illa sententia: vterque tamen eundem realiter habitum auget, ille quidem sub ea ratione, quâ est scientia, iste vero quatenus est ars.

Quia tamen actus vtentis elicitor ex directione docentis; docens tunc etiam perficitur, vt docens est. Simili enim ratione, quando aliquis actus virtutis, verbi gratia, temperantiae exercetur ex directione prudentiae, ipsa prudentia perficitur, & augetur.

21. Instabis. Ratio artis, & ratio scientiae: Item ratio vtentis, & ratio docentis, non sunt distinctæ in habitu Logicæ à parte rei: ergo ex parte rei non potest augeri habitus secundum unam, & non augeri secundum aliam.

Præterea. Quando augetur aliquis habitus, debet sentiri facilitas ad omnes actus, respectu quorum dicitur habitus: sed Logica est unus, idemque habitus respectu actuum vtentis, & docentis, ex opposita sententia: ergo non potest in se realiter augeri, quin sentiat maior facilitas respectu omnium, ergo debet augeri, etiam vt docens. Quod falsum est.

Denique augmentum habitus Logicæ, quod procedit ab actibus vtentis, est eiusdem essentiae, & rationis cum augmentatione, quod procedit ab actibus

docentis , alioquin non componerent eundem naturaliter habitum , sed diuersos : at quando procedit ab actibus docentis , facilitat ad similes actus ; ergo etiam debet ad eosdem facilitare , quando procedit ab actibus vtentis . Quod cùm falsum esse constet , necesse est dicere augeri habitum distinctum ab habitu docentis .

Respondeo ad primum , non augeri habitum per omnes actus suos , sed tantum per actus quos elicituè producit . Si ergo syllogismus fiat in materia aliarum scientiarum , elicituè producitur ab ipsis , & directiuè tantum à Logica docente , quæ ideo non augetur per illam confectionem præcisè , sed tantum per cognitionem , quâ simul cognoscitur quomodo ille syllogismus fieri debeat ; sicut per saltationem non augetur habitus , quo quis cognoscit modum saltandi , & quo saltationem dirigit .

Si verò syllogismus fiat elicituè à Logica , vt contingit quando fit in propria Logicæ materia . Dico ad primum instantiam : rationem docentis , & rationem vtentis non esse distinetas ex parte rei in ipso habitu , & consequenter vtramque augeri secundum rem , sed non augeri vtramque quoad facilitatem : quia , quando habitus habet diuersos actus , non acquiritur maior facilitas , nisi respectu actuum similium his , per quos ipse habitus augetur : & ita per actus vtentis acquiritur maior facilitas ad actus vtentis : per actus verò docentis , ad actus docētis : vnde patet solutio ad secundam & tertiam instantiam .

Dices : habitus ideo facilitat ad illos , vel illos actus , quia est talis naturæ , non verò quia ab illis producitur . Nam si à solo Deo produceretur , daret facilitatem potentiae , in qua esset , ad omnes suos actus , ergo prædicta responsio vana est .

Respondeo negando antecedens : licet enim habitus à solo Deo infusus , ad utrosque actus æqualiter facilitaret : acquisitus tamen facilitaret potius ad actus similes illis , per quos acquiritur , & augetur : vnde non tantum facilitat , quia est talis naturæ : sed etiam , quia est sic acquisitus .

22. Quinta ratio . Licer aliquis speculatiuè sciat per prudentiam , in quo consistit actus virtutis , verbi gratia , temperantiae : eget tamen habitu temperantiae , distincto ab habitu prudentiae , ad illum actuū faciliter eliciendum : ergo à pari , licet aliquis speculatiuè sciat per Logicam docentem , in quo sit formalis ratio syllogismi , egebit distincto habitu ad syllogismum in particulari faciliter efficiendum .

Respondeo negando paritatem : quia virtus temperantiae duplīcēm facilitatem petit : alteram in intellectu , quâ prudenter iudicet de abstinendo in tali , & tali circumstantia : alteram in appetitu , quâ velit abstinere : sicut in Musica per instrumenta , alia facilitas requiritur in intellectu , quâ recte iudicet de regulis artis : altera in manu , quâ prompte & recte citharam pulset . At verò Logica vtraque , docens numerum , & vtens , petit tantummodo facilitatem intellectus , quæ sufficierter vnico habitu comparatur .

Sexta ratio . Illi habitus realiter inter se distinguntur , quorum unus est prior alio realiter : sed habitus docentis , est realiter prior habitu vtentis , illi

respondente : ergo est realiter ab ipso distinctus. Probatur minor. Nam ex sententia Thomistarum , de qua in i. q. n. 7. negantium satis communiter istam distinctionem : Logica, qua in omni materia docens est, nullum habet usum , nec consequenter est vtens , quatenus demonstrativa est, siue in sua, siue in aliarum scientiarum materia : ergo tunc reperitur habitus docentis, per demonstrationes actuales productus , absque habitu vtentis : prius quippe debent tradi præcepta à docente , quām præceptis traditis vti possit , illae exequi.

Respondeo negando minorem. Habitus enim docentis est tantum prior ratione ratiocinata , habitu vtentis , seu scipio , vt vtens est : quatenus nempe elicit prius actus docentis circa regulas & præcepta tradenda , quām actus vtentis , circa executionem eorumdem præceptorum : sicut in homine prius exercentur actus vegetandi , deinde sentiendi , & ultimò ratiocinandi , quamvis ab eodem radicali principio oriuntur .

### SECUNDA PARS SECTIONIS.

*Logicam docentem , & vtentem non esse  
distinctos habitus.*

23. **S**ECUNDA sententia : Logicam , docentem scilicet , & vtentem , non esse duos habitus reipsa distinctos , sed eundem officiis tantummodo diuersum : defenditur satis communiter à Thomistis : ita ut idem habitus dicatur Logica docens , quatenus regulas , & præcepta dislegendi tradit : vtens verò , quatenus concurrit ad confectionem instrumentorum sciendi , & præcepta à docente tradita exequitur , vt satis insinuatum est in solutionibus argumentorum , quæ pro parte affirmativa iam attulimus .

Prima igitur ratio ad probandam hanc opinionem sic procedit. Habitus multiplicantur propter diuersas difficultates : igitur vbi non sunt diuersæ difficultates superandæ , non sunt statuendi diuersi habitus : sed actus Logice vtentis non addunt nouam difficultatem supra actus docentis , ergo pertinent ad unum , & eundem habitum. Minor constat. Vbi enim intellectus apprimè didicis per Logicam docentem , naturam instrumentorum sciendi , & quo modo confici debeant , nullo negotio procedere potest ad eadem in particulari conficienda : quod si aliquam in hoc difficultatem experiatur , provenit ipsa ex materia , & defectu medijs , quod in formandis syllogismis saepè non occurrit : quæ difficultas est per accidens , vt patet in simili de Architecto , qui ob loci difficultatem , & situm non ita commodè potest ædificare .

Respondeo negando minorem , ad cuius probationem , dico intellectum Logicæ docente informatum posse absolutè confidere instrumenta sciendi , sed non facilè absque nouo habitu : neque hæc difficultas provenit per accidens

dens ex materia, & defectu medijs, quia licet tres assignentur termini incipientibus, non possunt tamen promptè eos ordinare, defectu habitus Logicæ videntis, vt satis probabiliter ostendunt argumenta pro contraria opinione iam allata.

Secunda ratio. Logica docens, & vicens non distinguntur specie: utraque enim versatur circa idem obiectum materiale, & formale, nempe syllogistum, vt constabit ex quæstione de obiecto Logicæ: iisdem etiam principiis videntur: ergo neque distinguntur habitu. Probatur consequentia, quia duo accidentia, solo numero diuersa, non possunt esse in eodem subiecto: sed habitus docentis, & videntis essent distincti solo numero, quia eiusdem essent speciei: ergo non possent in eodem esse intellectu.

Respondeo, quidquid sit de antecedente, negando consequentiam, ad cuius probationem, dico duo accidentia, quamvis alioquin specie conueniant, posse in eodem reperiri subiecto, si diuersa habeant officia, & diuersas habitudines: quomodo se habent habitus docentis, & videntis; ille enim præcepta tradit, iste promptè, & facile exequitur.

Tertia ratio. Vsus differendi non potest reduci ad suam artem, nisi ratione formæ, quam habet; ergo tribui debet arti, seu habitui, qui formam illam docet, & prescribit: sed hic est habitus Logicæ docentis, ergo ipsum etius instrumentorum sciendi prouenit ab habitu Logicæ docentis; non quidem, vt docens est formaliter, & præcisè, sed quatenus est vicens: Et sic non erunt duo habitus diuersi realiter, sed officijs tantum.

Respondeo usum differendi ratione formæ reduci ad Logicam docentem, quatenus ipsa prescribit talem formam; ad videntem vero quatenus ipsa in particulari illam formam efficit, & inducit in instrumenta scendi: quæ particularis effectio particularem habet difficultatem, & ideo speciali postulat superari habitu. E. hæc de ista quæstione sint satis.



論語卷之三

## QVÆSTIO III.

An Logica sit Scientia practica vel speculativa.

### SECTIO I.

#### *De natura Praxis, & speculationis.*

Cum Scientia dicatur practica, vel speculativa à praxi, aut speculatione. duo nobis praemittenda sunt ante huius quæstionis resolutionem: primum quid sit praxis, & speculatio, secundum utrum ratio praxis conuenire possit actibus intellectus.

### PRIMA PARS SECTIONIS.

#### *Quid sit praxis, & quid speculatio*

**P**RAXIS in communii idem est, quod actio, seu operatio, à verbo græco πρᾶσις, id est ago, seu operor: & definitur à Scoto in prologo sententiarum, quæstione ultima, numero tertio, hoc modo *Praxis est actus alterius potentia quam intellectus naturaliter posterior intellectione, natu elici conformiter recte rationi, ut sit actus rectus.* Id est. Praxis non est actus intellectus, sed potentia ab intellectu diuerxæ; qui, cum debeat dirigi, & regulari ab intellectu, debet consequenter esse posterior intellectione, quia regulatum supponit regulam: Et quia quod regulatur, non potest recte fieri, nisi conformetur regulæ suæ, ideo bene additur, quod praxis debeat esse apta conformari rectæ rationi, ut recta sit.

Potest autem duplex rectitudo distingui in aliqua operatione: altera in ordine ad appetitum rectum: altera sine ordine ad appetitum, sed potius ad habitum, seu facultatem elicentem, aut præscribentem huiusmodi operationem. Verbi gratia, si quis recte pingat secundum regulas artis, sed male intentione, seu fine: talis actio erit recta in ordine ad artem; sed non in ordine ad voluntatem, seu appetitum: si vero male pingat, & bona tamen intentione pingat: actio non erit recta in ordine ad artem; erit tamen recta in ordine ad appetitum: si autem bene, & bona intentione pingat, recta erit vtroque modo, & utraque rectitudine.

Ex Scoto igitur & Scotistis, atque etiam Thomistis communiter, actio, seu praxis, quæ dicitur nata elici conformiter rectæ rationi: significat quamcunque operationem, cuius rectitudo, vel obliquitas sumitur per ordinem

ad principium electuum , hoc est voluntatem , seu appetitum rationalem : atque adeo sola voluntatis actio elicita , dici potest praxis simpliciter , & prima , siue essentialis praxis : actiones verò aliarum potentiarum , quæ voluntatis imperio subduntur quoad mores , & actus virtutum moralium , sunt tantum praxis secundum quid , & participatiuè , quatenus aliquam libertatis rationem à voluntate dependentem obtinent . Vnde ex his Authoribus sola illæ operationes propriam habent rationem praxis , à quibus boni , vel mali simpliciter dicimus : nullus autem ex eo quod sit bonus Logicus , Physicus , Geometra , &c. absolute , & simpliciter bonus dicitur : & sic nullus actus intellectus erit praxis .

2. Quod spectat ad speculationem : ex ijsdem Authoribus & consequenter supra dictam praxis definitionem , ipsa definiri solet *actus solius intellectus non ordinatus ad aliquam operationē alterius potentiae ab intellectu diversa regulandam ; sed eß gratia ipsius scire seu tendens in obiectum tantum visciat & ob solius veritatis cognitionem*. Dicitur *solius intellectus* Quia ipse solus est potentia speculativa , seu veritatis contemplatrix , tunc solius visus est videre , quia ipse solus est potentia visiva . Aliae particulæ adduntur , quia si hujusmodi actus intellectus ordinetur ad directionem alterius actus ejusdemmet intellectus , quamvis remissè sit speculatio , non amittit tamen simpliciter specificam rationem speculationis , quia semper tendit ad cognitionem veri , quod est propria perfectio intellectus , & omnium ejus actuum ; vnde ex hac definitione nullus actus intellectus erit praxis . Quod jam examinandum est .

## SECUNDA PARS SECTIONIS.

*Praxim non conuenire actibus intellectus.*

3. **P**O TEST probari hæc opinio multis argumentis , quæ , vt eam problematicè sustineamus , proponenda à nobis sunt , & soluenda . Primum petitur ex Aristotele<sup>z</sup> , de anima cap. 10. text. 49. vbi ait intellectum practicum esse , qui alicuius gratia ratiocinatur , quique principium est agendi . Debet autem intelligi quod sit principium agendi extra se , & de actione alterius potentiae , alioquin non differret ab intellectu speculativo , quia hic est etiam principium agendi intra se . Ex quo loco deductum est dictum illud commune *intellectus extensione fit practicus* . Citatum à Scoto in Prologo Sententiarum quæst. ultima , n. 2. & Diauo Thoma 1. parte q. 79. art. II. in argumento *sed contra* : & quæst. 14. de veritate artic. 4. Sistendo autem præcisè in actibus intellectus , non potest dici ipse extendi , quia extendi est extra se tendere . Vnde , cùm practicum dicatur à praxi : vt intellectus possit vocari practicus , debet respicere , & regulare actum potentiae à se diuerse : & ita praxis erit actus alterius potentiae , quam intellectus , putà voluntatis .

Respondeo (quidquid sit de opinione Authorum an illud dictum commune censeri debeat recte deductum ex illo Aristotelis loco : multi enim hoc negant) hunc esse sensum illius. Iudicium intellectus non est practicum dum sicut in cognitione objecti , sed dum vterius fertur , & ad aliam ordinatur actionem , siue ab intellectu , siue ab alia potentia elicita. Est enim per accidens ad rationem praxis ; quod elicitur a voluntate , intellectu , aut qualius alia potentia , dummodo ab ipso iudicio dirigatur , & reguletur.

4. Secundum argumentum sumitur ex eodem Aristotele , qui loco citato de anima , ait appetibile esse principium intellectus practici. Atque adeo intellectus non erit practicus nisi in ordine ad appetibile , seu objectum appetitus , quod est bonum. Vnde 6. Ethic. c. 4. ait prudentiam esse habitum circa agibilem occupatum , quorum agibilium in agente principium est electionio. Et 6. Metaph. cap. 1. ait idem esse agibile quod eligibile. Et ita solae actiones , quae ex libertate , & electione procedunt , habebunt rationem praxis , quales sunt actiones a voluntate elicite , vel imperatae , a quibus boni , vel mali simpliciter dicuntur.

Respondeo Aristotelem satis indifferenter usurpare nomen praxis. Nam primo magnorum moralium , cap. 35. vocat practicas artes illas , quae non relinquunt opus externum post se , ut est ars citharifandi , saltandi , &c. & earum operationem vocat praxim : caruam vero , quae relinquunt opus externum post operationem , ut ars aedificandi , vocat effectiōem : Tales autem artes , quas vocat practicas non versantur circa mores , a quibus mali , vel boni simpliciter dicuntur , ut notum est.

Quare Aristoteles per praxim forte intellexit quamcunque operationem inmanentem , ut 9. metaph. c. 9. secundum interpretationem Diui Thomae , de qua supra q. 2. n. 3. siue transiuntur , non relinquentem opus externum , ut loco iam citato magnorum moralium , vel aliquando sumpsit strictè praxim , eamque arti denegauit : aliquando late , eamque arti concessit. Vnde eodem capite ait . siquidem in faciendo potius , quam in agendo est artem exercere. Vbi particula potius utrumque indicat. Et Scotus ipse 6. metaph. q. 1. sic eam usurpat dum Logican practican dici posse concedit his verbis . Ad primum argumentum de Logica potest dici quod Logica sit practica , quia non est tantum propter scire proprium sed propter scire directum in aliquo actu. Vbi per praxim intelligit quodvis operabile cuiuscumque sit potentia.

Vel breuius dici potest duplex esse genus praxis ; alia est moralis , pendens a regulis prudentiae , & virtutum ; alia artificialis , pendens ab alio quouis habitu , dirigente , & regulante , ut supra insinuatum est. De Morali loquitur Aristoteles loco citato Ethicorum , & in alijs similibus : de Artificiali vero , loco citato magnorum moralium. Et ita ex Aristotele nihil prohibet dari praxim in intellectu , quae recta erit artificiose , si fiat secundum regulas artis , &c.

5. Tertium argumentum. Quod dirigit , prius est eo , quod dirigitur , vt sic ; omne enim regulatum supponit regulam. Ergo quod ab alio , natura sua

dirigibile est, posterius est naturaliter eo, à quo est dirigibile: sed omnis praxis naturā suā est dirigibilis ab intellectione, seu à judicio intellectus ergo omnis praxis est naturā suā, intellectione posterior; atque adeò nulla intellectio est praxis.

Respondeo multos esse actus intellectus, qui naturaliter presupponunt alios actus ejusdem intellectus, ut judicium conclusionis presupponit judicium de præmissis, de principijs, de causis, à quibus dependet: & cum cognitiones specificentur à rebus cognitis, talis poterit esse ordo naturalis inter cognitiones, qualis erit inter res cognitas, ob naturalem dependentiam vias rei ab alia, sive in esse, sive in cognoscibilitate.

Potest igitur concedi totus argumenti processus, nisi in eo quod afferit primum esse posteriorem omni intellectione absolute, simpliciter, & naturaliter: hoc enim solum verum est de praxi potentiaz ab intellectu diuersæ: si vero praxis sit actus intellectus, sufficit ut sit posterior illâ intellectione, à qua dirigitur, & regulatur.

6. Quartum argumentum. Praxis debet distingui contra speculationem; ut notum est; sed omnis actus intellectus est speculatio, quia est veritatis cognitio: igitur nullus actus intellectus potest esse praxis.

Respondeo. Si hoc argumentum valeret, cinnis habitus intellectus esset speculatiuus; quia habitus ille est speculatiuus, cuius actus est speculatio: sed omnis actus procedens ab habitu intellectus, esset actus intellectus, & consequenter speculatio: ergo omnis hujusmodi habitus esset speculatiuus: quod patet esse falsum.

Quapropter negandum est omnem actum intellectus esse speculationem. Non enim à potentia, & à causa efficiente debet sumi differentia praxis, vel speculationis, aut practici, vel speculatiu: sed ab objecto, & à principali fine, ad quem ordinantur, & referuntur. Vnde, si sit aliquis actus intellectus, qui non sistat in objecto cognito, sed referatur ad opus, sive intra ipsum intellectum, sive extra, poterit dici practicus respectu talis operis: & tale opus, quanvis sit opus intellectus, ut putat constructio syllogismi, poterit dici praxis.

## TERTIA PARS SECTIONIS.

*Primum competere actibus intellectus.*

7. **O**PPOSITA sententia, ratione nimirum praxis posse actibus intellectus competere, est Gregorij Ariminensis, quæst. 5. prologi art. L Ochain, q. 4. Gabrielis q. 10. & quorundam recentiorum, secundum quos praxis est operatio, aliquo modo humana, seu rationalis, quatenus dirigibilis est, & regulabilis ab intellectu, à quacunque potentia procedat.

Quæ sententia probari potest primò. Quia actus intellectus qui præscribit modum conficiendi syllogismum mentalem, V. G. est verè practicus: ergo ipse syllogismus est verè praxis, & consequenter ratio praxis cadit in aliquem actum intellectus. Probatur antecedens. Nam judicium practicum differt à speculatio, quod speculatiuum conformietur rei cognitæ, tanquam suæ mensuræ, practicum verò sit mensura, cui res ipsa conformari debet, vt satis patet ex 6. metaph. initio, & patentur Authores contrariæ sententiæ: sed judicium de conficiendo syllogismo, est regula, & mensura, cui conformari debet syllogismus, ad hoc vt rectè fiat: sicut judicium Architecti, est mensura, cui domus fabricanda conformari debet, vt rectè fabricetur: ergo tale judicium erit practicum, & consequenter syllogismus erit praxis.

Respondeo negando primum enthymema; & ad probationem antecedentis, concedo differentiam assignatam inter judicium practicum, & speculatiuum, esse legitimam, modo omnes aliae adsint conditiones ad judicium practicum requisitæ, quarum una est, vt versetur circa operationem potentiarum ab intellectu diuersæ, vt satis probabiliter ostensum est in prima parte huius sectionis, & patet ex ipso Aristotele ibidem.

Vel respondeo, admissa absolutè majori huius probationis, negando minorem. Nam potius judicium, vt rectum sit, debet conformari principijs, & essentiæ syllogismi: ipse enim habet essentiam suam fixam, & immutabilem, dependentem à principijs per se notis, & immutabilibus, quibus judicium de syllogismo, conformatur, non contra. Vnde syllogismi in quatuor modis directis primæ figuræ sunt ita evidentes, vt non possint probari per notijs: quod tangemus infra q.5. signum ergo est quod judicium non sit eorum regula, sed potius ipsi sint prima veluti principia.

8. Probari potest secundò, quia ad hoc, vt actus aliarum potentiarum sint praxis, sufficit ut subsint directioni intellectus, & voluntarie, seu liberè fiant, siue sint eliciti à voluntate, siue imperati, ex Scoto & alijs contraria sententiæ authoribus: sed utraque hæc conditio potest competere actibus intellectus: igitur actus intellectus poterunt esse praxis. Probatur minor. Nam actus studij, contemplationis, &c. imperatus à voluntate, & directus à prudentia, ea ratione, vt fiat tali tempore, tali modo, & cum debitis circumstantijs, voluntarie & liberè fit, & directioni intellectus subest; ergo vt sic, habet utramque conditionem pro praxi aliarum potentiarum assignatam, & consequenter est propriè praxis.

Respondeo negando minorem; ad cuius probationem dico hinc sequi nullam scientiam esse speculatiuum, quia omnes actus cuiuscunque scientiæ possunt hac ratione liberè elici ex imperio voluntatis. Quando ergo dicitur praxis procedere ex electione, debet intelligi de illis operationibus, quibus per se conuenit ab electione procedere, quas constat esse operationes virtutum moralium, quibus intrinsecè conuenit moralitas, & ratio voluntarij non verò actibus intellectus. Licet enim ab eodem intellectu dirigantur, & à voluntate imperentur; ratio tamen liberi, & moralis se habet per acci-

dens ad eos : eodem quippe modo dirigerentur , siue liberè , siue necessariò dirigerentur : vnde non sunt praxis essentialiter , specificatiè , & secundum se : sed tantùm impropriè , & extrinsecè , denominatione petità à libera voluntatis electione : & sic prudentia , quæ est habitus intellectus , dicitur practica per ordinem ad electionem voluntatis , quam respicit ; non verò per ordinem ad actus ejusdem intellectus , quos dirigit .

9. Probari potest tertio ( & est veluti confirmatio præcedentis argumenti ) hoc modo . Actus speculatius est propter seipsum tantùm , & propter cognitionem solius veritatis : sed actus intellectus , quo ipse judicat , tali , vel tali modo esse contemplandum , & vacandum orationi , non est propter seipsum tantùm , sed propter dirigendos alios actus : neque est propter cognitionem veritatis , sed propter directionem alicujus potentiar in operando ; neque denominatur , vt sic , verus , vel falsus , sed bonus , vel malus moraliter : ergo tunc actus dirigens comparatur practicè ad directum ; ergo & directus , tanquam praxis ad dirigentem , & sic talis actus intellectus non erit speculatio , sed praxis .

Respondeo in hoc argumeto multa inuolui , quæ breuiter oportet explicare . Ad maiorem ergo dico non esse opus , vt actus speculatius sit propter seipsum tantùm , quasi non possit ad alium actum speculatiuum ordinari : nam actus præmissarum in syllogismo Physicæ ordinantur ad actum conclusionis , &c. atque adeò judicium speculatiuum de rectè contemplando , poterit ordinari ad actum speculatiuum contemplationis , seu orationis .

Ad minorem verò dico in actu contemplationis duo spectari posse ( & idem de similibus esto judicium ) primum est ipse actus , quoad substantiam , & quatenus est actus intellectus : & vt sic , est mera speculatio , accipiens suam speciem , suam naturalem rectitudinem , & quasi directionem ab obiecto , independenter à prudentia : erit enim rectus , si fuerit objecto conformatis . Secundum , sunt ipsæ circumstantiæ , quas præscribit prudentia , dependenter ab electione , & imperio voluntatis : & , vt sic , talis actus est liber , & bonus quoad exercitium , extrinsecè , & denominatione à libertate voluntatis , vt dictum est ; atque adeò actus virtutis , & praxis sub eadem consideratione & dependentia .

## SECTIO II.

*In quibus scientia practica & speculativa differant.*

10. **Q**UAMVIS scientia speculativa , & practica in hoc coueniant , quod quælibet suum objectum compleetur , ejusque cognitionem affectet ; dupliciter tamen inter se differunt , scilicet ratione objecti , & ratione finis . Ratione quidem objecti , cuia scientia practica necessariò debet versari circa rem operabilem ab eo , qui scientiam habet;

speculatiua verò secundum se non versatur circa rem operabilem à scientia, licet contingere possit, ut ab eo sit operabilis: nam triangulum, quod est objectum Geometriae, potest effici à Geometra, licet talis scientia sit pure speculatiua. Vnde Aristoteles 6. Metaph. c. i. ait speculatiuam esse circa rem habentem in se principium sui motus, sibi intrinsecum; & dat exemplum in Physica, quæ versatur circa corpus naturale, habens in se principium motus: practicam verò ait esse circa rem, cuius principium est in ipso scientie, siue tale principium sit intellectus, siue ars, siue aliqua alia potentia. Atque adeò sicut scientia practica distinguitur à speculatiua ex objecto, circa quod versatur; ita ab eodem objecto constituitur in esse practicæ, quia ex dicto communis, per illud res constituitur, per quod ab aliis distinguitur.

Secundū differunt ex parte finis, quia finis scientiae speculatiuae est consideratio veritatis, & cognitio sui objecti; ita ut ea habitare, quiescat, quia fine posse, non est quid queratur amplius: practicæ vero finis est operatio; ita ut ipsa non sit contenta objecti sui sola cognitione, sed eam ad aliquid aliud refert, tanquam ad ultionem finem, qui non potest esse, nisi operatio transiens, aut immanens, hoc est praxis, juxta dicta praecedenti sectione: Et sic Arist. 2. metaph. c. 2. ait, *speculativa finis est veritas; practica autem opus.* Vnde 2. Ethic. c. 2. volens probare moralem esse scientiam practicam, ait morale negotium non esse contemplationis gratia. *Non enim*, inquit, *perscrutamus quid sit virtus, ut sciamus sed ut operemur, et boni fiamus.*

Ex quibus patet scientiam practicam esse practicam primo, & radicaliter ex objecto: si enim objectum eius non esset operabile, nullo modo posset esse practica: formaliter vero, & completive practica est ex fine, quia quāuis objectum eius esset operabile ab eo, qui scientiam habet; si tamen finis eius non esset illud operari, non posset dici practica, ut diximus de Geometria: tunc enim per accidens est respectu scientiae, quod objectum eius sit factibile à scientie: & ita ex his duobus completetur integra ratio practici.

ii. Verum oportet aduertere, duplē posse distingui finem in aliqua scientia: alter est extrinsecus, & dicitur finis operantis, vel scientis: alter est intrinsecus, & dicitur finis operis, vel scientiae. Extrinsecus est, quem sibi quisque arbitratu suo proponit; quique diuersus esse potest pro libito eorum, qui scientiæ prædicti sunt. Intrinsecus verò est, ad quem scientia natura suā dirigitur, & ordinatur, quique per se illi conuenit; & in scientia speculatiua est cognitio rei, non ut fiat, sed ut cognoscatur; in practica verò est cognitio rei, non tam ut cognoscatur, quam ut efficiatur.

Quando igitur dicimus scientiam practicam, aut speculatiuam ita vocari à fine, hoc debet intelligi de fine intrinseco, & principali, non verò de extrinseco. Differentiæ quippe rerum non desumuntur ex ijs quæ per accidens illis conueniunt: est autem per accidens respectu scientiae, quod ille, qui scientiam habet, sibi proponat talem, vel talem finem. Vnde licet aliquis disceret moralem Philosophiam, tantum ut eam sciret: ipsa tamen semper esset

esset practica: sicut Physica non desineret esse speculativa, licet aliquis eam operandi gratia compararet.

Non est tamen obmittendum, multos, præsertim Diuum Thomam 1. parte. qu. 14. art. 16. & alibi, sumere practicum, & speculativum, non solum ut sunt conditiones scientiae secundum se, sed etiam ex parte scientis, & secundum diuersos modos considerandi objecta scientiarum, seu res scitas. Sed omnes modi vocandi practicas, vel speculativas scientias, sunt accidentales, & improprii, nisi quatenus secundum supra dicta usurpantur.

## SECTIO III.

*Explicatur precipua difficultas initio proposita, an Logica  
sit practica, vel speculativa.*

**P**RÆSENS difficultas ex secunda parte sectionis priuata, huius questionis statim soluta relinquitur. Si enim verum sit, quod nullus actus intellectus, possit esse praxis; cum Logica dirigat actus intellectus, consequenter ex hac sententia non potest esse practica. Quod si concedamus praxim reperiiri posse in intellectu, ut assertit altera opinio; non ideo tamen inferre licebit Logicam esse practicam, quia non constabit utrum actus, quos ipsa dirigit, rationem praxis obtineant, & an finis eius sit sola cognitio objecti sui; an vero ejusdem objecti effectio. Quapropter ut haec difficultas, quæ principalis est in hac questione, dilucidè explicetur, eam proponemus sub problemate.

## PRIMA PARS SECTIONIS.

*Logicam esse speculativam.*

**P**RIMA igitur sententia principalis afferit Logicam esse simpliciter speculativam; quam non obscurè sustinet Diuus Thomas 1. 2. qu. 57. artic. 3. ad. 3. & 2. 2. qu. 51. artic. 2. ad. 3. Scotus quæst. 4. prologi, & communiter Thomistæ, & Scotistæ.

Probari autem potest primò ex Aristotele, qui, ut habet Laertius lib. 5. in vita Aristotelis, diuinit scientiam contemplativam in Physicam, & Logicam. Sed negari potest authoritas Laertij, cum in scriptis Aristotelis non reperiatur talis diuisio: inno. 6. metaph. c. 1. diuinit scientiam speculativam in Physicam, Metaphysicam, & Mathematicas, nulla facta mentione Logicæ. Quamvis & huic authoritati facile respondeant Authores huius sententie, Aristotalem scilicet ibi numerasse partes tantum principales scientias.

contemplaticis, ad quas Logica ministra est, & instrumentum. Ita enim habet Diuus Thomas opusculo 70. qu. 5. art. 1. & 2. quam solutionem hic apposui, ne in altera parte problematis totum repetere cogerer.

13. Probari potest secundò. Quia si quid impediret quod minus Logica esset speculativa, hoc maximè, quia conficit syllogismos, & alia sciendi instrumenta: hoc autem non impedit; ergo nihil. Major communiter recipitur. Probatur minor, quia Geometria, Astrologia, & ceteræ Mathematicæ, sunt scientiæ speculatiæ ex communi sententia cum Aristotele 6. metaph. cap. 1. & tamen Geometria efficit triangulum, Astrologia, Astrolabium, &c. ergo sicut talis operis constructio non auferit illis rationem speculatiui, quia talem constructionem ordinant ad cognitionem veritatis, ita constructio syllogismi, &c. non auferit Logicæ rationem speculatiui, quia talem constructionem refert ad perfectam veritatis cognitionem, tum in sua materia, tum in aliena.

Responderi potest negatione minoris; ad cuius probationem concedendum est, non statim concludi debere aliquam scientiam esse practicam ex eo quod eius objectum fieri possit, sed ex eo quod tradat regulas, & precepta illud efficiendi: Logica autem totam curam suam impendit in assignandis regulis argumentandi, definiendi, &c. at mathematicæ nullas regulas operandi tradunt, aut per accidens tantum, quatenus ex perfecta cognitione speculativa trianguli, V. G. potest facile geometria assignare modum, quo formari debeat quilibet triangulus, & idem de ceteris iudicandum est.

14. Probari potest tertio; quia illa scientia est simpliciter speculativa, cuius finis est tantum veritatem cognoscere; atque adeo in tali cognitione sifit: Sed finis Logicæ est veritatem cognoscere, quia eius finis est rectè ratiocinari, & verum à falso discernere, vt patet ex eius nomine: ratiocinari autem est mera speculatio, & veritatis cognitio, vt notum est. Ergo Logica est simpliciter speculativa.

Respondeo, negando maiorem. Licit enim Logica intendat cognitionem sui obiecti, nempe syllogismi; non in ea tamen sifit: sed eam refert ad eiusdem obiecti effectiōnem: quod patet ex eo quod nec ipsa Logica, nec alia scientiæ possunt absque syllogismo comparari, saltem non nisi cum magna difficultate, vt infra ostendimus.

Nec obstat quod actus intellectus inclusi in syllogismo, seorsim, & in se spectati, sint quædam veritas, seu veritatis cognitio, & quoddam scire. Hoc enim non impedit, quo minus ipse syllogismus vt est aliquod compositionis ex illius actibus, sit opus ad scientiam practicam spectans; est enim hoc modo quoddam artefactum, ab intellectus Logicæque directione pendens: ideoque actus dirigens constructionem talis operis, erit practicus, non sifens in sola illius cognitione, & ex consequenti tale opus erit praxis.

15. Probari potest quartò: quia illa scientia est speculativa, quæ virtutem methodo propria scientijs speculatiis: Logica autem sic se haberet. Nam in hoc differunt speculativa, & practica, quod ista tradat regulas ad aliquod

arte factum componendum, quomodo Architectus procedit methodo, seu modo compositiō, dum tradit regulas conſtruendi domum: illa vero procedit modo resolutorio; explicando nimurū partēs, principia, & proprie-  
tates ſui obiecti: & hoc modo procedit Logica, resoluendo ſuum obiectum  
in ſuas partēs, & principia: vt patet ex inscriptione quatuor præcipuorum  
eius librorum, qui dicuntur analytici, hoc eft resolutorij. Erit ergo Logica  
ſimpliciter ſpeculatiua.

Respondeo negando minorem; ad cuius probationem, dico libros illos  
vocari resolutorios, non quia doceant ſyllogiſmum in ſuas partēs, & prin-  
cipia reuocare: ſed quia docent imperfectos ad perfectos reducere, vt notat  
Aphrodiseus. Vel dic huiusmodi resolutionem ordinari ad debitam ſyllo-  
giſmi compositionem: atque adeo compositionem à Logica priuario in-  
tendi.

Huc referas argumenta, quibus ſupra probabiliter oſtentum eft nullum  
actum intellectus eſſe praxim: ſed probabiliter quoque ad illa reſponſum  
eſt quæ ibi vide.

## S E C V N D A P A R S SECTIONIS.

*Logicam eſſe practicam.*

16. **S**E C V N D A ſententia principalis, afferens Logicam eſſe ſimpliciter  
practicam, deffenditur à Gregorio, & Gabriele, locis citatis in  
prima ſectione; Paulo Veneto, initio Logice; Scaligero exercita-  
tione 307. numero 23. Conimbric. quæſt. 4. procem. artic. 5. & alijs recen-  
tioribus; oſtendique potest primò ex Arist. 6. metaph. Cap. 1. vbi diſtin-  
guens ſcientiam ſpeculatiuam à practica, ait principium obiecti ſcientiæ  
practicæ effectiuum, eſſe in ipſo ſciente; ſpeculatinam vero eſſe circa rem  
habentem in ſe principium ſui motus: ſed principium obiecti Logice eft in  
Logico, cuius eft confidere ſyllogiſmum, &c. Ergo Logica eft purè pra-  
ctica.

Reſpondetur, aſſignatum diſcrimen inter ſcientiam practicam & ſpecu-  
latiua, eſſe Legitimum; ſed non ſufficere, ſi obiectum talis ſcientiæ, non  
ſit aliiquid operabile extra intellectum, quia operationes intellectus, vt ſatis  
ſuperius probatum eft, non ſunt praxes, idéoque ſcientia quæ circa eorum  
directionem occupatur, non potest denominari practica.

Deinde nunquid principium effectuum trianguli, eft in geometra? &  
tamen geometriæ ſpeculatiua eft: illud igitur diſcrimen non eft ſufficiens.  
Adde quod in illo textu expreſſe dicitur ſcientiarum practicarum prin-  
cipium in agente eſſe electionem, & idem eſſe agibile, & eligibile. Ut etiam  
in prima ſectione notauiimus: intellectui autem non conuenit per ſe agere  
ex electione.

17. Probatur secundò. Illa scientia est tota practica , cuius totalis & principialis finis est operari , & efficere aliquid. Quis autem non videt , principalem Logicæ finem esse confidere syllogismos , aliaque instrumenta sciendi? tota enim incumbit in tradendis regulis ad conficiendas definitiones , divisiones , argumentationes necessarijs. Ergo est simpliciter practica.

Respondetur eodem modo , quo in superiori argumento : huiusmodi enim confectionem syllogismorum totam refert ad perfectam eorum cognitionem : & ita finis eius ultimò sicut in cognitione veritatis & contemplatione obiecti : Et quamvis finis eius esset operari : quia tamen eius operationes sunt speculations , & propter ipsum perfectum ratiocinari , semper esset speculativa.

Probatur tertio , quia scientia speculativa , est nobilior scientijs practicis , vt expresse uiscrit Aristoteles 6. metaph. cap. 1. toties citato : sed Logica non est nobilior alijs scientijs : tum quia eius obiectum nempe syllogismus , videtur esse ignobilius cæterarum scientiarum obiectis , minùsque habere certitudinis : tum quia est ministra & instrumentum , naturâ suâ ad acquisitionem aliarum scientiarum ordinatum : vnde 1. topicor cap. 9. eius quaestiones vocantur adminicula , quia sunt instrumenta conducentia ad comparandas alias scientias : At verò scientiæ speculativæ non queruntur quasi ad aliud utiles , sed vt per se honorabiles. Patet igitur Logicam esse practicam , & non speculativam .

Respondeo maiorem esse veram , comparatione factâ inter scientias principales. Cum autem Logica sit ministra , & instrumentum aliarum scientiarum , non est opus , vt sit simpliciter nobilior scientijs practicis : quamvis sit nobilior secundum quid , ex modo scilicet speculatiuè procedendi circa suum obiectum : & vt sic , est per se honorabilis , & expectibilis ( neque enim contemnda est syllogismi cognitio , etiam in se , & seorsim spectata ) quamvis ex eo quod instrumentum est ad alias scientias , propter illas expectatur ; atque adeò deficiat ab integra perfectione Theoricarum.

18. Probatur quartò. Scientia moralis est practica , quia tradit regulas rectè operandi per voluntatem : ergo Logica erit etiam practica , quia tradit præcepta rectè , & sine errore operandi per intellectum. Probatur consequentia. Nulla enim potest assignari ratio disparitatis , nisi quia Logica versatur circa actus intellectus , & moralis circa actus voluntatis : sed haec nulla est. Si enim tota moralis est practica , vt communiter conceditur ; necesse est vt sit practica dum versatur circa actus virtutis studiositatis , vt est actus contemplationis , juxta regulas prudentiæ elicitus ; ergo talis actus intellectus est praxis , quia habitus non dicitur practicus , nisi quia versatur circa praxim . & sic disparitas assignata , fictitia est.

Respondeo negando consequentiam ; & ad probationem dico disparitatem benè esse assignatam. Ad impugnationem verò satis responsum est supra , ubi ostendimus nullum actum intellectus posse esse praxim , & consequenter moralem non denominari practicam ab actu contemplationis , sed ab

electione voluntatis , quâ ipsa liberè amplectitur talem actum cum debitis circumstantijs. Licet enim intellectus , atque etiam habitus , & actus illius possit dici practicus ; non tamen sequitur quod possit dici praxis , quia , ut dicitur practicus , sufficit ut dirigat praxim : praxis autem essentialiter postulat procedere ex electione , & libertate quod non conuenit actibus intellectus per se. Vnde , Ioannes Bocorius in prologo qu. 4. art. 2. male confundit operationem practicam cum praxi. Vbi etiam afferit nullum actum voluntatis esse praxim essentialiter , sed tantummodo actum intellectus. Verum eius argumenta , aut falso nituntur fundamento , illa scilicet practici , & praxis confusione , ex qua actus voluntatis practicus esse nequit , quia non est directius : aut ex prima sectione huius questionis satis soluta relinquuntur.

## SECTIO IV.

*Refutantur aliae circa praesentem questionem opiniones.*

19. **D**e sunt adhuc sententiæ minis principales circa questionem propositam , quas refutare oportet. Harum altera afferit Logicam partim esse speculatiuam , partim practicam : altera verò nec practicam , nec speculatiuam , sed esse habitum instrumentarium , & administratorium ad alias scientias , nec talis perfectionis , cui altera , aut vtraque ratio conuenire debeat.

Nihilominus contra primam sententiam arguitur primo. Logica non potest esse partim practica , & partim speculativa nisi sit practica secundum alias cognitiones versantes circa aliqua instrumenta sciendi , & speculativa secundum alias cognitiones , versantes circa aliqua alia sciendi instrumenta : neque enim eadem cognitio aut conclusio potest esse simul practica & speculativa , ut de se notum est. Sed non potest assignari talis distinctio instrumentorum sciendi , secundum quam Logica sifstat in cognitione aliquorum , & non in cognitione aliorum ; ergo vel est simpliciter speculativa , quia vel sifst in cognitione omnium , vel in nullorum cognitione sifst.

Arguitur secundò , quia ratio practici , & ratio speculativi sunt differentiæ , essentialiter diuersæ , constituentes , & diuidentes essentialiter habitus intellectus , ut patet ex communi sententia : ergo non possunt simul eidem simplici , & naturali habitui , qualis est Logica , conuenire ; alioquin Logica in duabus speciebus , essentialiter diuersis constitueretur , quod est absurdum : aut ex duabus speciebus componeretur tertia , quod est absurdius.

Arguitur tertio , quia scientiæ practicæ , & speculativæ subordinantur habitibus essentialiter diuersis , nempe synderesi , & intellectui : ergo ratio practici & speculativi , prout in eis inueniuntur , essentialiter differunt , seque ab eodem habitu excludunt , & consequenter vtraque nequit Logicæ conuenire.

20. Dices primum. Sapientia ex Aristotele 6. Ethic. c. 3. est habitus, ab alijs quatuor intellectualibus distinctus; & tamen c. 7. ponitur ab eodem Aristotele continere habitum principiorum, & scientiarum, qui sunt duo habitus intellectus essentialiter diuersi. Sic enim ait. *Oportet ergo sapientem, non solum quae ex principijs scire, sed & circa principia verum dicere!* Ergo non repugnat rationem practici, & rationem speculatiui, quamvis diuersæ sint, eidem habitui conuenire.

Responderi potest primò, sapientiam non esse unum, sed aggregatum ex habitu principiorum, & habitu scientiæ. Sed hæc responsio multis non placet, quia tantum essent quatuor virtutes intellectus, contra Aristotelem, & communem sententiam. Nihilominus quidquid sit de hac responsione D. Thomas opusc. 7. q. 2. art. 2. ad 2. ita loquitur. *De divisione illa quinque habituum intellectus: sapientia non dividitur contra scientiam sicut oppositum: sed quia se habet ex additione ad scientiam, est enim sapientia, ut dicit Philos. 6. ethic. caput omnium scientiarum regulas omnes alias, in quantum de altissimis principijs est.... Scientia vero nomen alijs inferioribus relinquitur. Idem docet i. 2. q. 57. a. 2. ad 1. & 2. 2. q. 9. art. 2. & rectè Theologia quæ est sapientia in ordine supernaturali; & Metaphysica quæ est sapientia in ordine naturali, est etiam scientia, & ideo sapientia non opponitur scientiæ quin potius sub illa comprehenditur.*

Respondeat secundò. Iauellus sexto Metaphysicæ, q. 6. in fine, non esse absurdum duos habitus ejusdem rationis, hoc est ambos speculatiuos, vel ambos practicos, posse contineri simul ab uno tertio, licet alioquin specie inter se differant, cuiusmodi est habitus scientiæ, & habitus primorum principiorum.

21. Sed hæc responsio non videtur satisfacere, si enim duas differentias essentialiter diuersas, & diuisas habitum intellectus, scilicet differentia scientiæ, & differentia intelligentiæ, reperiuntur unitæ in habitu sapientiæ: quare non poterunt reperiri duas similes differentias, nimis prolixæ & speculatiui, simul unitæ in alio habitu?

Ad hanc tamen instantiam potest scientiam & intellectum, esse habitus subordinatos. Cum enim scientia deducat conclusiones ex principijs per se notis, consequenter supponit intellectum, qui est habitus hujusmodi principiorum, ab eoque dependet; & ita ratio scientiæ, & ratio intellectus, non sunt differentias, ita sibi mutuo repugnantes, ut ab eodem habitu se excluant; sicut ratio practici & speculatiui. Sistere enim in cognitione objecti, & non sistere in tali cognitione, sibi repugnant, & ita non possunt eidem habitui inferioris ordinis, qualis est Logica, conuenire.

Responderi potest tertio, sapientiam esse habitum perfectissimum, longe excedentem ceteros habitus intellectus, ut dicemus aut in morali, aut initio Metaphysicæ: & ideo nihil prohibet quin utramque rationem, scientiæ nempe, & intellectus, eminentiori quodam modo in se includat. At Lo-

gica imperfectissima est scientiarum, ideoque perfectionem speculatiuarum simul & practicarum in se comprehendere non potest.

22. Dices secundò. Theologia est simul practica, & speculativa, vt bona pars Theologorum asserit cum Diuo Thoma i. parte q. i. art. 4. ergo ratio practici & ratio speculatiui non sunt differentia essentialiter diuersæ, sicutque poterunt Logica simul conuenire.

Respondeo negando paritatem. Theologia enim est superioris ordinis, & eminentioris perfectionis, quām ceteræ scientiæ, ob rationem formalem objecti, quæ est diuinum lumen Fidei & reuelationis; tum etiam ex ipso-met objecto materiali, nempe Deo, habente rationem primi principij. & ultimi finis. Et ideo licet in scientijs communibus, & ordinis inferioris, alia sit speculativa, & alia practica: sacra tamen doctrina, vna in se existens, utramque rationem eminentiori quodammodo comprehendit.

Vnde sicut sensus superior, v. g. sensus communis, extendit se ad omnia objecta quinque sensuum externorum, nec à diuersis eorum rationibus diversificatur, quia sub uniusaliori formalis ratione ea respicit, vt visibile, audibile, &c. sub ratione communis sensibilis: ita Theologia potest considerare ea quæ pertinent ad diuersas scientias naturales, tum practicas, tum speculativas, absque eo quod ab ijs diuersificetur, quia sub ratione superiori, & eminentiori ea considerat, vt rectè docet Diuus Thomas art. 3. & 4. citato.

Eadem enim fides diuina est principium contemplandi veritates diuinas, & regulas principiorum, quibus actiones humanæ dirigendæ sunt ad honestatem super naturalem: quo fit vt Theologia diuinæ reuelationi, & fidei innixa, practica simul sit, & speculativa. At nulla potest assignari ratio eminentior, & superior in Logica, sub qua suum consideret objectum, comprehensens practicum, & speculativum, vt rationes inferiores & minus perfectas. Vide Caietanum loco citato Diui Thomæ.

23. Dices Tertiò. Si Logica non esset simul practica, & speculativa, non esset instrumentum proportionatum ad acquirendas omnes scientias: inter eas enim aliæ sunt speculatiæ, aliæ practicæ. Ergo vt ad utrasque facilem aperiatur, utramque rationem participare debet.

Respondeo negando antecedens, neque enim Logica est ianua ad ceteras scientias acquirendas, quatenus sunt practicæ aut speculatiæ, sed quatenus scientiæ sunt simpliciter. Ut sic enim eis ministrat instrumenta sciendi, & modum, quo scientificè, & debito cum ordine procedant in diuisiobibus, definitionibus, & demonstrationibus suis. Nullus autem non vider quod ad hoc est impertinens ratio tum practici, tum speculatiui in Logica: neque enim ipsa docet speculatiæ, qualiter sistere debeant in cognitione sui objecti, neque practicas, modum conficiendi suum objectum; sed modum tantum non errandi in suo progressu, apta suppeditando instrumenta indagandæ veritatis.

Deinde syllogismus in barbara, factus in scientia speculativa non differt à syllogismo in barbara, facto in scientia practica; est enim semper idem for-

maliter, licet materia varietur. Et vero instrumentum inuariatum in se, potest pluribus rebus inter se diuersis inferuire, vt patet in manu, cuius natura non variatur licet efficiat aliquod opus, modo è ligno, nunc è marmore, &c.

24. Quod spectat ad secundam sententiam quæ nec practicam, nec speculatiuam Logicam esse contèdit: eius fundamentum nullum est. Sicut enim ordo ille quem habet Logica ad ceteras scientias, velut earum ianua, & instrumentum, non tollit illi rationem scientiæ, vt superius ostendimus: ita nec tollit rationem practici aut speculativi: imo potius illam ei tribuere debet, cum scientiæ ad quas refertur, sint practicæ, vel speculatiuæ.

Præterea. Logica est habitus scientificus, vt ostensum est suprà, saltem est cognoscitius: ergo vel attingit objectum suum per actum sistentem in sola eius cognitione, & sic est speculatiuus: vel vterius tendenter, & sic est practicus, vt patet ex sectione secunda huius quæstionis.

Adderatatem Aristotelis. 6. Metaph. cap. i. *omnis intellectus aetatis, aut facti, aut speculatiuus est*, inquit, ergo necesse est Logicam in aliquam ex ijs diuisionibus cadere.

## APPENDIX.

*Prima huius sectionis opinio problematicè defenditur.*

25. **N**ILOMINVS non ita pertinaciter inhærendum censet sententiæ illi, quæ Logicam negat esse simul practicam, & speculatiuam vt aliam penitus improbabilem dicam, cum suos habeat authores scilicet Suarez disput. 44. Metaph. in fine, Toletum, &c. atque etiam rationes non contempendas.

Facta igitur abstractione ab illa sententia, quam in prima sectione hujus quæstionis examinauimus, an praxis conuenire posse adib⁹ intellectus, nec ne dici potest Logicam esse simul practicam, & speculatiuam. Si enim dicatur esse vna simplex qualitas, de quo in tractatu de sciētia agemus. Quæ madmodum simplex potentia intellectua simul practica est, & speculativa, quia est principium cognitionis practicæ, & speculativæ, & circa omnium scientiarum, tum practicarum, tum speculatiuarum objecta versatur: Ita Logica, vna in se existens, poterit esse simul practica & speculativa: tum quia est principium speculationis contemplando naturam, & passiones sui objecti, nempe syllogismi, & principium operationis practicæ, introducendo formam argumentationis in materiam: tum quia versatur circa omnium scientiarum objecta, & aliqualem de illis cognitionem comparat, vt supra tactum est dum de yente agebamus: & omnibus denique suppeditat instrumenta sciendi.

Hoc

Hoc enim modo participat quandam rationem vniuersalitatis: atque adeò sub quadam ratione superiori , quamvis non perfectiori , videtur posse continere id quod proprium est scientiarum particularium. Et quamvis difficile sit in specie , & nomine assignare rationem illam communem : sufficienter tamen colligi potest ex ratione vniuersalis januae , & instrumenti ad alias omnes scientias.

26. Si vero dicatur habitus ex multis qualitatibus compositus , poterit esse practica secundum aliquas partiales , & speculativa secundum alias. Nam ipsa procedit utraque methodo , & compoſitiua , & resolutoria. Neque hoc ita videri debet absurdum , in sententia etiam Diui Thomæ , qui opusculo 70. seu super Boetium de Trinitate , quæſtione de diuisione scientiarum , artic. 1. existimat Medicinam esse ſimul practicam , & ſpeculatiuam. Idemque de morali multi carent.

Quapropter concludendum erit rationes practici , & ſpeculatiui non esse ita essentiales , vt non poſſint ſe compati in eodem habitu , etiam inferioris ordinis , non ſecus ac de Theologia , & Sapientia dictum eſt , præfertim quando ſubordinantur alicui rationi superiori , aut vniuersaliori.

Quando igitur ratio ſpeculariui , & ratio practici adæquatae ſunt habitibus , qui practici , vel ſpeculatiui dicuntur , ſunt differentiae essentialiter diuersæ : quando vero neutra earum habitui eſt adæquata , id eſt non confideratur ſola ab illo habitu , ſed ſimul cum alia : tunc non ſunt essentiales , nec cauſant in eo essentialē diuersitatem ; ideoque poſſunt ſe ſimul compati: quo fit , vt in tali habitu debeat admitti ratio quædam superior , aut vniuerſalior pro essentiali , & constitutiua differentia illius , vt in habitu Theologiae , Sapientiae , & in ſenſu communi , ſicut jam dictum eſt Sectione præcedenti num. 22.

Ideo autem rationes illæ practici , & ſpeculatiui censi carent differentiae essentialiter diuersæ quando altera earum eſt adæquata alicui habitui , quia hinc ſequitur obiectum adæquatum talis habitus eſt diuersum ab obiecto adæquato alterius; ab obiecto autem adæquato ſumitur ſpecifica diuersitas: at vero quando non ſunt adæquatae , ſed eidem habitui ſimul conueniunt , non poſſunt eſſe cauſa obiecti adæquati ſecundum ſpeciem diuersi : vnde diuus Thomas 1. parte. q. 79. art. 11. ait intellectum practicum & ſpeculatiuum , non poſſe eſſe potentiam ſpecie diuersam , quia ratio practici , & ſpeculatiui non ſunt differentiae per ſe obiecti intellectus , ſed accidentaliter ſe habent ad illud adæquate ſumptum , quatenus illi accidit ordinari ad ſpeculationem vel ad opus , ſicut accidit animali eſſe homini em , aut equum.



## QVÆSTIO IV.

De obiecto Logicæ.

## SECTIO I.

*Quid sit obiectum, & quæ illius conditiones.*

1. **N**E pulcherrimarum artium ordo, & natura turbetur, omnesque scientiæ in confusionem abeant, necesse est eas circa materiam aliquam determinatam, seu circa aliquod vnius generis obiectum versari, à quo & unitateni fortiantur, & ab inuicem distingui possint, vt rectè docet Aristoteles. i. poster. cap. 23. & 6. metaph. cap. i. quodnam igitur sit Logices obiectum hic ideo inquirere oportet: sed ante omnia.

Nota primò, nomine obiecti nihil aliud à nobis intelligi quam illud, in cuius consideratione, & cognitione scientia totam suam curam impendit: quod etiam aliquando subiectum, & aliquando materia scientiæ vocari consuevit: quamvis propriè loquendo, hæc tria, diuersa significant, vt notat Durandus quæst. 5. prologi, artic. i. & alij. Nam *subiectum* dicitur illud, quod in conclusione demonstrationis subiicitur, & de quo scientia passionem, seu proprietatem aliquam demonstrat. *obiectum* verò est tota conclusio; quia illud objectum censetur, quod primò, & principaliter cognoscitur; hujusmodi autem est tota ipsa conclusio. Denique *materia* est id, circa quod ars, vel scientia operatur; quomodo lutum dicitur materia figuli.

Posito tamen quod hæc tria pro eodem indiscriminatim sumantur: *obiectum* dicitur, quia est illud quod principaliter obiicitur scientiæ cognoscendum; *subiectum* verò, quia est illud in quo passiones recipiuntur, & de quo prædicantur seu demonstrantur; *materia* denique, quia est fundamentum primum, quod à scientia supponitur. Nam omnis scientia supponit objectum suum esse.

2. Nota secundo duplex in communi distingui objectum, scilicet *materiale*, & *formale*. Materiale est res illa, quam scientia principaliter considerat: & vocati solet *objectum quod*: formale verò, quod dicitur *objectum quo*: est ratio quædam determinans *objectum materiale*, & faciens illud proprium tali scientiæ: ita vt non cadat sub considerationem eius, nisi secundum rationem illam formalem. Cùm enim eadem res à plu-

ribus scientijs spectari possit , & esse earum objectum materiale , seu commune ; necesse est ad tales scientias distinguendas , vt habeat rationes quædam dueras , secundum quas à talibus scientijs spectetur : & sic homo consideratur à Physica quatenus est corpus naturale ; à Medicina , quatenus est corpus sanabile , à Metaphysica , quatenus est ens ; à morali , quatenus est capax virtutis , & bonis moribus informabilis , &c.

Objectum materiale diuiditur in adæquatum , & partiale : adæquatum , seu totale , est quod ita scientiæ exæquatur , vt scientia nihil , præter ipsum , consideret ; partiale verò , & inadæquatum , est pars aliqua illius , quod adæquatum dicitur : qua quidem pars si sit præcipua , dicitur objectum partiale principale , vt est Cœlum respectu librorum de Cœlo : si vero sit minus præcipua , seu perfecta , vt ignis , vel aliud elementum , respectu eundem librorum , dicitur objectum partiale minus principale .

3. Similiter objectum formale diuiditur a Caïet . i. p. q. i. art. 3. & multis alijs in duplē rationē : altera dicitur , ratio *qua* : altera verò ratio *sub qua* ; ratio *qua* , est ipsa formalis objecti essentia , quæ directè à scientia consideratur . Ratio *sub qua* , est peculiaris quidam modus , seu specialis quædam proportio , quam habet objectum formale cum habitu , seu potentia , ratione cuius aptum est ab ea percipi , & eam ad sui perceptiōnē mouere . V. G. in objecto formalī viuis , quod est color , ratio formalis *qua* , est color ipse in esse rei spectatus , & secundum essentiam suam : quia verò multæ sunt species coloris , consequenter visus non potest dici vna potentia à colore , in esse rei spectato , ideoque debet adhuc in eo distingui quædam alia ratio in qua omnes coloris species quasi adunentur , & secundum quam ab vna potentia visiua attingantur : & hæc est ratio formalis *sub qua* , communiter appellata *visibilitas* , per quam ultimò constituitur in esse obiecti specificantis visum , cumque ab aliis sensibus disinguentis .

Et hoc in scientijs similiter videre licet : nam in arithmeticā objectum formale est quantitas discreta , seu numerus , comprehendens varias species numerorum , quæ omnes debent habere rationem aliquam vnam , sub qua considerentur , ad hoc vt possint esse objectum formale vnius scientiæ .

Hoc etiam videre licet in fide diuina , cuius objectum formale , ratione cuius articulis fidei assentimur , est diuina veritas reuelans : ratio vero *sub qua* , est ratio obscuri , seu non visi : quatenus scilicet huiusmodi reuelatio est obscura , & non in specie , sed in enigmate . Verum de his fusius in fine Logicæ , vbi de scientia sermo erit .

Non est tamen omittendum Diuum Thomam 2. 2. q. i. art. 1. & multos alios vocare objectum materiale ipsam rationem *qua* , formale verò , rationem *sub qua* , quia ratio *sub qua* , magis præcisè , & formalius potentiam , seu habitum determinat : sed hoc non impedit , quod minus ratio *qua* . vocari possit objectum formale respectu aliarum rerum , quæ vel per accidens attinguntur ab habitu , seu potentia ; vel coarctantur à tali

ratione que, & fiunt per eam propria habitui, & potentiaz; quomodo color licet posit dici objectum materiale visus, comparatione rationis *sub qua*, seu *visibilitatis*: tamen respectu corporis, cui inheret, recte dicitur objectum illius formale, & ita usurpatur ab eodem D. Thoma. I. p. q. I. art. 3. & alibi.

4. Nota tertio ex Aristotele lib. I. post cap. 23. & 4. Metaph. cap. 2. aliquis philosophis communiter, tres potissimum conditiones requiri ad objectum adaequatum alicuius scientiae.

Prima est ut objectum illud sit aliquo modo unum vel unitate uniuoca, vel analoga, vel ordinis, ut in republica, exercitu; vel subjecti, & accidentis, ut in objecto musicæ, quod est numerus sonorus: aut perspective, quod est linea visualis. Cum enim scientia habeat suam unitatem, & speciem ab objecto, objectum debet esse aliqua ratione unum ut aliquam unam definitionem sortiri possit.

Secunda conditio est, ut habeat principia, & proprietates, quæ de eo per talia principia demonstrantur. Præcipua enim cuiusque scientiae cura in cognitione objecti proprij impendi debet: haec autem haberi non potest, nisi proprietates eius, seu passiones recte intelligentur. Haec duæ conditiones indicantur ab Aristotele loco citato posteriorum, dum ait *nam scientiam esse unius generis subjecti, habentis passiones, & principia.*

Tertia conditio est ut primò, & principaliter consideretur à scientia, ita ut cetera omnia ad ipsum ordinentur, & referantur, vel ut partes componentes, sicut materia, & forma ad corpus naturale; vel ut principia, vel ut passiones, aut accidentia, vel ut species, & partes subjectivæ: propter quod vocatur objectum attributionis. Ratio huius est quia si scientia non consideraret principaliter objectum suum, non diceretur una ab eo potius, quam ab aliis: & si res, quæ sub objecto continentur, non haberent quandam dependentiam ab eo, illudque non respicerent, ratione cuiusdam ordinis ad ipsum, scientia consideraret diuersa, ut diuersa, & sic non esset una.

5. Additur quarta conditio ex Scoto, q. 3. prologi, numero 3. Scilicet ut objectum adaequatum continat virtualiter omnes veritates illius scientiae cuius est objectum, de qua agemus ubi de scientia. Et haec de ista sectione sufficient.

## SECTIO II.

### *Syllogismum esse objectum adequatum Logice.*

5. **M**ULTIPLEX est circa presentem questionem, Philosophorum sententia. Thomistæ communiter statuunt ens rationis pro objecto Logice. Scotisti vero syllogismum: nominalis, voces significativa, ut communiter creditur: multi recentiores, tres an-

tis operationes, ut dirigibles, ordinabiles, & conformabiles in instrumenta sciendi, scilicet in definitionem, propositionem, syllogismum, &c. Albertus Magnus tractatu primo Logica cap. 4. Iauellus cap. 3. & alij, solam argumentationem, quatenus comprehendit syllogismum, enthymema, inductionem & exemplum. Alij præsertim græci, solam demonstrationem. Alij, res omnes, quatenus substant secundis intentionibus, ut jandunus 4. Metaph. q. 4. & alij quidam, præsertim è Thomistis, multi ponunt pro objecto modum differendi, quatenus comprehendit divisionem, definitionem, & argumentationem. Et hi ferè omnes iisdem nituntur rationibus, & fundamētis, quatenus ostendere conantur objectū conditiones, præcedenti sectione traditas, ei, quod obiectum assignant, conuenire.

Nihilominus præ cæteris arridet ea, quam tradit Scotus q. 3. sive Logica, & discipuli cum eo, nempe syllogismum in communī esse propriū & adæquatum obiectū Logicæ. quare eam hic probare oportet. In sequentibus autem sectionibus cœteras opiniones breuiter expendemus.

6. Igitur syllogismum esse adæquatum obiectū Logicæ, probatur primò ratione præcipua, quia in syllogismo reperiuntur tres illæ conditiones objecto adæquato necessariæ, ergo ipse est obiectum adæquatum Logicæ.

Probatur antecedens quoad priam conditionem, nam syllogismus est quid vnum, ideoque definitur ab Aristotele. i. prior. cap. i. licet enim in eo sint tres propositiones; ratione tamen ordinis, & dispositionis, quam habent inter se, vnum efficiunt sciendi instrumentum, de quo potest haberi vera scientia, sicut de exercitu, de domo, de Republica verae habentur artes.

Quod autem secunda subiecti conditio ei quoque competit, satis notum est; habet enim principia, per quæ ostenduntur variæ eius passiones, ut parere scientiam, inducere opinionem, & fidem probabilem, secundum quod propositionibus certis, aut tantum probabilibus constat.

Tertia denique conditio in eo etiam reperitur, quia omnia, quæ tractantur in Logica, referuntur & ordinantur ad syllogismum, vel tanquam partes interiales, & ipsum componentes, ut simplices termini, & propositiones, in er quas ponenda est etiam definitio, quatenus est medium syllogismi, aut eius conclusio, aut tota ipsa demonstratio, solo terminorum situ, & positione differens, ut dicetur alibi: vel referuntur tanquam principia, ut DICI DE OMNI, ET DICI DE NULLO. Vel tanquam species, & partes subiectivæ illius, ut est syllogismus topicus, & demonstrativus: vel denique ut quid imperfectum ad id à quo suam perfectionem expectat, ut patet de methodo & diuisione, de enthymemate, inductione, & exemplo. Nam diuiso & methodus sunt veluti ancillæ syllogismi, præparantes illæ materiam: ex ordine quippe, & distinctione rerum, de quibus est syllogismus, vis eius, & concludendi efficacia maximè dependet. Enthymema autem, iudicio, & exemplum totam suam vim à syllogismo mutuantur, nec efficaciter aliquid inferunt, aut concludunt, nisi prout in eum transfigurantur.

7. Probatur secundo conclusio ex fine principali Logicæ, qui est vindicare intellectum ab errore, & dirigere eum in veri inuestigatione, & acquisitione aliarum scientiarum. Ergo illud maxime erit eius objectum, quod erit instrumentum necessarium ad acquirendas alias scientias, & ad dirigidum intellectum in inquisitione veri: sed hoc instrumentum est solus syllogismus, si loquamur de directione certa, & infallibili, quia cœtera sciendi instrumenta, vt iam dicebamus, non habent vim efficaciter aliquid concludendi, nisi quatenus syllogismum in se quasi virtualiter complectuntur: ergo syllogismus est vere objectum adæquatum Logicæ, ad quod cœtera omnia referri debent.

Objicies primum. Si ex fine Logicæ colligi debet eius objectum, demonstratio, sive syllogismus demonstratiuus statuendus est potius pro objecto, quam syllogismus in communi: sola enim demonstratio est certum & infallibile instrumentum ad acquirendas scientias, & ad emendanda vitia, quæ intellectui accidunt, dum ex notis ad ignota procedit.

Respondeo in demonstratione duo reperi, materiam nempe, & formam: Ratione formæ dicitur syllogismus; ratione vero materia dicitur talis syllogismus, scilicet demonstratiuus, qui nimur constat propositionibus certis, euidentibus, primis, &c. Syllogismus enim in communi abstrahit à materia, & solam formam respicit, vnde vocatur formalis: appellatur autem demonstratiuus, vel topicus, prout propositiones eius, & materia certa est, & euident, aut tantum probabilis: sed quia forma præcipuum est in syllogismo, eo quod ex eâ oritur necessitas, & vis illationis, qua constat perfectus discursus, qui est scopus Logicæ; ideo potius syllogismus formalis, & in communi spectatus, censeri debet objectum adæquatum eius, quam syllogismus demonstratiuus. Etenim licet Logica doceat de qua materia debant esse præmissæ demonstrationis, omnesque eius conditiones ex professio affigner, eius tamen propriè non est cognoscere materiam necessariam, aut contingentem; sed hoc ab aliis scientiis expenditur; ipsa vero maximè attendit ad formam, & ad regulas bonæ consequentiæ, & ideo cognitione syllogismi in communi maximè intenditur à Logica, vt præcipui momenti, à quo cœtera dependent. Licet negandum non sit demonstrationem esse principalem objecti Logicæ partem, vt probat prædicta objectio.

8. Objicies secundo. Scientia sumit distinctionem, & speciem ab objecto suo, vt patet ex Aristotele I. post cap. 23. Ergo objectum debet esse saltem naturā, prius ipsā scientiā: sed syllogismus est potius aliquid posterius Logicā, quia est quoddam arte factum, dependens à regulis Logicæ; ergo non potest illius objectum esse.

Respondeo Logicam esse priorem syllogismo in genere causæ efficientis, quia ab ipsa producitur, aut saltem ex eius directione perficitur: sed in genere causæ formalis externæ syllogismum esse quid prius Logicā. Quidquid enim dat speciem, videtur habere rationem formæ, & ita genus aliquod causalitatis exercere: nisi mauis vocare objectum terminum specificantem

scientiam per habitudinem eius ad ipsum. Quidquid sit hæc prioritas sufficit, ut patet in morali: obiectum enim illius sunt actiones humanæ, quæ tamen ab eius directione & regulis pendent. Et univerſaliter potentia specificantur, & distinguuntur immediate per actus suos, qui tamen sunt ipsis posteriores in genere causæ efficientis, cum eos effectiue producant.

Obijc̄ies tertio. Nihil est subiectum totius, & partis: sed syllogismus est obiectum libri priorum, ergo non potest esse obiectum totius Logicæ.

Respondeo cum Scoto, quæſtione tertia citata, syllogismum esse obiectum Libri priorum secundum proprietates ei conuenientes secundum se formaliter, quatenus est syllogismus: esse autem obiectum totius Logicæ secundum omnes passiones conuenientes ei, vel secundum se, vel ratione partium integrantium, aut subiectuarum, vel ratione eorum, quæ ad ipsum reducibilia sunt. Nec opus est ut syllogismus dicatur de omnibus quæ in Logica considerantur. Nam materia, forma, motus, quantitas, &c. Considerantur à Physica, nec tamen de eis prædicatur corpus naturale, quod est Physicæ obiectum.

9. Obijc̄ies quartò obiectum scientiæ directiæ non est id quo res aliqua dirigitur, sed potius res ipsa, quæ dirigitur; ergo, cùm Logica sit scientia directiæ operationum mentis, quatenus eas ab errore vendicat, & in veri inuestigatione promovet, ut ſaepè dictum est, eius obiectum non erit id, quo tales operationes dirigit, sed potius ipsæmet operationes, quæ diriguntur: atqui syllogismus est id quo mentis operationes dirigit, ergo syllogismus non est illius obiectum.

Probatur primum antecedens inductione. Nam potio quā sanitas producitur, non est obiectum medicinæ, sed sanitas ipsa, aut corpus sanabile: obiectum Architecti non est malleus, quo fit domus, sed domus ipsa: Obiectum fabri non est lima, sed ferrum, quod lima politur: ergo obiectum Logicæ non erit syllogismus, quo mentis operationes diriguntur ad verum, sed potius ipsæ operationes, ad verum dirigibiles.

Respondeo maiorem non esse univerſaliter veram, maxime in scientijs, & artibus admiculatorijs, & ancillis aliarum, quæ principales, & reginæ vocantur. Nam ars, V. G. frænofactoria habet pro obiecto frænum, quo frænantur, & diriguntur equi à militari, cuius est ancilla: & ita Logica habet pro obiecto syllogismum, quo mentis operationes diriguntur in veri inuestigatione ab alijs scientijs, quibus ipsa ministrat, tum syllogismum, tum alia instrumenta sciendi.

Addit quod directio operationum mentis est potius eius finis, quam obiectum; ſicut moderatio equi, & victoriae acquisitionis, est finis frænofactoriæ non obiectum. Sed de hoc redibit sermo ſectione quarta.

## SECTIO III.

*Ens rationis non esse obiectum Logicæ.*

10. **E**Ns rationis pro re praesenti (de eo etiam fusius infra disputabimus quæst. 6.) est ens à ratione confictum; adeo ut nec habeat, nec habere possit aliud esse, quām quod accipit à ratione singente, & concipiente obiectum aliter, ac in se est. Quo fit ut ens rationis non sit, nisi dum singitur; singitur autem dum apprehenditur, & obiectum intellectui: & ideo recte definitur, *id quod habet tantum esse obiectum in intellectu*, ut est chymera, ut est relatio, quam intellectus apprehendit inter subiectum, & prædicatum; inter genus, & speciem, si hæc non sint à parte rei.

Quamvis autem nostra opinio de syllogismo, vera supponatur, quod nimirum sit obiectum adæquatum Logicæ, non statim sequitur, ens rationis non esse obiectum eiusdem Logicæ, quia ordo ille, qui intelligitur esse inter terminos, & propositiones syllogismi, inter subiectum, prædicatum, & medium, inter maiorem, minorem & conclusionem, potest dici ens rationis, cùm actus intellectus, ex quibus componitur syllogismus, non ita ordinentur naturâ suâ: vnde cùm syllogismus absque tali ordine constare nequeat, videtur inferendum ens rationis esse obiectum, aut formale, aut partiale Logicæ: cum insuper ea fere omnia, quæ in Logica tractantur, videantur esse entia ratioois, ut *universalis, genus, species, prædicamentum, figura, &c.* Nihilominus.

11. Ens rationis non esse obiectum Logicæ, nec formale, nec partiale, nec alio quoquis modo. Probatur primum, maximè contra Thomistas, quia ens rationis non est verum ens, sed defectus, & umbra entis: ergo non est per se primo intelligibile; quia cùm ens, seu verum, sit obiectum intellectus, in tantum aliquid est inrelligibile ab ipso, in quantum participat de entitate. Etenim inquit Aristoteles. 2. Metaph. c. 1. *ut unumquidque se habet secundum esse, ita se habet secundum veritatem.* Ergo si non est per se intelligibile, non est per se scibile, & consequenter non datur illa Scientia, quæ per se primo fit instituta, & ordinata ad illius cognitionem, ergo non potest esse obiectum per se Logicæ, aut alterius scientiæ: cùm obiectum debeat per se primo, & principaliter considerari à scientia cuius est obiectum, ut patet ex dictis. ex quo.

Probatur secundò, quia in Logica nulla fit mentio entis rationis, nisi ex accidenti; nec eius definitio traditur, nec principia explicantur, aut passiones ab Aristotele: ergo ipse non potuit in ea esse mente, ut crede ret ens rationis esse obiectum Logicæ.

Probatur tertio. Si ens rationis esset obiectum Logicæ, non posset ipsa demonstrare

demonstrare alias proprietates , quām rationis , quia passio non est præstans-tioris naturæ , quām subiectum : sed hoc est fallum. Nam parere scientiam , est passio realis , quam Logica demonstrat de syllogismo. Sicut igitur omnis passio quam Physica demonstrat de corpore naturali , conuenit corpori , maximè , quia naturale est , supponendo naturalitatem esse obiectum for-male : ita omnis passio , quam Logica demonstraret , V. G. de syllogismo , deberet illi conuenire , maximè quatenus esset ens rationis formaliter : & ita parere scientiam , quæ est realis proprietas syllogisini , dependeret magis ab illo , prout esset ens rationis formaliter , quam prout constaret realibus acti-bus intellectus : non secus ac , quia ridere competit homini propter rationa-litatem , magis dependet ab eo vt rationalis est , quām vt animal est. Hoc autem est ridiculum.

12. Probatur quartò. Omnis scientia speciem , & distinctionem suam sumit ab objecto , vt patet ex Aristotele 1. post cap. 23. & sèpè lib. 2. de anima. Quam autem speciem , quam distinctionem , quam unitatem dare potest enti reali , quale est Logica , id quod nihil est , nisi figuratum ?

Præterea. Scientia refertur ad suum objectum relatione , quam vocant tertij generis , seu mensurabilis ad mensuram , vt patet ex Aristotele lib. 5. metaph. cap. 15. Sed Logica non potest realiter referri ad ens rationis , vt ad propriam mensuram. Ergo ens rationis non potest esse objectum illius. Pro-batur minor. Relatio quippe huius generis importat realem dependentiam mensurati ad mensuram , vel quoad entitatem , & perfectionem , vel quoad veritatem : vnde ex perfectione lucis , & coloris , concludimus potentiam visuam perfectiorem esse audituam. Similiter , quia cognitione vera est , vel falsa ex eo quod objectum apprehenditur , vt est , vel aliter ac est , ideo ob-jectum est mensura & regula cognitionis secundum veritatem.

Sed ens rationis non potest esse vlo ex his modis regula , & mensura Logicæ : non quoad entitatem , & perfectionem. Quis enim dixerit ens reale dependere realiter à nihilo , & ab eo suam perfectionem desumere ? nec quoad veritatem. Nam ens rationis est ens fictum , & aliter ac est , apprehensum : ergo non potest esse mensura , & regula veritatis Logicæ : imo ex eo falsitas aliqua in Logicam deriuaret potius , quām veritas.

Probatur sextò. Demonstratio est causa realis , scientiæ , non solum se-cundum entitatem actuum intellectus , ex quibus componitur , sed etiam secundum ordinem , & dispositionem , quam habent inter se : imo talis dis-positio constituit syllogismum in esse discursus , & consequenter in ratione veræ causæ productiua habitus scientifici: ergo syllogismus est aliquid reale , non solum secundum entitatem actuum , sed etiam secundum ordinem , & dispositionem eorum in formam syllogisticam : & sic frustra inuehitur ens rationis pro constitutione syllogismi , & cæterorum instrumentorum sciendi.

13. Probatur septimò. Quia licet logicus nullo modo cogitaret de ente rationis : vera tamen essent omnia quæ Logica tractat ex professo de instru-mentis sciendi , eisque omnes conuenirent proprietates , quas de ipsis enun-

tat : ergo ens rationis nihil facit ad objectum Logicæ. Probatur antecedens. Nam syllogismum demonstratum generare scientiam. Definitionem explicare & representare naturam rei. Enuntiationem esse veram, vel falsam. Propositionem uniuersalem negatiuam conuerti simpliciter, &c. Vera sunt, antequam concipiatur ullum ens rationis resultare ex actibus intellectus : & ipsa instrumenta sciendi integrè formata sunt ante quam ullum ens, aut relatio rationis in ipsis intelligatur.

Denique. Quamvis Logicus, ut certus sit se non errare in suo discursu, possit reflectere se supra se, inquirendo an regulas Logicæ rectè obseruerit, & an instrumenta sciendi in debita forma figuraque composuerit ; atque adeò ex hac reflexione quædam entia rationis oriri, & resultare possint ex actibus intellectus : tamen necesse non est ex tali reflexione huiusmodi entia rationis oriri, & si orientur, inutilia sunt prorsus ad Logicæ officium. Quæ duo ita esse demonstro.

Sumamus exempli gratia hunc syllogisnum. *omnis homo est animal.*  
*Petrus est homo.* Ergo *Petrus est animal.* Et supponamus eum non habere rationem veræ demonstrationis, nisi intellectus per reflexionem animaduerterat, in prima propositione *hominem* esse subjectum, *animal* prædicatum ; & similiter in conclusione : atque ita rectè obseruari regulas syllogisticas in modo *DARII*, primæ figuræ.

Ostendo primò, non esse necesse hic interuenire ullum ens rationis. Nam intellectus potest optimè cognoscere majorem propositionem esse veram, recteque formatam, ex eo quod conceptus imagis communis, nempe *animal*, affirmatur de minus communi, cui per se conuenit : similiterque fieri in minori, & in conclusione, sicut exigunt regulæ Logicæ, absque eo quod concipiatur *animal* tanquam formam aliquam distinctam aduenire homini, tanquam materie, & subiecto : sicut optimè cognoscit istam propositionem *paries est visus*, esse legitimam, absque eo quod concipiatur visionem aduenire parieti, eique inhærere, vt formam aliquam, quomodo ficeret ens rationis.

Quo supposito, satis constat secundum, quod proposui ; nimirum, si aliquod ens rationis ibi fingatur, vt aliqua relatio inter terminos, & propositiones, esse prorsus inutile ad rationem perfectam syllogismi, & aliorum instrumentorum sciendi, potiusq; ex intellectus nostri conditione, & imperfectione procedere, quam ex illa directione Logicæ, aut objecti illius exigentia.

14. Objicies primò. Logica non considerat syllogismum secundum esse reale, & naturale actuum intellectus, ex quibus componitur, quia hoc pertinet ad animasticum, aut metaphysicum : ergo prout subsunt alicui formæ, quæ est ordo, & dispositio eorum secundum regulas syllogismorum : sed ordo ille est ens rationis, quia non conuenit actibus intellectus sic ordinari ex sua natura ; nec ex tali ordine resultat aliquid reale in illos actus. Ergo ens rationis erit ratio formalis, secundum quam Logica syllogismum spebit, & consequenter verum objectum illius.

Repondeo concessio primo enthimemate, negando subsumptum. Duplex enim potest considerari forma in syllogismo: prima est dispositio, & ordinatio materialis terminorum, secundum quam in prima, V. G. figura, ille qui medius terminus dicitur, ponitur in majori pro subjecto, hoc est pro eo, de quo aliud affirmatur, vel negatur (per subjectum enim, aut praedicatum, nihil aliud debet intelligi) in minori vero ponitur pro praedicato. Et hoc totum est reale, nihilque aliud importat nisi conceptus objectivus, aut formales, non absolute quidem in se spectatos, sed quatenus vnu de altero enuntiatur prius, aut posterius, vt natura rerum exigit, & secundum regulas Logicæ. Et hæc forma pertinet ad Logicam, cùm per eam constituantur verus discursus.

Vt enim tetigimus q. 3. n. 5. est quidam ordo, saltem virtualis, inter res ipsas cognitas, atque adeo inter actus cognoscentes similis ordo naturalis reperi potest, secundum quem debent disponi in syllogismo, vt constituantur verus discursus, qui ex cognitionibus prioribus, & posterioribus coalescit. Nam operationes mentis vt recta sint & verae, debent rebus ipsis proportionari, & commensurari: ideoque syllogismus, & alia sciendi instrumenta, si quæ sint, in rebus ipsis fundantur.

15. Altera forma syllogismi (si tamen syllogismi forma dici debeat) est ordo quidam rationis, seu fictus ab intellectu apprehendente terminos, & propositiones inter se referri, cui fictioni fundamentum præbet, & occasionem ordo ille, & dispositio materialis terminorum. Et hæc forma est utilis Logicæ, vt jam ostendimus, aut saltem habere non potest rationem objecti formalis, quia non consideratur per se à Logica.

Hæc solutio elucidari potest à simili. Sicut Architectus quatenus Architectus, non agit de natura lapidum, lignorum, clauorum, &c. Ex quibus construitur domus, prout sunt inanima, aut mineralia, &c. neque de relatione proportionis, quæ oritur ex debito situ, & apta commensuratione omnium partium domus; & tamen agit de domo, id est de materiali illo partium situ, & apta partium correspondentia, ex qua consurgit artefactum, quod domus dicitur, ad propellendas temporum injurias aptum: ita Logicus non agit de natura conceptuum, secundum se, neque de ordine illo formalis, qui est relatio rationis inter terminos; sed de ordine materiali, ratione cuius consurgit aliquod artefactum, ignoti manifestatium; & qui potest vocari ordo fundamentalis, quia ex eo resultat, & in eo fundatur ordo ille rationis.

16. Objicies secundò. Logica ex professo tractat de vniuersali, de distinctionibus, de praedicamentis, de figura, de antecedenti, de consequenti: sed hæc, & cetera omnia, de quibus agit, sunt formaliter entia rationis: ergo ens rationis est ejus objectum formale, aut partiale.

Præterea Aristoteles 4. metaph. cap. 2. sub finem, expressè affert Dialecticum, & Philosophum hoc est metaphysicum, agere de er. e.; & circa idem genus versari Sophisticam, Dialecticam, & Metaphysicam: hoc autem

non potest aliter verum esse, nisi quia Metaphysicus agit de omni ente quoad esse reale; Dialecticus vero quoad esse rationis.

Respondeo ad primum, negando minorem. Vniuersale enim, genus, species, &c. Sunt entia realia, à parte rei existentia, ut dicimus in secundo libro: aut, si non sint à parte rei, sunt denominationes reales extrinsecæ, petitæ ab intellectu, cognoscente naturas communes absque differentijs particularibus.

Et quamvis ista duo vera non essent, non ideo ens rationis esset objectum Logicæ, quia non ea consideraret Logica per se, sed ex accidenti, quatenus ex directione, atque ordinatione conceptuum mentis, relationes rationis resultant, ut iam explicatum est: ob illam enim coniunctionem, & concomitantiam potest dialecticus entia rationis considerare, sicut nos infra praestabimus.

Confirmatur hæc responso, quia ea, quæ Logica docet de supra dictis, scilicet de genere, de predicato, de subjecto, &c. Non verificantur, nisi de entibus realibus, ut dum ait genus predicari de specie, non valet dicere *species est genus*; bene autem *homo est animal*. Item dum ait *predicatum dicitur de subiecto*. Non valet dicere *subiectum est predicatum*. Bene autem. *Petrus est homo, paries est albus*. Et ita de alijs. Igitur dum Logica agit de genere, de specie, de subjecto, de predicato, antecedenti, consequenti, medio termino &c. Non intendit tractare per se de entibus rationis, sed huiusmodi terminis vtitur ad denotandas res ipsas, secundis intentionibus denominatas, ut ita debito modo instrumenta sciendi, praesertim syllogismum componat, ad dirigidum intellectum in veritatis cognitione.

17. Respondeo ad secundum, dialecticam agere de omni ente, sicut & Metaphysicam, sed diuerso modo, quia Metaphysica agit de eo rationibus necessarijs, Dialectica probabilitibus, sicut Sophistica apparentibus: vnde, inquit Aristoteles. *Dialectica est tentativa de quibus Philosophia est cognitiva, sophistica vero apparet*. Et ita nihil inde contra nos concludatur. Est autem ibi sermo de Dialectica respectu partis topicæ, quæ circa res omnes tanquam circa objectum, vel potius materiam remotam versatur, ut explicatum est quæst. 2. num. 8.

Quæres cùm ens rationis non sit objectum Logicæ, quodnam ergo erit objectum formale illius.

Respondeo nullum. Objectum enim formale, ut patet ex prima sectione hujus quæstionis, additur objecto materiali, ut faciat illud proprium & adæquatum scientiæ, quando propter suam amplitudinem à multis scientijs consideratur: at syllogismus absque ullo alio adæquatur Logicæ, eique ita proprium est, ut ab ea consideretur & secundum essentiam, & secundum proprietates, & secundum omnes modos, secundum quos est considerabilis.

Adde quod potest ista ratio formalis assignari, ut recte ait Fauentinus,

quatenus nimirum est oratio ignoti manifestatio per vim illatiam necessariam: quomodo à nulla alia scientia consideratur, vt patet.

## SECTIO IV.

## Refutantur reliquæ de objecto Logicæ opiniones.

18. **P**RIMA, quæ se se hic offert, à nobis confutanda opinio, tribuitur Gregorio, Ochamo, Gabrieli, & aliis nominalibus, afferentibus objectum Logicæ esse voces significatiuas. Hcs Authores ab hac opinione, tanquam absurdâ, vt à calumnia defendere conantur juniores quidam, inter quos mendosâ, afferentes ipsos per voces intellectissime conceptus mentis, quia illorum vice usurpantur. Non est tamen cur tantopere pro eorum defensione laborent, cum ipse Diuus Thoiras primo de interpretatione lect. 2. expresse afferat significationem vocum pertinere ad principalem considerationem Logicæ. Et verò Aristoteles in libris de interpretatione, Topicorum, & Elenchorum fusè sat is disputat de vocum significatione, appellatione, suppositione, amphibologia, &c. ex quibus fallaciæ oriuntur in argumentationibus: vnde non tam ridicula videri debet hæc opinio his qui Authorum eius faciunt se patronos.

Quidquid tamen sit, non nobis placet, quia Logica non agit per se primum de vocibus: neque enim de his agere potest vt sunt quid naturale, & sensibile, quia hoc Physicæ munus est: neque vt sunt significatiuae ex hominum bene-placito, quia hoc ad Grammaticam pertinet: & ideo si Logica aliquid de tali significatione pertractet, mutuatur à Grammatica, eo fine vt præcepta doceat, mentisque conceptus, & sensa absque falsitatis, & ambiguitatis periculo prodat: atque ita secundariò solum, & in ordine semper ad syllogismum, de illis differit.

Præterea. Generare scientiam, opinionem parere, ignotum manifestare. Sunt proprietates, quas Logica ex professo de suo objecto demonstrat: haec autem non conueniunt vocibus, sed potius conceptibus internis.

19. Tertiò. Potest quis esse perfectus Logicus, & optimè penetrare naturam discursus, & præceptorum Logicæ, etiam si Grammaticam non dicterit, modo aliunde rerum naturam, & significationem percipiat: igitur voces fe habent per accidens, ideoque sub primariam Logicæ considerationem cadere non possunt.

Quartò. Sicut nullus rectè dixerit sphæram ligneam, aut æream, quam adhibet Astrologus ad Cœlorum motus explicandos, alijsque manifestandos, esse objectum Astrologiæ: ita nec dicere debet voces, quibus utitur Logica ad exprimendam naturam rerum, & manifestandos mentis conceptus, esse objectum Logicæ.

Quintò. Patet inductione in omnibus ferè Logicæ partibus non considerari per se voces. Nam in tractatu de prædicabilibus agitur de vniuersali, quod vel est à parte rei, vel fit per actus intellectus, non verò per voces: & dum dicitur *genus prædicatur de specie*, non intelligitur de voce, sed de re significata, & sic de alijs. Similiter in tractatu de categorijs non considerantur per se hæc voces *substantia*, *quantitas*, *qualitas*, sed res significatae. Neque per se *subsistere*, *extendere* subiectum, referre fundamentum, &c. vocibus conuenit, sed rebus. Denique in alijs tractatibus considerantur enuntiationes, definitiones, discursus, quæ sunt actus intellectus, non voces. Ex quibus facile solui potest quidquid in contrarium assertur.

20. Sequitur deinde opinio statuens pro objecto Logicæ cognitionem intellectus, seu tres mentis operationes, ut dirigibles in instrumenta sciendi, seu quatenus ex his, debito modo ordinatis, possunt fieri argumentationes, definitiones, diuisiones, &c.

Confutatur autem hæc sententia primò, quia objectum est, quod primò, & principaliter consideratur in scientia: nulla autem in Logica specialis tractatio instituitur ex professo de actibus mentis, vt patet in Authoribus, & in Aristotele ipso.

Deinde. Talis dirigibilitas passiuæ, secundum quam actus ipsi possunt disponi in instrumenta Logica, dicitur ferè communiter ens rationis: sed iam in praecedenti sectione ostensum est ens rationis non esse objectum formale Logicæ.

Tertiò. Sicut lapides, ligna, calx, arena, &c. non dicuntur objectum Architecturæ, sed ædificium ipsum, seu domus, ex his tanquam ex materia coalescens; nec objectum figuli est lutum, sed vasæ, quæ ex luto fiunt: ita non rectè dicuntur actus intellectus, ex quibus componuntur instrumenta sciendi, esse objectum Logicæ; sed potius ipsa instrumenta, & artificiosa composita, ut syllogismus. Ideoque actus, solum dici possunt materia *ex qua*, hujusmodi instrumentorum: nulla enim assignari potest in hoc disparitas.

Quarto. Nullæ artes, quæ conficiunt instrumenta in ordine ad aliquod opus, habent pro objecto opus ipsum, ad quod instrumenta ordinantur, sed ipsa instrumenta: at Logica conficit syllogismum, aliaque sciendi instrumenta in ordine ad dirigendas operationes intellectus: ergo instrumenta ipsa, non autem operationes sunt illius objectum. Major patet inductione: nam objectum artis quæ serras, gladios, &c. conficit, non sunt scamna, tabulæ, Cathedræ, cæteraque illis instrumentis fabricanda; sed instrumenta ipsa: objectum frœnofactoriæ non est equus regendus frœno, sed frœnum: fabricatrix armorum, non est pugna, sed ipsa arma; & ita de cæteris.

21. Objicies primò. Nullus negat institutam esse Logicam ad directiōnem operationum intellectus, in quibus ipse errare potest. Ergo operatiōnes ipsæ, ut à Logica dirigibles, erunt illius objectum potius, quam aliiquid aliud. Probatur consequentia à parti in omnibus artibus, quæ instituta sunt ad dirigendas operationes, in quibus errare possumus. Nam objectum

artis saltandi est saltus ; canendi est cantus ; artis militaris pugna , & actiones bellicæ ; Philosophiæ moralis actiones humanæ , ad honestatem dirigibiles , & sic de alijs.

Respondeo negando consequentiam : ad eius probationem nego paritatem , à numeratis artibus desumptam . Nam in arte saltandi non datur medium aliquod prius ad dirigendum saltum , nec in arte cantandi ad dirigendum cantum , nec in militari , ad actiones bellicas , nec in morali , ad actiones humanas , quod hujusmodi artes , aut scientiæ principaliter considerent : at Logica habet medium aliquod , & instrumentum ad dirigendas operationes intellectus , quod principaliter considerat , nempe syllogismum , & ideo syllogismus est objectum Logicæ potius , quam operationes , vt dirigibiles .

22. Objicies secundò . Objectum adæquatum Logicæ illud censeri debet , ad quod reducuntur , & in ordine ad quod considerantur omnia ad Logicam pertinentia : sed hoc modo se habent operationes intellectus . Nam syllogismus ipse , cæteraque sciendi instrumenta ordinantur ad eas tanquam media , quibus diriguntur . Logica quippe considerat syllogismum propter scientiam , certamue cognitionem ; non verò scientiam propter syllogismum , nec item judicium propter enunciationem , sed enunciationem propter judicium , vt scilicet verum sit , & conforme rei enunciatae .

Deinde res omnes reducuntur ad easdem operationes , tanquam materia , circa quam versantur ; voces tanquam signa , quibus exprimuntur , & ipsa entia rationis , secundæque intentiones , veluti effectus , qui resultant ex illis , illasue consequuntur . Igitur rectè assignantur ipsæ operationes pro objecto adæquato Logicæ .

Respondeo ad minorem , omnia , quæ in Logica tractantur , reduci , & considerari in ordine ad operationes intellectus dirigendas , tanquam ad finem , non verò tanquam ad objectum , vt dictum est sectione 2. præcedenti num. 9. in fine . Sicut enim frœnofactoriæ objectum est frœnum , finis verò est recta equi moderatio : ita syllogismus est objectum Logicæ , quo dirigit operationes intellectus : ipsæ verò operationes dirigibiles , aut , vt melius loquar , directio ipsarum operationum , est finis illius .

Et quamvis omni scientiæ conueniat dirigere operationes mentis , atque intellectum perficere in ordine ad suum objectum ; Logica tamen dicitur absolutè , & specialiter eas dirigere , quia tradendo instrumenta sciendi , seu rectè intelligendi , dirigit intellectum in proprio modo operandi , vt de qualibet re absque errore discurrat .

23. Tertio venit ordine sententia , quæ res omnes pro objecto Logicæ statuit , quatenus subsunt secundis intentionibus , quas vult esse entia rationis ; ita vt res omnes sint objectum materiale ; ens rationis verò , seu secunda intentio , formale . Ita complentes disputatione 1. qu. 2. proceriali : alijque non pauci . Et pro ea citatur D. Thom. 4. metaph. lect. 4. & alibi .

Sed iam supra diximus qu. 2. num. 8. res omnes esse objectum tantummodo remotum Logicæ , quatenus potest probabiliter differere de omnibus ;

quod adhuc de vtente seu topica debet intelligi, non de demonstrativa: & insuper hic additur ens rationis, quod jam refutauimus.

Præterea idem rejicitur ex similitudine aliarum scientiarum. Nam quando moralis agit de actibus voluntatis ad honestatem dirigibilibus, nullus dicit objectum illius esse res honestas appetibiles, sed actiones honestas voluntatis. Quando Physica agit de visu, de auditu, & alijs sensibus, eorumque sensationibus, nullus dicit objectum illius esse res sensibiles, & perceptibiles a sensibus, sed ipsos sensus, & operationes eorum. Similiter in Rhetorica objectum non sunt res persuasibiles per accuratam orationem, sed oratio ipsa, apta ad persuadendum, & sic de alijs.

Denique Logica communiter censetur esse scientia reflexa, & per cognitionem reflexam acquisita: est enim scientia agens de ipsa ratione scientiae, discursus agens de ipso discursu, & in viaiuersum de instrumentis intellectualibus, quibus ipsa, ceteraque scientiae comparantur: sed cognitio reflexa non habet pro objecto proximo rem cognitam a cognitione directa, sed cognitionem ipsam directam. Ergo proximum objectum Logicæ non sunt res omnes, vt secundis intentionibus substant, sed potius instrumenta sciendi ex cognitionibus composita, aut componibilia.

24. Obijcies primo. Logica dicitur scientia generalis, sicut Metaphysica, non alia certe ratione, nisi quia utraque habet obiectum generale, quod se se extendit ad omnia, & quia utraque perficit intellectum in ordine ad omnes scientias, quatenus earum obiecta sub obiecto utriusque continentur: quod satis patet ex Aristot. 4. Metaph. cap. 2. dum ait. *De omnibus enim disputant, et circa genus idem versantur sophistica, et Dialetica cum Philosophia.* Disputare autem de omnibus, non indicat obiectum remotum, sed proximum, vt per se patet.

Respondeo negando Logicam, quatenus scientia est, aut docens, verari circa res omnes, nisi tanquam circa materiam remotam. Aristoteles autem loquitur de Logica topica, & utente, quæ potest dici exerceri circa res omnes, etiam proxime, quatenus probabiliter de omnibus disputat, vt toties diximus: sub qua ratione potest dici generalis: tum etiam Logica ipsa potest absolute dici scientia generalis, quia eius obiectum, nempe syllogismus, commune est, & inferuit omnibus scientijs.

25. Obijcies secundò. Omne ens reale in prædicamentis continetur: Logica autem tractat de prædicamentis, sicut Metaphysica; igitur agit de omniente, & ita omne ens est eius obiectum; non quidem secundum prædicta intrinseca, & realia, quia sic a Metaphysica spectatur; sed secundum ea, quæ ipsi conueniunt per operationem intellectus, vt esse genus, speciem, prædicatum, subiectum, &c. Quæ sunt secundæ intentiones, & entia rationis.

Confirmatur. Quia nullus negat Logicam agere de viauersali, de genere, de definitione, syllogismo, &c. Sed res ipsæ sunt, quæ propriè dicuntur viauersale, genus, prædicatum, syllogismus, &c. Non vero ipsi actus intellectus, aut quippiam aliud: ergo ipsæ res immediatè pertinent ad obiectum.

## Quaum materiale Logica.

Respondeo non esse negandum Logicam considerare res omnes; sed non ideo ut objectum: quia enim non considerat ens reale secundum praedicata intrinseca & realia, ut fatetur objectio; consequenter non recte dicitur ens reale, esse objectum illius, saltem proximum, quæcumque restrictio, aut formalitas ei apponatur: & ut ait Zabarella lib. i. de natura Logicae, c. 19. res omnes non sunt subiectum, de quo fiant demonstrationes à Logica, sed sunt subiectū operationis, in quo scilicet Logica efficit secundas intentiones.

Sunt igitur tantum materia remota Logicae, quatenus actus intellectus, ex quibus componitur syllogismus, versantur circa res illas, quæ denominantur genus, praedicatum, &c. Et hæc potius dici debent obiectum intellectus, vel alterius scientiæ, quam Logica, quæ præcepta, formamque differendi maximè spectat, imò ferè circa hæc tantummodo versatur.

Quia tamen ad huiusmodi formam' debito, & certo modo obseruandam, aliqua rerum ipsarum cognitio haberi debet, ideo rudi minerua de his agit in praedicamentis, sed in ordine ad formam illam, & ideo de forma proximè tractat; de rebus verò remotè, & tanquam terminantibus respectum secundarum intentionum, ut dicemus in procemio praedicabilium.

26. Objicies tertio ex Ianduno. Finis Logicae est discernere verum à falso, veritas autem primariò, & principaliter inuenitur in rebus, & secundario in actibus intellectus, nam ex eo oratio vera est, vel falsa, quia res ipsa est, aut non est. inquit Arist. in praedicamentis cap. de substantia sub finem. Ergo Logica considerat primariò veritatem, quæ est in ipsis rebus, & consequenter obiectum Logicae sunt ipsæ res.

Respondeo negando consequentiam. Malè enim confunditur finis Logicae cum obiecto: finis inquam remotus, & extrinsecus: quia licet finis proximus Logicae sit cognoscere obiectum suum, nempe syllogismum, & ita finis eius, & obiectum reipsa idem sint: Tamen indagare veritatem aliarum rerum, siue dirigere intellectum, ut sine errore earum cognitionem acquirat, definiendo, diuidendo, argumentando, est finis remotus, & quasi extraneus illius, conueniens illi in ratione instrumenti, & ministræ generalis aliarum scientiarum, ut declaratum est quæstione 1. nū. 10. in fine; & ita est distinctus ab obiecto proprio. Vnde non recte concluditur obiectum eius esse res omnes, nisi sermo sit de vtente modo superius explicato. Adeo quod veritas rerum, quæ transcendentalis dicitur, ad Metaphysicam pertinet, non ad Logicam, quæ potius veritatem formalem, seu cognitionis spectat.

Cetera opiniones superius memoratae, iam ex nostra conclusione confirmatae manent. Vel enim obiectum nimis amplum assignant, ut definitiōnem, diuisionem, argumentationem; vel minus latè patens, ut demonstratiōnem;

# APPENDIX.

Aliquæ ex refutatis modò sententijs defenduntur.

## PRIMA PARS.

*Defenditur ens rationis esse objectum Logice.*

27. **V**AMVIS ægrè adinodum meus inclinet animus in præcedentem opinionem, quæ ens rationis pro obiecto formalí Logice constituit: quia tamen eam tueruntur nobilissimi Philosophi: Diuus Thomas 4. Metaph. lectione. 4. opusc. 42. cap. 4. & opusc. 56. item 1. post. lect. 20. & in procemiō Ethic. Caetanus capite de genere parte 2. Sotus qu. 5. procemiali Logicæ. Iauellus cap. 3. Masius sect. 1. quæst. 13. complutenses disputatione. 1. quæst. 2. §. 3. alijque innumerī. Nullo veritatis dispendio possumus eorum inhærere vestigijs. Præcipuas autem rationes, & fundamenta huius sententia, obiectiones in calce sectionis tertiae præcedentis allatae continent, ideoque opus non est eam hic amplius confirmare, sed tantummodo soluere argumenta, quibus impugnatur. Igitur.

Respondeo ad primum: quod, licet ens rationis non sit simpliciter ens: eo tamen modo quo habet entitatem, est intelligibile & scibile, nimirum per ens reale, & ad modum entis realis: nec ideo per accidens est scibile, non per se, quia sicut illi per se conuenit, ut intelligatur ad modum entis realis, ita illi per se conuenit, quod sciatur ad modum illius.

Præterea: ex pluribus aduersariis multa sunt simpliciter scibilia, licet non sint simpliciter entia, ut quantitas est simpliciter scibilis à mathematicis, quarum est obiectum, licet sit tautum ens analogicè respectu substantiæ, quam Physica considerat.

Denique: licet linea, & superficies continuæ, à multis negentur, circulique cœlestes, reales non sint, sed mente tantummodo concipientur: tamen de illis, non secus ac si entia vere realia essent, dantur veræ scientiæ, Geometria, Astrologia, Perspectiva.

28. Respondeo ad secundum, multos Logicæ Aristotelis libros periisse, ut videre est apud Laertium in vita illius: in quibus forte de ente rationis Logico expreſſe tractauit. Deinde sufficienter de eo agit, dum disputat de vniuersitatis, de prædicamentis, de propositione, de æquipollentia, de antecedenti, de consequenti, de figura, de syllogismo, de eius principiis, &c. quæ sunt formaliter entia rationis.

Respondeo ad tertium, concedendo Logicam non posse demonstrare de ente rationis in se spectato nisi passiones rationis: vnde parere scientiam,

non conuenit enti rationis tanquam causæ reali illius , sed ipsis actibus realibus nientis , in formam syllogismi dispositis , & ordinatis: quia tamen forma illa , & ordo est ens rationis, nec sine tali ordine possunt actus intellectus scientiam generare ; consequenter scientia dependet etiam ab ente rationis, saltem ut à conditione , *sine qua non* , eo modo quo significatio , ex hominum institutione vocibus imposita, licet ens rationis sit, est conditio sine qua huiusmodi voces non producerent in auditu , aliae potentia cognoscitiva , species intentionales rerum significatarum.

Quapropter verum est conuenire syllogismo generare scientiam, maximè propter ens rationis, hoc est propter ordinem actuum intellectus in formam syllogisticam ; suo tamen modo, hoc est propter ens rationis , tanquam propter conditionem *sive qua non*.

29. Respondeo ad quartum, Logicam sufficienter sumere suam vnitatem, speciem , & distinctionem ab ente rationis. Ex eo enim quod versetur circa objectum , circa quod aliæ scientiæ non versantur, distinguitur ab illis specie, diuersamq; naturam sortitur: ad quod non est opus ut objectum aliquam causalitatem exerceat circa ipsam ; sed sufficit ut sit extrinsecus terminus , & scopus, ad quem ipsa tendit : quomodo actus voluntatis specificantur à fine non existente , atq; etiam ficto.

Respondent ad quintum Complutenses , non esse relationē realem scientiæ ad objectum, quando illud est ens rationis. Nihilominus Aristoteles citato loco Metaphysicæ loquitur abolutè quod scibile dicatur ad aliquid , quia aliud nempe scientia dicitur ad ipsum. Et in prædicamentis capite de quantitate expressè dicit scientiæ esse ad aliquid. Deinde euidens est scientiam mensurari ab objecto , cum ab eo speciem, vnitatem, & veritatem sumat , & consequenter dicere aliquam rationem dependentiæ ab eo.

Respondet Masius, concedendo posse esse relationem realem scientiæ ad objectum , quamvis sit ens rationis. Hanc solutionem falsam vocant Complutenses , & contra Diuum Thomam in primo , distinctione 26. quæst. 2. art. 1. Eo quod relatio realis exigat vtrumq; extremonum in actu. Et hoc quidem communiter recipitur , si sermo sit de relatione prædicentali.

30. Verumtamen , quidquid sit de modo loquendi , negari non potest scientiam quamlibet , & consequenter Logicam , dicere habitudinem , & ordinem trascendentalem ad suum objectum, quodcumq; illud sit. Omnis quippe cognitione intellectus essentialiter ordinatur ad objectum cognitum : vnde cum ens rationis sit objectum actuum intellectus , ad Logicam pertinentium ; ipsi consequenter dicunt habitudinem transcendentem ad ipsum ; ergo & habitus ipse Logicæ , à quo tales actus oriuntur , similem ad idem ens rationis habet ordinem , secundum quem ei coaptatur & commensuratur , ab eoq; suo modo dependet. Quod absurdum videri non debet , quia talis dependentia non dicit aliquid reale ex parte objecti , aut aliquod genus causalitatis realis ; sed tantum rationem termini specificantis , aut formæ extrinsecæ , aut quasi exemplaris , & idealis.

Respondeo ad sextum , negando antecedens. demonstratio enim non est causa realis scientiae secundum ordinem , & dispositionem actuum intellectus formaliter ; sed scientia producitur ab ipsis actibus realibus , ad quod requiritur eorum ordinatio ut conditio sine qua non , ut dictum est ad tertium.

Respondeo ad septimum , negando antecedens. neque enim potest constare demonstratio absque ordinatione actuum intellectus secundum regulas Logicae , & consequenter sine ente rationis. nec item potest esse definitio aut propositio vniuersalis. V.G. ista omnis homo est animal , sine abstractione , per quam concipiuntur homo , & animal , ut distincta , & ut quid communis & vniuersale , quomodo sunt entia rationis. falsum ergo est instrumenta sciendi integrè formata esse antequam in eis resultet ens rationis ; cum non sint instrumenta , hoc est composita artefacta , sine huiusmodi dispositione terminorum , sine abstractione , distinctione , compositione , &c. quæ sunt formaliter entia rationis. Et per hoc patet responsio ad octauum.

## SECUNDA PARS APPENDICIS.

### *Defenduntur tres alia opiniones pro objecto Logica assignatae.*

31. **S**ECUNDA sententia assignat pro objecto Logicae , operationes mentis , ut dirigibles , & disponibilis in syllogismum , ceteraque instrumenta sciendi . ad argumenta autem , quibus supra impugnata est , iam respondendum venit.

Respondeo itaque ad primum , negando minorem : quod scilicet nulla specialis tractatio instituatur in Logica de operationibus mentis:imo de nulla propemodum alia re agitur , ut patet in objectione secunda. Ipsius enim tota cura impenditur in tradendis regulis ad recte definiendum , diuidendum , & argumentandum , & consequenter ad dirigendum operationes mentis in instrumenta sciendi . termini quippe simplices , propositio , diuisio , argumentatio nihil aliud sunt , nisi mentis operationes in instrumenta sciendi composite , & ordinatae . Neque opus est , ut agat de ipsis secundum propriam naturam , & essentiam , quod Physicae proprium est : sufficit ut agat prout sunt conformabiles in instrumenta sciendi .

Respondeo ad secundum , dirigibilitatem illam , seu ordinabilitatem operationum mentis , esse ens rationis secundum opinionem Thomistarum probabilem , de qua prima parte huius appendicis . Talis enim dirigibilitas importat potentiam aliquam passuam ad recipiendam aliquam formam : quando autem forma recipienda , realis non est , potentia ad illam realis esse non potest : at forma recipienda , est ordo ipse operationum mentis , proueniens

ab intellectu, quia ipsae nullam habent Physicam proprietatem, per quam ita postulent ordinari, sed solam non repugnantiam, ut probabiliter insinuatum est sectione tertia superiori, objectione prima.

32. Vel si talis ordo non sit ens rationis, ut in responsione ejusdem objectionis diximus; non spectat tamen ad Physicam, saltem sub eadem ratione: quia, licet actus ita naturaliter postulent ordinari: Logicæ tamen est primo tradere regulas huius ordinationis, & dispositionis; secundo eam actualiter efficere: tertio eam considerare, ut rationem formalem objecti: at Physica nec eam efficit, nec regulas, & præcepta eam efficiendi tradit, nec considerat ut objectum formale, sed simpliciter ut passionem operationum.

Deinde hujusmodi dirigibilitatem explicare possumus, non in ordine ad ipsa instrumenta sciendi, sed in ordine ad quilibet rem debito modo intelligendam per observationem præceptorum Logicæ; quia Logicæ non solum instituta est ad cognitionem suorum instrumentorum, sed ut sit ministra, & inseruat alijs scientijs ad cognitionem omnium rerum.

Vnde talis dirigibilitas nihil aliud est, nisi aptitudo, & capacitas, quam habet cognitionis intellectu, ut vera sit, ut recta sit, ut sit conformis objecto cognito, dependenter ab arte directiu, & regulatiua; quæ quidem aptitudo non est quid distinctum à cognitione, sed est ipsam cognitionem, connotando veritatem, & rectitudinem, quam potest habere, tanquam propriam perfectionem. Licet enim falsitas ei conuenire possit; non est tamen eius perfectione, sed potius contra naturam illius, & intellectus; sicut malitia est contra naturam hominis, licet possit actibus humanis conuenire.

Dixi autem dependenter ab arte regulatiua, & directiu, hoc est à Logica, quia sic talis dirigibilitas fit propria Logicæ, & objectum illius formale, ut jam explicatum est.

33. Respondeo ad tertium, negando paritatem. Architectura enim sistic in ædificio, nec eo tanquam instrumento vtitur ad aliud principale opus fabricandum: nec item figurulus vasis: at Logica considerat instrumenta sua, quæ conficit in ordine ad directionem cognitionis intellectus, ut recta sit, & vera: vnde sicut Architectura non habet pro objecto malleum, lineam, perpendicularum, & cætera instrumenta, quibus vtitur ad domum fabricandam: ita nec Logica habet pro objecto argumentationem, & alia instrumenta, quibus dirigit operationes mentis, sed ipsas operationes, in quibus ultimum sistic.

Respondeo ad quartum. Esse quasdam artes ancillas, conficientes quædam instrumenta, in quibus sistent, nec eis ad aliud opus vtruntur, sed ea præbent alijs, quibus subordinantur. Sic se habent artes in objectione nominatae. Aliæ vero sunt quæ conficiunt instrumenta, eisque vtruntur ad alia opera conficienda. Artes primi generis habent pro objecto instrumenta, quæ conficiunt, quia ipsa se habent ut ultimum in ijs artibus; non vero aliud opus. Artes vero posterioris generis non habent pro objecto instrumenta, quæ conficiunt, sed opus, in ordine ad quod talia fabricant instrumenta, ut

per se notum est. Et hujus generis est Logica, quæ non conficit instrumenta sciendi, solum pro aliis scientiis, quasi simplex ancilla, sed iis ipsa vtitur ad dirigendas operationes intellectus in cognitione rerum omnium.

34. Tertia sententia statuit pro objecto Logice, res vt substant secundis intentionibus sicut explicatum est, quam si amplecti volueris, ita te ab argumentis in contrarium allatis expedes.

Respondendo quidem ad illud, quod in principio ponitur, non tantum Topicam, sed totam Logicam ab solutè versari circa res omnes, tanquam circa objectum materiale proximum, non secus ac Metaphysicam. Etenim in rebus ipsis, non autem in operationibus mentis formantur propriè secundæ intentiones subjecti, prædicati, definitionis, syllogismi, &c. quæ sunt objectum formale Logice: & ideo res ipsæ debent esse objectum materiale.

Respondetur ad aliud, sumptum ex similitudine aliarum scientiarum, negando similitudinem illam, quia hujusmodi scientiæ nihil moluntur circa illa objecta. Nam moralis sifit in actibus voluntatis, Physica in sensibus, Rhetorica in oratione accurata: at objectum formale Logice, hoc est secunda intentio, res ipsas afficit, & denominat: ideoque Logica considerat immediatè res ipsas, easque proximè attingit per suas operationes, tanquam proprium objectum materiale, de quo, vt talibus intentionibus informato, passiones demonstrat.

Respondeatur ad ultimum, quod, quāuis Logica dicatur, & sit scientia reflexa non sequitur ipsam habere pro objecto proximo cognitionem directam, quia omnis eius reflexio eò solum tendit, vt secundum regulas Logice, res benè cognoscantur per cognitionem directam, vel in se, & in sua veritate transcendentali, si sumamus dirigibilitatem operationum mentis in ordine ad res ipsas, modo explicato in responsione ad secundum præcedentis sententiæ: vel si sumatur dirigibilitas duobus alijs modis ibidem traditis, vt benè cognoscantur secundum illud esse rationis, quod in eis resultat ex operationibus intellectus, hoc est quoad ordinationem hujusmodi rerum in formam instrumentorum sciendi; propter quam dicuntur subjectum, prædicatum, definitio, syllogismus, &c. solum representatiuè. Quo fit vt modus sciendi objectivus, hoc est res ipsæ, hujusmodi secundis intentionibus substratae, sint objectum totale Logice; non autem operationes mentis, quæ dicuntur modus sciendi formalis, seu mentalis.

35. Non minori facilitate sustineri possent ceteræ opiniones, quæ vel argumentationem, vel solam demonstrationem, vel modum sciendi, quantum definitionem, diuisionem, & argumentationem comprehendit, Logicæ tribuunt pro objecto. His enim omnibus nullo negotio aptari possunt rationes, quas pro syllogismo secat. 2. attulimus. Et quamvis definitio, & diuisio ad argumentationem, ad syllogismum, ad demonstrationem ordinentur; non ideo debent excludi à propria & immediata ratione objecti. Neque enim quilibet ordo vnius objecti partialis ad aliud, tollit ab eo rationem immediatam objecti; alioquin in quāuis scientia solum objectum principale,

esset adæquatum , ut in Metaphysica , Deus , in libris de anima , solus homo , &c.

Adde quòd finis Logicæ est dirigere intellectum in cognitione veri , & in acquisitione scientiarum : possumus autem tria de qualibet re cognoscere , scilicet essentiam , partes eius , & passiones ; definitio autem notificat essentiam , diuisio partes explicat , argumentatio passiones demonstrat : ergo hæc tria rectè possunt assignari pro Logicæ objecto . Hæc satis .



## QVÆSTIO V.

De necessitate Logicæ respectu aliarum Scientiarum .

## SECTIO I.

*Aliqua ad questionis intelligentiam præmittuntur.*

1. OT A primò ex doctrina Aristotelis s. metaph. c. 5. duplex esse necessarij genus : alterum dicitur necessarium absolute : alterum ex suppositione .

Necessarium absolute est illud , quod ab intrinseco , & ex natura sua nullo modo potest aliter se habere : quomodo necessarium est Deum esse : similiter hominem esse animal rationale , &c.

Necessarium ex suppositione est illud , quod secundum se aliter se habere potest : supposita tamen aliquà causâ , necesse est , ut ita se habeat : vnde pro quadruplici genere causæ , quadruplex assignari solet necessarium : sed illud , quod ad præsentem questionem facit , petitur ex causa finali ; & duplex distinguitur , scilicet necessarium simpliciter , seu ad esse , & necessarium secundum quid , seu ad melius esse . Necessarium simpliciter est sine quo finis haberri non potest ; quomodo cibus , & respiratio dicuntur necessaria ad vitam . Necessarium secundum quid , illud est , sine quo finis quidem haberri potest , sed non ita commodè , hoc modo equis dicitur necessarius iter agenti .

Nota secundò , scientiam quamlibet in duplo statu posse considerari , scilicet in statu perfecto , & in imperfecto . Status perfectus scientiæ est quando scientia totaliter scitur , & omnes eius conclusiones , aut ferè omnes , quamvis remotæ à suis principijs , cognoscuntur : imperfectus vero status est quando aliquæ tantum illius demonstrationes primis principijs proximæ , habentur his prænotatis .

2. Certum est primò Logicam acquisitam , esse necessariam secundum

quid hoc est maximè utilem ad scientias in quoouis statu comparandas. Quid quid contra dicat Dominicus à Flandria lib. I. metaph. q. I. artic. I. in solutione secundi argumenti. Ait enim scientias, & artes, quæ versantur in rebus, non dirigi à dialectica, vt Metaphysicam, Physicam, Mathematicas: sed tantum quæ versantur in sermone, vel in ente rationis, vt sunt Grammatica, Rhetorica. Nihilominus ratio est euidentis in contrarium. Logica enim tradit regulas rectè definiendi, dividendi, & argumentandi, sine quibus aliæ scientiæ non constant: vnde qui huiusmodi regulas nescit, maiorem sine dubio difficultatem patitur in cognitione, & acquisitione scientiarum, quām ille, qui iam nouit: cùm eas priùs indagare debeat, quām possit aliquid definire in aliis scientiis, aut circa earum objecta sine erroris periculo ratiocinari.

Dices scientia illa, à cuius directione dependent aliæ scientiæ, debet esse nobilior scientiis, quas dirigit: nam dirigere magnam importat nobilitatem: sed Logica est imperfectior omnibus scientiis realibus: ergo ipsa non pendet ab eius directione.

Respondeo, Logicam esse secundum quid perfectiorem, ratione huiusmodi directionis; simpliciter verò imperfectiorem, tum ratione objecti, tum quia dirigit, non ut domina imperans, sed ut famula, facem præferens.

3. Hæc porro directio, secundum quam Logica dicitur necessaria intellectui ad alias scientias comparandas, non conuenit Logicæ per accidens, sed per se: quamvis huic veritati aliqui reluctentur: Cùm enim Logicæ per se conueniat dirigere intellectum, ne in suis cognitionibus erret, quatenus ei regulas rectè discurrendi, & definiendi præscribit, non possunt aliæ scientiæ ab huiusmodi regulis, & consequenter à Logicæ directione, per se non pendere; quantacunque sit illa dependentia.

Neque magni momenti est, quod contra hoc proponi potest, argumentum. Videlicet ens rationis, quod secundum multos est objectum Logicæ, vniuersaliter, & accidentaliter denominare ens reale, quod est objectum aliarum scientiarum; talis autem debeat ordo & dependentia reperiri inter scientias, qualis inter eorum objecta. Etenim verum, quod ponitur objectum intellectus, accidentaliter denominat bonum, quod est objectum voluntatis: & tamen voluntas in prosecutione boni, per se pendet à directione intellectus. Et lumen accidentari vnitur colori, & tamen per se iuuat, imo necessarium est potentia visiva ad videndum colorem. Et ita aliud iudicium est de denominatione, aut vniione objectorum; aliud de directione scientiarum, quia hæc multum inter se differunt.

4. Certum est secundò, licet quidam recentiores id negent, Logicam non esse simpliciter necessariam ad acquirendas alias scientias in statu imperfecto. Potest enim homo solius lumenis naturalis dictu, aliquam ratiocinationem contexere, & aliquam conclusionem primis principiis immediatam, aut non multum ab eis remotam inferre: vt ex eo quod tali tempore futura sit interpositio diametralis terræ inter solem, & lunam, potest absque periculo errandi aliquis concludere futuram eclipsim in luna, quia euidenter obseruarit

seruarit hanc esse legitimam causam eclipsis. Item ex eo quod Petrus ambulet, ipsum necesse esse moueri. & ideo autumnali tempore arbores defrondescere, quia desit humor in radicibus foliorum. Et indigenti succurrendum, quia nobis idem praestari vellemus. Haec quippe conclusiones, & similes ita euidenter e suis principijs consequuntur, ut quilibet Logicæ artificialis ignarus possit eas ex illis deducere absque vlla dubitatione; & sic aliquam scientiam in statu imperfecto sibi comparare. quod maximè verum est in Mathematicis ob summam principiorum, & conclusionum euidentiam. Nec deest Aristotelis authoritas: nam i. Rhetoric. c. i. ait omnes esse quodammodo Dialecticos, & Rethores.

Dices: scientia, etiam in statu imperfecto considerata, est verè scientia: sed vera scientia non potest comparari sine Logica. Necesse est enim ad habendam scientiam de aliqua conclusione, vt scias eam resoluere usque ad prima principia: hoc autem sine Logica fieri nequit. Nam & in ea nihil difficultius hujusmodi resolutione tradi solet.

Respondeo, exempla, quæ attulimus, fatis euidenter comprobare Logicam naturalem sufficere ad habendam scientiam de hujusmodi conclusionibus: cum enim sint immediatae, aut proximæ primis principijs, non egent resolutione, aut si egeant, ipsa non excedit vires luminis naturalis intellectus.

Tota igitur disceptatio hujus quæstionis in hac dubitatione versatur, an Logica artificialis, & acquisita, sit simpliciter necessaria ad acquirendas alias scientias in statu perfecto: & quia in utramque partem rationes affectur probabiles, utramque sustinere lubet, & sub problemate relinquere.

## S E C T I O II.

*Logicam acquisitam non esse necessariam ad  
alias Scientias.*

**L**O G I C A M artificialem non esse necessariam simpliciter ad acquirendas alias scientias in statu perfecto, tenent multi recentiores cum Iauello tractatu primo Logicæ c. 4. & Ianduno lib. 2. metaph. quæst. 12. quæ opinio sequentibus argumentis stabiliri potest.

Primum argumentum. Aristoteles, ex communi consensu, Logicæ reparator extitit, & Syllogismorum recte formandorum rationem inuenit, vt afferit ipse lib. 2. Elenchor. in fine. *De Rheticis quidem, inquit, erant multa, & antiqua dicta: de Syllogismis autem nihil omnino habimus prius, &c.* sed ante Aristotelem fuerunt multi in alijs scientijs peritissimi, vt Thales Milesius in morali, Physica, & Astrologia: igitur absque ope Logicæ. Vnde Hippocrates artis Medicæ princeps, Logicam ignorasse di-

citur ; & multi etiam nunc sunt in Mathematicis peritissimi , vt eorum scripta docendique munus ostendunt , qui Logicam nunquam audiuere.

Respondeo concedendo præclaros viros ante Aristotelem in alijs scientijs excelluisse : nego tamen fuisse Logicæ ignaros. Nam Ægyptij , & Hebraï eam ab Abrahamo , posterisque Noë didicerant : alij vero , vt Zeno Eleates , qui fuit in ea peritissimus ante Aristotelem , à majoribus eam accepserunt , vel etiam propriâ industriâ compararunt : licet fortè nihil scripto reliquerint , saltem quod ad Aristotelem peruererit. Scripta autem Hypocratis satis ostendunt eum non fuisse Logicæ ignarum. Fateor tamen non esse necessariam Logicam in suo statu perfecto ad acquirendas alias scientias ; sed sufficere mediocrem , præsertim ad Mathematicas , ob materię perspicuitatem.

6. Secundum argumentum. Logica non est necessaria ad Metaphysicam ; ergo neque ad alias scientias , quia Metaphysica est omnium difficilima. Probatur antecedens , quia ad Metaphysicam pertinet tradere , & explicare principia , sine quibus Logica non potest demonstrare præcepta , & regulas differendi , vt sunt ista. *Quæ sunt eadem vni tertio , sunt eadem inter se. Non potest idem de eodem simul Affirmari & negari.* Item *definitio explicat essentiam rei & divisionem distinctionem , &c.* Rationem autem etenitiae declarare , & de rerum distinctionibus agere , Metaphysicæ , non Logicæ , minus est : atque adeò Metaphysica debet præcedere Logicam ; & consequenter Logica non erit ad eam necessaria , alioquin à se mutuò dependent , quod est absurdum , & Metaphysicæ , Scientiarum Reginæ , injiosum.

Respondeo negando antecedens ; ad cuius probationem dico communia illa principia , non solum à Logica , & ab alijs Scientijs , verùm & ab ipsa Metaphysica præsupponi. Cum enim lumine naturali nota sint , non a Metaphysica primò ponuntur , sed ab intelligentia , quæ est habitus primorum principiorum ex Aristotele 6. Ethic. cap. 3. licet Metaphysica ea explicet & tueatur.

Logica itaque illa supponens , vt vera , ijsque innixa , demonstrat leges , & conditiones definiendi , dividendi , argumentandi , quæ ad Metaphysicam , perfectè acquirendam necessariae sunt. Quod ei non debet verti dedecori : non enim Reginam dedecet , quod ancillarum egeat famulatu. Et quamvis Metaphysicæ proprium sit rerum essentias , distinctionemque aprire : Logica tamen minus est tradere regulas , & modum illud ipsum efficiendi : vnde utriusque diuersa sunt officia.

7. Tertium argumentum. Si Logica esset necessaria ad acquirendas Scientias ; esset necessaria ad seipsum , cum ipsa sit scientia . sed hoc absurdum , quia idem esset prius , est posterius seipso. Non enim potest esse Logica absque demonstratione , cum ex fundamento contrariae sententiae demonstratio necessaria sit , vt quis certò , & evidenter aliquid sciāt : neque etiam potest esse demonstratio absque Logica : quia ad Logicam pertinet

tradere, & probare regulas ad conficiendam demonstrationem necessarias: & ita antequam Logica sit scientia, per demonstratiōnēm parta, est scientia, quia cognitionem habet scientificam de demonstratione. Et sic idem erit prius & posterius seipso.

Duæ communiter dari solent hujus argumenti solutiones. Prima est, Logicam quatenus est modus sciendi, seu quatenus tradit regulas bona definitionis, argumentationis, &c. esse sibi necessariam, prout est scientia, seu quatenus tales regulas probat demonstratiōnē.

Secunda est, partem vnam Logicæ esse ipsi necessariam respectu alterius, vt partem prædicamentorum ad partem enuntiationis, & hanc ad partem argumentationis: ita vt cognitio primæ partis, facultatem præbeat ad perfectiōrem, & sic gradu quodam seipsum perficiat usque ad ultimum per demonstrationem.

8. Verūm hæ duæ solutiones non videntur esse ad propositum. Non prima. Dicere enim quod Logica, vt tradit regulas differendi, est necessaria ad seipsum, vt ea demonstrat, falsum est, quia non tradit regulas quin prius demonstratiōnē sciat eas esse legitimas, alioquin exponeret se periculo errandi, & tradendi regulas falsas: & si aliquam traderet, nondum sciens esse certam, talis regula non posset illi esse necessaria ad demonstrationem aliquam faciendam, quia demonstratio non innititur regulis incertis, & inincidentibus.

Secunda item non valet, quia non fit comparatio inter similia. Dum enim Logica dicitur necessaria ad alias scientias, intelligitur de Logica, vt est scientia, parta per demonstrationem; & ad hoc, vt argumentum rectè procedat, debet sic intelligi. Logica, vt est scientia, hoc est, vt certa est, & demonstratiua, necessaria est ad alias scientias, ergo vt est scientia, est necessaria ad seipsum. In prima autem, & secunda parte non intelligitur esse scientia, nisi intelligatur accessisse tertia pars, nempe demonstratiua: ideoque tertia potius necessaria est ad primam, & secundam, vt certæ nimirum sint, veræque Logicæ partes, quam è conuerso.

9. Respondeo igitur negando majorem. Neque enim Logica necessaria est, nisi ad scientias, quas antecedit: & cùm ipsa sit modus sciendi, non indiget alio modo sciendi, vt acquiratur; sed tantum lumine naturali intellectus, qui multo labore, & industria sibique innatâ ratiocinandi virtute, eam adiuvenit, vt quæstione primâ num. 14. explicatum est.

Quod si quispiam querat quomodo prima demonstratio dialectica habita est, seu quâ ratione Logica primam suam conclusionem demonstravit.

Respondendum est cum Soto qu. 2. deueniendum esse ad aliquod primum principium, lumine naturali notum, & ad aliquam consequentiam, per se euidentem, quales esse quatuor modos directos primæ figuræ probabile est: non enim videntur probari posse per notius, sed per ista tantum principia *Dici de omni*, & *Dici de nullo*. Nam si quis petat quare consequentia in *Darij* est bona, respondebit Aristoteles per principium *dici de*

*omni.* Hoc modo. Si aliquid prædicatur de subjecto vniuersaliter sumpto, prædicatur etiam de quocumque, quod sub illo ponitur: sed hoc contingit in *Darij*: ergo eius consequentia est bona. Istud autem argumentum est in *Darij*. Vnde si quis negaret consequentiam, non posset afferri alia probatio. Quapropter, sicut major supponitur tanquam definitio propositionis vniuersalis, ita & consequentia supponitur euidens ex terminis.

10. Quartum argumentum. Hæc est conditio cuiuscunq[ue] habitus naturalis acquisiti, vt non det simpliciter posse, sicut supernaturalis; sed tantum promptè, & facilè: nam habitus acquisiti producuntur ab actibus, & ita primus actus non dependet ab habitu, neque etiam secundus, aut tertius &c. absolute loquendo, quia non est major ratio de uno quam de alio, nec maior est difficultas in tertio, quam in primo, aut secundo.

Adde quod habitus per primum actum inchoatus, tantum facilitat ad actus ejusdem rationis cum illo à quo inchoatus est, vt habitus definitionis, tantum inclinat ad faciliorem cognitionem definitionis, non autem ad cognitionem argumentationis, quæ consequenter deberet haberi per alium actum, à solo intellectu dependentem. Ergo cùm habitus Logicæ artificialis, sit naturalis, dabit quidem intellectui posse facilis acquirere alias scientias; sed non simpliciter posse: & ita non erit simpliciter necessarius,

Respondetur, hoc argumento solum probari habitum naturalem non esse simpliciter necessarium ad substantiam operis, & ita sine habitu Logicæ posse acquiri alias scientias quoad substantiam habitus earum, quod fit per unam etiam demonstrationem: non verò quoad modum talis habitus, qui in eo consistit, vt extendatur ad omnes suas conclusiones.

Sed adhuc argumentum stare videtur in suo robore. Si enim potentia absque habitu possit simpliciter operari, vt concedunt omnes, & habitus det illi tantum facilis operari posse, seq[ue]ntur intellectum, per se loquendo, posse absolute sibi comparare omnes scientias in statu perfecto, absque habitu Logicæ, quamvis magna cum difficultate. Quapropter

Respondeo habitus naturalis non dare simpliciter posse elicere actus, ad quos inclinant; sed tantum promptè, & faciliter: inde tamen non sequi eos non posse esse simpliciter necessarios ad alios habitus comparandos. Nam licet possit aliquis elicere actum temperantiae absque habitu temperantiae: non potest tamen absque virtute prudentiae: & sic prudenter, licet sit habitus naturalis, dat simpliciter posse respectu aliarum virtutum, quæ sine prudentia confitare nequeunt, quia regulatum non potest non pendere à sua regula. Idemque valet in Logica, quæ tradit regulas sciendi.

Instabis: si actus, ad quos habitus Logicæ inclinat, hoc est diuidere, definire, argumentari, possunt absolute haberri absque illo habitu, quia non dat simpliciter posse respectu illorum, & hi sufficient ad perficiam acquisitionem scientiarum, sequitur euidenter alias scientias perfectè acquiri posse sine Logica.

Respondeo negando sequelam, quia illi actus per logicam naturalem producti, eo ipso sunt actus Logicæ artificialis, inchoantes habitum illius nam primus actus Logicæ artificialis non potest supponere alium actum priorem Logicum. Et licet tales actus elicerentur ab intellectu in materia aliarum scientiarum: tamen pertinerent ad Logicam ratione formæ; unde elici non possunt, quin statim fiant proprij eius, eamque vel primò producant, vel productam augent: atque ita verum semper est dicere alias scientias non posse acquiri in statu perfecto absque Logica actuali, vel habituali.

II. Quintum argumentum. Ad scientias acquirendas duo tantum sunt necessaria. Vnum est, ut principia scientiæ acquirendæ cognoscantur: alterum, ut ex his eliciantur conclusiones certò & infallibiliter; ita ut qui conclusiones elicit, sciat se non falli in modo discurrendi, & cognoscat causam seu principia, per quæ demonstrat, esse veram causam eius, quod demonstrat: sed potest aliquis ingenij sui perspicacitate cognoscere principia aliarum scientiarum, & per ea conclusiones probare; ita ut sciat se non falli in suo discursu, &c. ergo absque Logica artificiali potest alias scientias in statu perfecto comparare.

Respondeo negando minorem, nullus quippe scire potest se non errare in forma differendi, si nesciat regulas illius formæ: unde eo ipso quod aliquis, ex eo quod cognoverit omne corpus naturale esse mobile, infert cælum esse mobile, quia est naturale, habet aliquam cognitionem inchoatam Logicæ, & formæ differendi: siue eam acquisierit antea, beneficio luminis naturalis, aut præceptore docente: siue eam tunc primum acquirat.

Nec sufficit ad acquirendam aliquam scientiam in statu perfecto, cognoscere causam alicuius effectus: sed oportet remotissimas conclusiones deducere ad sua prima principia per euidentes consequentias, quod sine Logica fieri non potest.

Sextum argumentum. Si Logica esset necessaria ad alias scientias, deberet præmitti, & ante cæteras edoceri: hoc autem repugnat Aristoteli s. metaph. Cap. 1. vbi ait in tradendis artibus incipiendum esse à facilitoribus: at Logica cæteris difficulter est, ut experientia constat, & ratio ostendit: agit enim de rebus à sensu remotissimis, quæ consequenter difficulter sub nostram cognitionem cadunt.

Præterea: obiecta aliарum scientiarum priora sunt obiecto Logicæ, siue illud sit ens rationis, quod non cognoscitur nisi per speciem entis realis; siue syllogismus: quia cognitiones intellectus supponunt sua obiecta, quæ sunt obiecta aliarum scientiarum.

Denique: aliæ scientiæ inuentæ sunt per actum intellectus directum, ut Physica per considerationem directam rerum naturalium: Logica vero per actum reflexum, ut patet ex supra dictis: sed actus intellectus prior est reflexus; ergo Logica ex se posterior est alijs scientijs, & ita non est necessaria ad earum acquisitionem.

Respondeo ad primum. Incipiendum esse à facilitoribus, nisi quæ diffi-

ciliora sunt, ad aliorum intelligentiam sint necessaria: Logicæ autem instrumenta necessaria sunt ad alias scientias.

Ad aliud respondeo in tradendis artibus non esse attendendum cuius objectum sit prius, sed quæ alijs ediscendis inseruat. Nam obiectum metaphysicæ præcedit obiecta cæterarum artium; neque ideo ante cæteras traditur. Et quamvis obiectum Logicæ in esse rei, esset posterius obiectis aliarum scientiarum, imo etiam in esse cognoscibilis; non sequitur quod non possit esse prius cognitione perfecta eorundem.

Ad tertium denique dico actum reflexum, esse posteriorem suo directo: Sed unum reflexum posse esse priorem multis alijs directis, à reflexo dependentibus: vnde licet habeatur quædam cognitione in alijs scientijs per actus directos, priores actibus reflexis Logicæ: non tamen haberi potest accurata & perfecta cognitione, quin accedant actus reflexi Logicæ.

12. Septimum argumentum. Ideo Logica censetur necessaria ad acquirendas alias scientias in statu perfecto, quia quando in earum materia fit aliqua demonstratio, necesse est ut intellectus per cognitionem reflexam cognoscat connexionem conclusionis formalis cum suis præmissis formalibus, iudicans eam bene deduci ex illis, forniamque differendi recte obseruari: sed talis cognitione reflexa, non est necessaria, vt quis habeat perfectam notitiam de re, de qua fit demonstratio: ergo neque Logica ad eam erit necessaria.

Probatur minor. Nam in ista demonstratione, *omne rationale est risibile omnis homo est rationalis. Ergo omnis homo est risibilis.* Potest intellectus absque Logica penetrare connexionem conclusionis obiectiuæ cum præmissis obiectiuis. Connexio quippe huius conclusionis obiectiuæ. *Ergo homo est risibilis, quia est rationalis.* Est materia Physicæ, non Logicæ; & ita debet cognosci cognitione physicâ, non Logicâ.

Hoc est autem cognoscere rem per suam causam, & consequenter propriè scire, vt patet ex definitione scientiæ. 1. post cap. 2. ergo absque eo quod intellectus per cognitionem reflexam iudicet de forma differendi, & de connexione conclusionis formalis cum præmissis formalibus, poterit perfectam notitiam in alijs scientijs comparare: & ita eas in statu perfecto acquirere: quia si hoc verum ostenditur in una demonstratione, de omnibus idem iudicium esse necesse est. Prius enim cognoscere debet connexionem materialem, & obiectuum terminorum, quam se se reflectat supra formam.

Respondeo negando minorem: & ad eius probationem dico intellectum posse penetrare connexionem conclusionis obiectiuæ cum præmissis obiectiuis abique Logica, in illis conclusionibus, quæ sunt immediatae aut proximæ primis principijs; non autem in remotis: illæ enim aut nullo, aut modico egent discursu: ista verò debent reduci ad prima principia, vt perfecte cognoscantur, quod fieri nequit absque longo discursu per euidentes consequencias, quas nullus scire potest recte deduci ex præmissis, absque Logica, & cognitione reflexa, per quam sciat se non errare in forma differendi; vt supra dictum est.

Vnde aliud est cognoscere risibilitatem conuenire homini propter rationalitatem , aliud cognoscere hominem esse risibilem , quia cognovisti ipsum esse rationalem . Primum enim fieri potest absque discursu ut in Deo , & Angelis contingit ; atque etiam in nobis respectu primorum principiorum , & conclusionum , quæ ipsis sunt immediatae ; non vero secundum , quia in eo una cognitio dependet ab alia , & ex alia deducitur : & cum dedicatur per formam differendi , necesse est ut ad talem formam attendas , ut scire possis te non errare in tuo discursu , & consequenter ut veram scientiam acquiras .

13. Instabis primò . vel demonstratio directa , quâ cognoscitur connexio conclusionis obiectiuæ cum præmissis obiectiuis , est scientia antequam accedit cognitione reflexa illius , vel non ? si sic . Ergo non eget illâ cognitione reflexâ , vt sit scientia , ideoque intellectus per eam constituetur formaliter sciens . Si non . quæro an sit opinio , vel alias actus , qui non sit essentialiter scientia ? si est opinio : ergo accedente cognitione reflexâ , non fiet scientia , quia nec opinio , nec alias cuius actus potest in scientiam mutari , cum essentialiter differant . Deinde non mutatur obiectum , ergo neque mutatur intrinsecè talis cognitionis : mutatur ergo tantum extrinsecè per talem cognitionem reflexam , & ita ratio scientiæ erit illi extrinseca , quod est absurdum quia actus scientificus , est naturâ suâ talis .

Respondeo : nunquam certò , & euidenter cognoscitur connexio conclusionis obiectiuæ cum præmissis obiectiuis , quando habetur cognitionis per discursum , & conclusio remota est à primis principiis , nisi accedit cognitione reflexa circa formam differendi , & regulas syllogisticas . Quia enim cognitionis connexionis majoris , & minoris extremi , quæ habetur in conclusione , deducitur , & dependet à cognitione connexionis eorumdem cum medio , quæ habetur in præmissis ; necesse est , ut intellectus assentiatur conclusioni propter præmissas , & consequenti propter consequentiam : nam bonitas consequentiæ tunc est ratio assentiendi conclusioni , hoc est connexioni obiectiuæ utriusque extremi : vnde iudicium consequentiæ , siue sit distinctum à iudicio conclusionis , siue non , de quo in libro de syllogismo ; semper antecedere debet , saltem virtualiter , iudicium , seu assensum conclusionis .

Quod si concedatur huiusmodi cognitionem directam consequentis esse ante iudicium reflexum de bonitate consequentiæ , respondendum erit ad processum allatae instantiæ , talem cognitionem non esse scientificam nisi materialiter , & ex parte objecti ; non vero formaliter , & respectu scientis , donec accedit cognitione reflexa , quod illatio sit bona , & rectè ex præmissis deducta , quia alioquin semper aderit scrupulus ne subsit error in discursu .

14. Instabis secundò . Cognitionis , quâ cognoscitur connexio conclusionis formalis cum præmissis formalibus , est scientia absque alia cognitione demonstrativa reflexa ; ergo & cognitionis , quâ cognoscitur connexio conclusionis obiectiuæ cum præmissis obiectiuis , erit scientia absqueulla cognitione reflexa Logica . Antecedens pater , quia alioquin talis cognitionis deberet

demonstrari per aliam, & sic in infinitum. consequentia vero etiam nota est, quia non minus potest intellectus penetrare necessariam connexionem conclusionis objectivæ cum præmissis objectivis, quam conclusionis formalis cum præmissis formalibus: sed hæc est scientia absque alia cognitione demonstrativa reflexa Logicæ; Ergo & illa similiter.

Respondeo negando primam consequentiam: ad cuius probationem dico cognitionem illam reflexam non egere alia, quia ipsa est regula sui, & primum veluti principium lumine naturali notum, ut dixi ad tertium argumentum. Alia vero cognitio eget ista reflexa, tanquam regulâ. *Omnis illatio formalis, quæ sequitur ex præmissis sic, vel sic dispositis, est bona: sed hæc ita sequitur: ergo est bona.* Et ista reflexa, est regula sui, & cuiusvis alterius, ut dixi: vnde non datur processus in infinitum.

## SECTIO III.

*Logicam esse necessariam ad alias scientias.*

15. **O**PINIONEM affirmatiuam, quod nempe Logica sit simpliciter necessaria ad habendas alias scientias in statu perfecto, sustinet Albertus magnus. 1. post. Tract. 2. cap. 1. & Tract. 1. in prædica. cap. 3. *sine Logica*, inquit, *qui videntur scire, nesciunt se scire, cum nesciant modum sciendi.* Eamdem tenet Soto quæst. 1. Conimbr. quæst. 6. maius sect. 2. quæst. 3. complutenses q. 7. aliisque non pauci, eamque sequentibus argumentis possumus comprobare.

Primum argumentum desumitur ex Aristotele. 2. Metaph. cap. 3. ubi ait, absurdum esse scientiam simul, & sciendi modum querere. Vbi intelligit per modum sciendi, Logicam, ex Diuo Thoma, Auerroë, & aliis interpretibus. Ergo Logica ita necessaria est acquisitioni perfectæ aliarum scientiarum, ut absurdum sit, hoc est, impossibile, ex mente Aristotelis, eas adipisci, nisi prius Logicam didiceris.

Respondeo, *absurdum*, ibi non significare *impossibile*, sed valde difficile. Verum enim est non posse alias scientias accuratè comparari sine Logica, nisi cum magna difficultate, errandique periculo, præsertim à mediocribus ingeniosis: ideoque antiquos Philosophos sæpe errore lapsos fuisse testatur Aristoteles 4. Metaph. cap. 3. multisque aliis in locis, quod Logicæ, & methodo sciendi carerent. cum igitur hæc vitare possis, Logicam prius adiscendo, absurdum aliquid facis, querendo alias scientias prius, quam Logicam.

Secundum argumentum, prudentia est simpliciter necessaria ad quemcumque virtutis actum, quia est regula virtutum, ut ostenditur in morali: Ergo Logica erit necessaria ad quemcumque actum scientiarum, aut saltim ad perfectam scientiarum acquisitionem, cum sit regula scientiarum.

Respondeo.

Respondeo negando consequentiam. Et in hoc fundatur disparitas quod voluntas est potentia cœca, non autem intellectus. Non enim potest voluntas amplecti aliquem actum virtutis, nisi proponatur ei objectum ab intellectu, qui eo ipso quod recte de illo iudicat, prudens esse intelligitur: unde necessaria est prudentia ad actum virtutis, non quod sit eius regula in rigore loquendo: nam objectum est potius talis regula, cui conformis debet esse actus, ut sit rectus: sed quia illum debet voluntati proponere cum debitissimis circumstantijs, ut voluntas eum amplectatur.

At verò intellectus potest se solo objecta cognoscere, modò eorum species habeat; & consequenter absque Logica cognoscere connexionem, & dependentiam vnius rei ab altera, causamque per quam demonstrat esse veram causam eius, quod demonstrat. Hoc autem est perfecte scire, ut patet ex argumentis praecedenti sectione pro altera parte controversiæ explicatis.

16. Tertium argumentum. Non potest aliquis perfectè scientiam aliquam comparare, nisi sciat resoluere conclusiones omnes, quantumuis remotas, ad sua prima principia per euidentes consequentias; atque adeo quin cognoscat bonitatem illationum, conditiones, & necessitatem præmissarum, & fallacias, seu captiones, quæ circa illas possunt contingere: aliter enim non posset certò scire præmissas esse causam conclusionis, nisi sciret formam differendi non esse fallacem: at hoc scire nequit absque Logica, quæ illorum omnium rationem tradit: ergo &c.

Respondeo ad maiorem, huiusmodi resolutionem conclusionum ad sua prima principia posse effici absque eo quod intellectus vtatur artificio Logicæ: ad hoc enim sufficit, ut cognoscat principia aliarum scientiarum, & per experientiam, aut rationibus ab ipsa re ductis, videat connexionem objectuum talium conclusionum cum illis principiis: ita ut sciat se non falli in suo discursu, sed causam, per quam demonstrat, esse veram causam eius, quod demonstrat. Quis enim non videt certo, & clarè solem esse causam lucis, ignem caloris, animam motus, absque ullius syllogismi confectione? Et posito quod quis sciat naturam esse causam motus, cur non poterit certò scire cœlum esse mobile, quia est corpus naturale, absque artificio syllogistico?

Neque obstat quod multæ conclusiones sint valde remotæ à primis principijs, quia semper intellectus debet videre connexionem materialem extermorum, antequam certò, & verè vnum de altero enunciet. Cognitio quippe reflexa Logicæ non facit propositiones syllogismi veras, aut falsas, sed supponit. Potitâ autem cognitione huiusmodi connexionis extermorum, nulla alia necessaria est, quia intellectus per eam cognoscit rem non posse aliter se habere: & ita perfectam habet scientiam, absque eo quod attendat ad formam ullam differendi.

17. Quartum argumentum. Ad veram cuiusque rei scientiam comparandam, non tantum requiritur certitudo, seu immutabilitas ex parte ipsius rei: sed etiam firmitas ex parte potentie, ita ut intellectus in sua cognitione non

vacillet; atque adeo necesse est, vt sciat se scire. Hoc autem absque Logica consequi non potest, quia vt sciat cognitionem suam esse certam, & veram scientiam, debet scire eam esse partam per demonstrationem: demonstratio vero non est certum sciendi instrumentum, nisi cognita vt demonstratio, seu vt ratiocinatio, necessariò concludens ex principijs certis, & euidentibus.

Hoc patet ex eo quod si quis veram conficiat demonstrationem in materia necessaria, & existimet eam esse tam syllogismum probabilem, ipsa, licet vera demonstratio, non pariet scientiam: ergo vt sit certum sciendi instrumentum, debet cognosci vt demonstratio: talis autem cognitio est propria dialecticæ: & ita negari non potest eam esse omnino necessariam ad perfectam aliarum scientiarum acquisitionem.

Respondeo primum ad id, quod in maiori dicitur, necesse esse vt intellectus sciat se scire, ad comparandam aliquam scientiam, ibi veluti quandam contradictionem inuoluī in terminis: nam si tunc solum scit aliquis, cum scit se scire, quod fit per cognitionem reflexam: ergo in aliqua prioritate debet prius scire, quam sciat se scire: ideoque talis cognitio reflexa, quæ ad Logicam pertinet, erit superflua ad hoc vt intellectus sciat: quia, si in illa prioritate non scit, non potest per cognitionem reflexam scire se scire.

Respondeo secundo ad id quod dicitur, demonstrationem non parere scientiam, si existimet tantum syllogismus probabilis: non posse aliquem confidere demonstrationem, & existimare esse tantum syllogismum probabilem, si penetreret, vti necesse est, connexionem necessariam conclusionis objectivæ cum præmissis objectiuis. Nam hæc cognitio reddit intellectum certum, rem aliter habere se non posse, vnde si intellectus non penetreret talem connexionem, non erit demonstratio; non quod desit cognitio Logica, sed penetratio obiecti.

Quare enim syllogismus probabilis, per quem opinio comparatur de re necessaria, est in forma & figura, & cognoscitur vt talis: & tamen opinio est incerta? non ob aliā certè causam, nisi quia intellectus non cognoscit necessariam connexionem conclusionis objectivæ cum præmissis objectiuis: ego cognitio, quæ cognoscetur talis connexio, erit certa, & certum reddit intellectum abque villa cognitione reflexa, ad Logicam pertinente. Vnde, vt diximus in solutione præcedentis argumenti, non est opus ad comparandam scientiam aliquam, vti logicis instrumentis in formâ & figura confectis.

## QUÆSTIO VI.

De ente rationis, &amp; de secundis intentionibus.

I.  D nullam scientiam per se primò spectat agere de ente rationis, vt ex probabiliori sententia iam supra tetigimus, quia est tantum umbra & imago entis, atque adeò non est per se scibile, sicut nee intelligibile. Si cui tamen scientiæ, illius cognitionis, & tractatio referenda sit, maximè eam sibi vindicat Metaphysica, quia eiusdem est agere de ente reali, & de ente ficto. Nam ens fictum, non cognoscitur nisi per comparationem ad ens reale, & ad id, quod verè est. Quapropter Metaphysica quæ per se tractat de ente reali, debet quasi ex obliquo agere de ente rationis; simili quippe modo Physicus agit de priuatione per comparationem ad formam, & de vacuo per comparationem ad locum.

Nihilo minus quamuis hæc ita sint, nobis hic instituenda est tractatio de ente rationis, quia de eo iam sape mentionem fecimus, & in sequentibus sumus facturi, ne eius ignoratia natura, aliquid obscuritatis rebus alijs accedat.

## S E C T I O I.

*An sit, & quid sit ens rationis.*

**E**Ns rationis, vt nomen ipsum indicat, respectum quendam, seu habitudinem ad rationem importat, ideoque iuxta diuersas habitudines ad rationem, multiplex ens rationis distingui solet: aliud enim dicit ordinem ad rationem tanquam ad causam effectuam, vt actus intellectus; aut tanquam ad dirigentem vel exemplarem, vt ars facta: aliud dicit ordinem ad eandem rationem, tanquam ad subiectum inhesionis, quomodo omnes actus, habitus, & perfectiones existentes in intellectu tanquam in subiecto, possunt dici entia rationis, siue ab illo effectu procedant, siue non: & de his duobus entibus non est hic quæstio.

Est igitur tertium aliquod genus entis rationis, quod habet habitudinem ad intellectum, tanquam eius obiectum, seu quod est in intellectu per modum obiecti. Quando enim aliquid cognoscitur ab intellectu, non tantum dicitur esse in eo inhaesu per suam ideam, sed etiam obiectu secundum seipsum, & istud ens rationis, si habeat, vel possit habere verum esse, seu

existentiam extra intellectum , non erit ens rationis de quo agimus hic : si vero non possit habere aliud esse , quam quod accipit ab intellectu , quod est ei obijci , seu ab eo cognosci , erit ens rationis de quo nobis hic questio est . Vnde licet rosa , dum hyeme concipitur ab intellectu , non habeat tunc aliud esse actuale , quam ab eo concepi , non est tamen ens rationis , quia potest recipere veram existentiam , & a Deo , vel roseto produci , verno tempore . His positis .

2. Admittendum esse ens rationis in hac ultima acceptione , probatur primò , quia satis notum est multa posse ab intellectu cogitari , quæ non habeant aliquod esse reale actuale , vel possibile , ut est chymara , Hircoceruus , bouleo , &c. Item dum cœcitas apprehenditur in oculo per modum cuiusdam nubis ; & tenebrae in aere per modum nigroris , &c.

Præterea sæpe contingit nos concipere distincta , quæ distincta non sunt à parte rei ; & relata , quæ realiter non referuntur ad inuicem V. G. cum Deum intelligimus , eiusque perfectiones per comparationem ad perfectiones , quæ reluent in creaturis : dum illius intellectum concipiimus distinctum à voluntate , iustitiam à misericordia , &c. quæ ex communiori sententia non distinguntur ex parte rei .

Et sub hac ratione admittitur ab Aristotele quarto Metaph. cap. 2. lib. 5. cap. 7. lib. 6. cap. 3. aliisque in locis secundum explicationem D. Thomæ , aliorūmque interpretum , quamvis non nisi satis obscurè hoc ex Aristotele colligi videatur . Admittitur etiam à D. Thoma 1. parte quæst. 16. art. 3. ad 2. & q. 28. art. 1. aliisque in locis : deinde à Scoto in quod libetis qu. 1. Caietano cap. 1. & quarto de ente & essentia , & aliis : neque negatur à Durando : quidquid dicant aliqui recentiores : nam in eodem , ubi illuin citant , loco , scilicet in 1. sent. dist. 19. quæst. 5. & 6. & dist. 33. qu. 1. expressis verbis admittit ens rationis , quamvis velit nihil esse aliud quam denominationem objecti ab actu intellectus , attributam ei solum ut cognitum est , qui modus loquendi communis est multis aliis authoribus .

3. Solet autem definiri ens rationis in postrema acceptione ex Auerroë 6. Metaph. comment. 3. id quod habet solum esse objectum in intellectu . quia vero intellectus noster nihil potest cognoscere nisi quod est intra latitudinem objecti sui , hoc est nisi sub ratione entis , ideo ut apprehendat ens rationis , debet illud fingere , ac si esset ens reale , ut recte ait D. Thomas opusc. 42. cap. 1. ubi dicit tunc effici ens rationis , quando intellectus nititur apprehendere quod non est , & ideo fingit illud , ac si ens esset . Et prima parte qu. 16. art. 3. ad secund. ait non ens , esse quoddam ens rationis , quatenus apprehenditur à ratione : vnde deducitur vulgata entis rationis definitio his verbis .

*Ens rationis est non ens conceptum per modum entis .*

Cœterum hæc definitio satis probata relinquitur ex nominis explicatione . Cum enim ens rationis nullum habeat esse , nec actuale , nec possibile , nisi quod accipit à ratione fingente ; fingatur autem dum apprehenditur & objectetur intellectui , necesse est ut habeat solum esse objectuum in intellectu .

Confirmatur primum ex Aristotele. 6. Mataph. cap. 3, vbi distinguit duplex ens; unum quod vere est in re, alterum quod solum est in apprehensione mentis: igitur quod solum est in mentis apprehensione non est reale, sed rationis. Est autem in apprehensione tantum, idem est ac esse objectum tantum in intellectu.

Confirmatur secundum, quia ens rationis distinguitur contra purum nihil, & contra ens reale: non est autem aliud medium inter ens reale & purum nihil, nisi ens objectum, ergo illud debet esse ens rationis.

4. Objicies. Quod non est cognoscibile non potest esse objectum, seu terminus cognitionis: sed ens rationis non est cognoscibile, ergo non potest esse objectum cognitionis, & ita male dicitur id, quod habet tantum esse objectum in intellectu.

Probarat minor. Nam eo modo quo aliquid est ens, est cognoscibile: sed ens rationis ante cognitionem est omnino nihil; ergo ante cognitionem non est cognoscibile; ergo nullo modo potest cognosci, quia quod in actu secundo cognoscitur, debet presupponi cognoscibile in actu primo, ut notum est: unde sequitur ens rationis nullum posse recipere esse per cognitionem & ita aut nullum dari: aut male definiri.

Respondeo negando primam minorem, ad cuius probationem concedo. Totum argumentum, & nego subsumptum, videlicet. *Ergo nullo modo potest cognosci.* Licet enim ens rationis, antequam cognoscatur, nihil sit in se, & consequenter non sit cognoscibile antequam cognoscatur; est tamen cognoscibile dum cognoscitur: neque in eo actus primus antecedit actu secundum, hoc est posse cognosci, non antecedit cognosci actu, quia cognosci actu, est de essentia eius, sicut posse existere non antecedit in Deo existentiam eius, nec posse intelligere intellectionem, quia actu existere, & actu intelligere, sunt de eius essentia.

Potest etiam responderi, en rationis non esse ens in se, & per se, & ita non est cognoscibile per se, nec in se, sed per aliud, & in alio, tanquam in subjecto, aut fundamento, ut cecitas in oculo, tanquam nubes, aut nigror: tunc enim cognitio per se primò terminatur ad ens reale, per quod ens rationis dici potest cognoscibile antequam cognoscatur; cognoscibile, inquam secundari & indirecte, ut explicabitur fusius in sequentibus, & non ratione sui, sed ratione illius entis realis, quod pro illo supponitur.

Eodem modo soluitur quod potest objici ex Aristotele de sensu & sensibili quod videlicet nihil sit in intellectu quod prius non fuerit in sensu. Est enim ens rationis in sensu, non per se, sed per aliud: quamuis intelligi possit Aristoteles loqui de rebus sensibilibus, ut bene ait Scotus quæst. 5. super universalibus ad primum.

## SECTIO SECUNDA.

*Quotuplex sit ens Rationis.*

**S.** NS rationis adæquate diuidi solet in relatum, negatum, & priuatuum. Ita D. Thomas quæst. 21. de veritate art. 1. alijque fere omnes cōmuniter, quitalem diuisionem ex Aristotele volunt colligi, quia quarto Metaph. cap. 2. negationes, & priuationes ponit inter entia non realia, vt patet, ergo rationis: & 5. Metaph. cap. 15. insinuat relationes rationis, loquendo de ijs quæ fundantur in mensura, vt scientiæ ad scibile. Relatio quippe realis non est ex parte mensuræ. Sed, vt supra dixi, satis obcurè colliguntur illa ex Aristotele.

Quidquid sit. Ratio huius diuisionis petitur ex triplici radice vnde oriuntur entia rationis; primam indicat D. Thomas opusc. 42. cap. 1. citato, nempe desiderium, quod habet intellectus cognoscendi priuationes, & negationes: quia enim objectum adæquatum illius est ens, nihil potest cognoscere, nisi sub ratione entis; & ideo, dum inititur apprehendere cœcitatem in oculo, aut tenebras in aere, cogitur hæc concipere ad modum nigroris, aut affectionis contrariae visu, vel luci, existentis in oculo, vel in aere.

Secunda radix est imperfectio, & imbecillitas intellectus nostri, qui cum non possit aliquando cognoscere res vt in se sunt, cogitur eas cognoscere per comparationem ad alias, ad quas non ordinantur, & sic format ens rationis relatum, vt dum naturam communem in abstracto apprehensam, comparat cum inferioribus: dum cognoscit Deum per respectum ad creaturas: dum in enuntiatione concipit prædicatum, & subjectum ad se referri tanquam materiam, & formam; quo etiam modo format distinctionem rationis, distinguendo ea, quæ non sunt distincta, quando non potest concipere uno conceptu totam perfectionem vnius rei simplicis. Tunc enim diuersis, & inadæquatis conceptibus cogitur eam partiri & assequi.

Tertia radix, seu causa, est fecunditas eiusdem intellectus, quæ potest multa entia positiva sic componere inter se, vt ens aliquod impossibile mereque ficticium consurgat, vt chimæra ex capra, leone, serpente.

Cum igitur formatio entium rationis ex illis tribus capitibus ortum habeat, non possunt illa assignari, quæ ad vnum ex his tribus diuisionis membris non referantur. Quamvis enim pura figura, vt chimæra, non spectetur à Philosophis, vt pote inutilia ad scientias comparandas, & ita rejici possint tanquam in illa diuisione non comprehensa: nihil tamen vetat ea reduci ad ens rationis negatum, cum sint simpliciter non entia, nullum habentia in re fundamentum: vnde qui concipit chimæram, concipit aliquid negatum per modum entis positivi, excludentis distinctionem inter essen-

*etas capræ, leonis, serpentis; hoc est concipit negationem aliquam diuisionis inter illas essentias per modum alicuius positiui.*

6. Ut autem intelligatur quomodo negationes, & priuationes sunt entia rationis, obseruandum est ipsas posse accipi dupliciter. Primo secundum se, & iuxta proprias essentias, quatenus sunt remotiones, & carentiae alicuius entitatis, seu formæ: Et hoc modo sunt à parte rei, non quod habent veram aliquam entitatcm, sed quia nullo intellectu cogitante reperitur absentia formæ realis in subiecto. V. G. in oculo cœci reperitur priuatio potentiae visiuæ: in aëre priuatio lucis: & à parte rei natura hominis non est natura equi, &c. Ideoque possunt dici sub ista consideratione entia tealia, non quidem positiva, sed negativa. Vnde D. Thomas opusculo de ente, & essentia ait negationes esse de essentia naturæ realis: nam ad essentiam hominis pertinet habere in se negationem equi, seu non esse equum: & Aristoteles primo Physicorum ponit priuationem esse principium generationis, quod sine dubio ab intellectu pendere non debet.

Secundo accipi possunt per modum alicuius formæ realis, expellentis aliam sibi oppositam: quod potest fieri vel extra propositionem, vel in propositione; ut cum dicimus *Petrus est cœcus*. In aëre sunt tenebrae. Talis est enim natura verbum substantiuum quoad vim significatiuam, ut aliquid appelleret, & quasi subiecto addat: & ita, dum dicimus, in aëre sunt tenebrae. Concipimus tenebras in aëre per modum cuiusdam formæ, & affectionis contrariæ luci, in aëre existentis: cum tamen sint mera lucis priuatio, & absentia; sensusque illius propositionis sit. In aëre non est lux. Similiter in hac propositione. *Homo non est equus*. Concipimus negationem naturæ equi per modum cuiusdam formæ realis, expellentis naturam equi ab homine. Et hæc sunt absque mendacio, quia non iudicamus ita esse, sed simplici mentis intuitu apprehendimus.

7. Objicies: negatio, & priuatio, sunt eiusdem rationis, & accidentali solum differentia discrepant: Ergo male assignatur triplex illa diuisio entis rationis. Probatur antecedens, priuatio enim solum differt à negatione, quia includit, seu connotat in subiecto, aptitudinem ad recipiendam formam negatam: negatio vero talem aptitudinem non supponit, immo excludit.

Vnde carentia potentiarum visiuarum in homine respectu cuius dicitur priuatio, & carentia eiusdem potentiarum in lapide, respectu cuius dicitur negatio: tandem differunt extrinsecè, in obliquo, materialiter, & connotatiuè per respectum ad diuerſa subiecta. Hoc autem non facit essentiale discrimen, vt patet in formis realibus. Nam calor in aëre, & in aqua, est eiusdem rationis, licet aëri sit naturalis, & aquæ violentus, quia habet idem principium constitutiuum; at cœcitas habet quoque idem principium constitutiuum, & specificans comparata ad hominem, & lapidem, nempe visuam potentiam, ergo erit eiusdem speciei, licet in illo habeat rationem priuationis, in isto vero negationis.

Adde quod priuatio, & negatio concipiuntur per habitudinem ad aliud

priuatio enim est alicuius priuatio: ergo non distinguntur à relatione rationis, & sic male assignatur triplex illa diuisio.

8. Respondeo antecedens verum esse, loquendo de priuatione, & negatione secundum se, & respectu formæ negatæ; falsum autem si sumantur reduplicatiæ, vt priuatio, & vt simplex negatio: sub illis enim denòminationibus includunt diuersos respectus, qui vt sic, sunt illis essentiales. Nam priuatio est negatio formæ in subiecto; negatio verò abstrahit à subiecto: cum enim dicat tantum parentiam, & absentiam formæ seu entitatis, potest concipi extra subiectum, vt non homo, non equus: vnde hæc videtur esse per se, illa vero in alio: qui sunt modi diuersi, cùm modus negationis abstrahat à conditione constitutente priuationem.

Præterea differunt per modum incidentis & inclusi, seu excedentis, & excessi, quia priuatio includit negationem, & addit aptitudinem in subiecto ad recipiendam formam negatam: negatio verò excludit talem aptitudinem: quo fit vt priuatio possit tantum tribui veris entibus: negatio verò etiam non entibus: hæc enim propositio vera est, *chimæra est non ens*. Hæc autem conditiones ad priuationem, & negationem constituendam necessariæ, essentialiem differentiam important.

Et hæc discrimina cadunt inter priuationem, & negationem, etiam prout sunt entia rationis: nam ens rationis priuatuum apprehenditur per modum entis, seu formæ adhærentis subiecto: negatiuum autem potest apprehendi extra subiectum, sicut Chimæra, ad modum substantiæ per se stantis. Similiter ens rationis priuatuum, vt sic, & negatiuum vt sic reduplicatiæ, differunt per ordinem ad diuersa subiecta, vt explicatum est: quod maxime verum est in negatione, & priuatione complexa. Nam ista negatio. *Lapis est non videns*. Facit propositionem necessariam; ista verò. *Homo est cæcus*, contingentem, quæ valde diuersa sunt.

9. Quod autem relatio rationis differat ab alijs duobus membris patet. Tum ex parte fundamenti, tum ex parte denominationis: ex parte quidem fundamenti, quia fundamentum proprium, & proximum entis rationis priuatiui, & negatiui, est non ens, seu remotio, & parentia entitatis: fundamentum verò quod habet intellectus ad concipiendam relationem rationis, est aliqua entitas positiva, quam non potest perfectè concipere nisi per respectum ad aliam. Et quamvis relatio rationis supponat in re parentiam relationis realis, quia si relatio realis adeslet, non fingeretur relatio rationis; tamen illa parentia non supponitur, tanquam fundamentum talis relationis rationis, sed solum tanquam conditio necessaria.

Ex parte verò denominationis differunt, quia relatio rationis dat formaliter denominationem respectuam, per quam aliquid positivum in re explicamus: priuatio verò, & negatio denominant per modum absoluti, & positivi, & per talem denominationem explicatur sola parentia entis: quomodo denominatur aer tenebrosus, per modum cuiusdam absolutæ affectionis, & dispositionis contrariae lumini, quamvis autem priuatio, & negatio concipiuntur

per habitudinem aut ad subjectum , aut ad formam negatam ; hæc tamen habitudo est potius relatio transcendentalis , quam secundum esse , quia per illam non dicuntur esse ad aliud , tanquam ad terminum : ideoque semper reperitur essentialie discrimen inter hæc tria diuisionis assignatae membra.

10. In fine tandem huius sectionis aduertere , inter entia rationis , quædam esse fundata , seu habentia fundamentum in re , quædam vero , quæ fundamentum nullum habent. Illa enim quæ ex tertia radice superius assignata procedunt , sunt merè fictitia , nec aliunde sumit intellectus occasionem illa fingendi , quam ex vi & fecunditate sua : ideoque potest illa sine termino multiplicare , & ad imitationem prædicamentorum omnium fingere , ut chimæram ad modum substantiarum : spatium imaginarium ad modum extensio-  
nis , seu quantitatis ; &c. alia vero habent fundamentum in rebus , in quibus intelliguntur , aut in alijs similibus , quæ præbent occasionem intellectui , ut ita concipiatur. V. G. cum intellectus concipit misericordiam Dei distinctam à iustitia , non est fundamentum in Deo , talis distinctionis ; sed quia effectus harum virtutum habent in homine duo diversa principia , & similes effectus oriuntur à Deo : hinc sumit occasionem intellectus distincta quoque eorum principia in Deo concipiendi. Item dum distinguit animalitatem in homine à rationalitate , fundamentum talis distinctionis , illi præbent diversæ operationes : quamvis hæc plus quam ratione distinguantur ex mente Scoti , de quo infra .

## SECTIO III.

*An denominationes extrinsecæ , sunt entia rationis.*

II **N**OMINA duplex esse denominationum genus : aliae sunt intrinsecæ , aliae extrinsecæ. Denominatio intrinseca dicitur illa , quæ sumitur à forma realiter existente in re ipsa denominata. V. G. *paries est albus*. Denominatio est intrinseca , quia albedo est forma realiter existens in pariete , qui denominatur albus .

Denominatio vero extrinseca est , quæ sumitur à forma realiter quidem existente , non in re denominata , sed in alio subjecto V. G. dum quis videt parietem , paries denominatur visus , non à visione , aut alia forma intrinseca in illo existente ; neque enim visus aliquid in illo producit ; sed à visione existente in oculo , quatenus ad eum terminatur , aut circa illum versatur. His prænotatis .

Dicendum est primò denominationes extrinsecas , secundum se , & simpliciter consideratas , non esse entia rationis. Est contra quosdam recentiores. Probatur primò quia ens rationis accipit totum suum esse ab intellectu , ut patet ex prima sectione ; Ergo non potest esse ante operationem illius : sed multæ dantur denominationes extrinsecæ , ante omnem operationem intel-

lectus, ergo non sunt entia rationis. Probatur minor. Licet enim nullus esset intellectus creatus: tamen Deus reuera denominaretur creator, & paries visus ab equo: Ergo esse talium denominationum non dependet ab intellectu, & ita non est ens rationis.

Probatur secundò. In denominatione extrinseca, vt in ista, *paries est visus*. Sunt tantum duo, scilicet actus potentiae visuæ, & paries qui videatur: sensusque talis propositionis est, potentiam visuam elicuisse visionem circa parietem, tanquam circa objectum, & terminum suum: at hæc omnia sunt realia & independentia ab intellectu, vt per se notum est, ergo, &c.

12. Probatur tertio. Non solum ex intellectu oriuntur denominations extrinsecæ; sed etiam ex voluntate, ex imaginatione, ex sensibus externis, etiam brutorum. Paries enim denominatur visus à boue: objecta denominantur volita, audita, per imaginationem percepta, &c. vnde sequitur entia rationis fieri, non solum ab actibus intellectus, sed etiam voluntatis, & aliarum potentiarum vitalium, quod aduersarij negant. Licet enim non possint dici entia rationis sub habitudine, & dependentia à ratione, tanquam ab illa confusa: tamen possent dici entia rationis, quatenus ens rationis distinguitur contra ens reale, quia non est major ratio cur denominationes extrinsecæ, prouenientes ab actibus voluntatis, & sensuum extenorū, dicantur reales, quam denominationes extrinsecæ, petitæ ab actibus intellectus, vt denominatio cogniti, intellecti, &c. Igitur vel omnes erunt reales, & hoc est quod intendimus, vel omnes erunt rationis, seu non reales, & ita multiplicabitur ens fictum, seu distinctum contra ens reale, pro multiplicatione potentiarum, vt in ens visus, in ens voluntatis, auditus, &c. quæ omnia sunt absurdæ.

Probatur quartò, quia ex opposita sententia sequeretur Deum facere ens rationis, quod ipsa renuit. Nam ab intellectu, & voluntate diuina denominantur extrinsecè objecta cognita, volita, amata, sicut ab intellectu & voluntate humana: neque potest assignari villa ratio disparitatis, aut disproportionis.

Denique non solum resultarent entia rationis ex actibus potentiarum vitalium, sed etiam ex infinitis alijs rebus, aut earum habitudinibus, ex quibus oriuntur denominations extrinsecæ, vt dextri, vel sinistri respectu columnae sursum, deorsum, &c. quod est contra communem sensum, & rationem.

13. Obijcies primò. Omnis denominatio est opus rationis, dependens ab intellectu, vnum de alio affirmante. Ergo illa denominatio, quæ nihil ponit in re, seu quæ sumitur ab aliquo esse, quod nihil est in re denominata, est ens rationis: sed denominationes extrinsecæ tribuuntur rebus, & obiectis secundum aliquod esse, quod in eis nihil est; ergo sunt entia rationis. minor est euidentis. Nam esse cognitum, esse intellectum, nihil est reale in pariete, cum intellectio nihil in objecto producat.

Respondeo ad primum antecedens, res quidem absolute spectatas, vt

res sunt, non denominari sic vel sic, sed quatenus nominibus significantur; & ita non solum denominationes extrinsecæ, sed etiam intrinsecæ, sunt opus rationis quoad nominis impositionem: verum non agimus hic de extrinsecis denominationibus sub hac consideratione nominum; sed quatenus spe-  
stant ad ordinem rerum, in quarum vniōibus, aut habitudinibus fundati-  
tur, vt denominatio intrinseca albi parietis, fundatur in vniōne albedinis, &  
parietis; denominatio vero extrinseca visi in eodem pariete, fundatur in ha-  
bitudine visionis ad parietem visum, tanquam ad terminum, & objectum.

In hoc igitur sensu nego primam consequentiam. Licet enim *esse visum, esse cognitum*, nihil ponat in re visa, aut cognita: illa tamen denominatio est omnino realis, quia per eandem omnino rationem formaliter, per quam visio denominat oculum intrinsecè videntem, per eandem denominat ex-  
trinsecè parietem visum: sed illa est omnino realis, vt patet, ergo & illa.  
Probatur maior, quia *oculum videre parietem visione, & parietem vi-  
deri visione ab oculo*, idem omnino sunt: sicut idem sunt *ignis calefactione  
producit calorem, & calor ab igne productur calefactione*.

Item viii denominat formaliter oculum videntem, quia per eam forma-  
liter oculus aliiquid videt, ergo per eam aliiquid videtur ab oculo, ergo per  
eam formaliter aliiquid est visum ab oculo; & ita per eandem rationem de-  
nominatur objectum extrinsecæ visum, & oculus intrinsecè videns: sed in  
denominatione intrinseca, ratio illa est realis, nempe visio, ergo & in extrin-  
seca. Igitur denominatio extrinseca secundum se considerata, non est ens ra-  
tionis, cum forma, à qua sumi ur, sit realis.

**14. Obiecties secundā.** Quod habet tantum esse obiectuē in intellectu  
est ens rationis: sed *solem esse cognitum*, habet tantum esse obiectuē in in-  
tellectu: repugnat enim tale esse reperiri extra intellectum: idemque con-  
stat de similibus denominatiōibus extrinsecis: ergo extrinsecæ denomi-  
nationes, sicut ab actibus intellectus de sumptae, erunt entia rationis.

Respondeo negando minorem. Ut enim jam ostensum est præcedenti  
solutione, illud esse cognitum, quod habet Sol ex eo præcisè, quod cognoscitur, non est obiectuē in intellectu; sed potius formaliter, effectuē, &  
subiectuē per actum cognitionis, quo Sol cognoscitur: tunc autem est ob-  
iectuē quando intellectus cognitione reflexā cognoscit se cognoscere So-  
lem, quia tunc Sol vt cognitus, habet rationem objecti; per primām verò  
cognitionem cognoscitur solus ipse Sol; & ita esse cognitum illius, non ha-  
bet rationem objecti.

Præterea licet *esse cognitum* Solis, diceretur esse objectuē in intellectu  
respectu talis cognitionis; non esset tamen solum objectuē in intellectu,  
sed à parte rei, quia à parte rei intellectus cognoscit Solem; ergo à parte  
rei Sol cognoscitur, & Solem esse cognitum, est verum à parte rei absque  
villatione, quia hoc nihil aliud est quam cognitionem intellectus tendere,  
& attingere Solem, tanquam objectum, & Solem à tali cognitione attingi,  
quod totum reale est, vt patet dum Sol cognoscitur à Deo, alioquin So-

lem esse cognitum à Deo , haberet tantum esse objectuè in intellectu Dei , & sic Deus fäceret ens rationis quod aduersarij negant.

15. Dicendum est secundò, denominationes extrinsecas, si concepiantur ad modum intrinsecarum, esse entia rationis, seu fundamentum entium rationis. Hoc indicat Scotus in 1. sent. dist. 36. quæst. vnica num. 10. vbi ait quòd esse diminutum, quod habent res in intellectu diuino, hoc est esse cognitum, concomitant relatio rationis. Si igitur intellectus apprehendat aliquam formam realem inesse subjectis denominatis, tunc secundum illud esse fictum, denominatio extrinseca erit ens rationis: vt si in ista denominatione, *Petrus est cæcus*, apprehendat cœcitudinem per modum cuiusdam entis positiui, male affientis visum, tunc illud ens apprehensum, quatenus ponitur loco cœcitatris, est ens rationis: & si in ista, *paries est cognitus*, apprehendat esse cognitum, quod in pariete nihil est reale, per modum entis in pariete existentis, aut concipiatur parietem ipsum referri ad intellectum, & in eo aliquid apprehendat per modum entis respectuui, tunc facit ens rationis: non vero quando negatiuè concipit visum non esse in oculo, aut cognitionem in intellectu existentem terminari ad parietem, seu illum attingere extrinsecè. Idemque sit judicium de similibus.

#### SECTIO IV.

#### *De secundis intentionibus.*

16. **I**NVENTIO aliter apud Philosophos Morales sumitur, aliter apud Dialecticos: apud illos enim significat actum voluntatis tendentis in finem, atque etiam finem ipsum, vt cum dicitur eius intentio est vana gloria, est pecunia, &c. Vnde dicitur prima intentio, si finis ille sit primus scopus, quem sibi proponit; vel secunda intentio si secundario tamquam illum intendat.

Apud Dialecticos vero significat attentionem, seu actum intellectus, quæ tendit in aliud objectum: imo sæpè objectum ipsum in quod tendit intellectus, quia nomina conceptuum solemus sæpè tribuere rebus ipsis conceptis, quomodo Deus dicitur Scientia Sanctorum: distinctionis tamen gratiâ, actus, seu conceptus vocantur intentiones formales: objecta vero vocantur intentiones objectiuæ.

Igitur, vt ad rem veniamus. Alia est intentio formalis, alia objectiva; & utraque duplex est, prima nimirum, & secunda, quæ communiter sic explicantur.

Prima intentio formalis est actus intellectus, quo rem aliquam cognoscit, secundum ea, quæ habet ex se, & ex parte ipsiusmet rei: res vero cognita, est prima intentio objectiva. V. G. Dum cognoscit hominem esse

animal rationale , actus quo illum cognoscit , est prima intentio formalis : ipse vero homo , qui cognoscitur , est prima intentio objectiva : unde res quæ ita cognoscuntur , dicuntur cognosci & considerari primò intentionaliter : nomina vero , quæ res ita significant , vocantur nomina seu termini primæ intentionis , ut *homo , animal , &c.*

17. Secunda intentio formalis , est actus intellectus , quo cognoscit rem , non secundum id , quod habet à parte rei ; sed secundum id , quod accipit ab operatione intellectus , aut habet dependenter ab intellectu : res autem cognita secundum tale esse , est secunda intentio objectiva . V.G. dum cognoscit in ista propositione , *homo est animal* , hominem esse subjectum , & animal prædicatum , actus quo hæc sub tali esse cognoscit , est secunda intentio formalis : homo vero , aut animal sub tali esse cognitum , est secunda intentio objectiva . Unde res , quæ ita cognoscuntur , dicuntur cognosci , & considerari secundò intentionaliter ; & nomina res ipsas sic speciales significantia , dicuntur nomina , seu termini secundæ intentionis , ut prædicatum , subjectum , antecedens , consequens , vniuersale , genus , &c.

Ex hac generali explicacione satis appareat secundas intentiones objectivas , esse vel entia rationis , vel denominationes extrinsecas , secundum dicta sectione præcedenti ; quandoquidem totum esse quod habent , ab intellectu habent : primas vero objectivas esse entia realia , sicut & ambas formales , cùm sint reales actus intellectus .

Dixi : *ex hac generali explicatione* . Quia admittendo vniuersale ex parte rei , & excludendo ens rationis ab objecto Logicæ , paulo aliter de primis & secundis intentionibus philosophandum erit . Quod nimirum prima intentio formalis sit primus conceptus intellectus , fundatus immediate in re , vt primò apprehenditur ab intellectu : secunda vero intentio formalis sit secundus conceptus fundatus in re , non immediate , sed mediante primo conceptu , siue inde oriatur ens rationis , siue non . Objectum autem , siue res cognita per primam intentionem formalem . Dicitur prima intentio objectiva : res vero cognita per secundam intentionem formalem , dicitur secunda intentio objectiva . Ut est genus , species , prædicabile &c. Nam animal G.V. non dicitur genus ut primum concipiatur in se principium sentiendi , sed ut concipiatur communicabile multis , & prædicabile de illis , qui est secundus conceptus fundatus super primo : unde si genus sit *ex parte rei* , secunda intentio generis non erit ens rationis : idemque de similibus dicendum erit , ut de prædicto , de subjecto , &c.

## SECTIO V.

*De causa efficiente entis rationis.*

18. **C**VM ens rationis non habeat verum esse reale, consequenter inquirendo causam efficientem illius, non ita quæstionem hanc intelligimus, quasi possit dari causa aliqua, quæ per realem actionem, & veram efficientiam ens rationis producat, siue mediatè, siue immediate, sic enim inuolueretur repugnantia in terminis: sed querimus à quo ens rationis suum esse accipiat, quodcumque tandem illud sit. Cùm enim aliquando non sit, aliquando vero esse incipiat, eo modo, quo potest esse, causam aliquam ipsum habere necesse est.

Non querimus autem causam illius finalem, quia, licet Thomistæ illud in hunc finem effungi dicant ab intellectu, vt res cognoscatur rectè, & sine errore; atque intentiones logicales, quas entia rationis esse volunt, in hunc finem naturaliter ordinari putent; nihilominus, probabilius supra ostendimus, nullum agens, aut scientiam, per se intendere cognitionem, aut efformationem entis rationis: & ridiculum videtur ens fictum, quodque, vt plurimum, supponit cognitionem rei aliter, ac in se est, insecurum, & per se ordinari ad cognitionem veritatis.

Non querimus item causam illius materialem, siue subjectiuam, quia, cùm nullum habeat esse, nisi objectuum, nullo indiget subjecto. Cùm tamen sàpè intelligatur ad modum entis in re, quam denominat, res illa denominata est veluti subjectum, & quasi causa materialis eius: ipsum vero, cùm apprehendatur ad modum formæ, erit causa formalis ejusdem rei, in qua esse concipitur. Præcipua igitur difficultas est de causa efficiente aut quasi efficiente entis rationis, pro qua.

19. Dicendum est primò. Intellectum esse causam efficientem entis rationis. Ita communiter Philosophi. Probatur, quia ens rationis habet tantum esse objectuum in intellectu, vt dictum est supra; ergo debet accipere suum esse ab eo, cui objicitur, & consequenter ab intellectu: vnde ens rationis suo modo efficitur per illum actum, per quem intellectus apprehendit in re per modum entis, id quod nullam habet entitatem: atque adeò actus ille est effectio entis rationis, terminata ad ipsum secundariò. Intellectus enim primò tendit in ens reale, per suam cognitionem illud in se exprimendo, & formaliter repræsentando; secundariò vero, & indirectè tendit in ens rationis, objiciens sibi non ens per modum entis: & ita objectum primarium intellectus est ens reale; secundarium vero est ens rationis.

Exempli gratia. Dum apprehendit cœcitatem in oculo , per modum formæ positivæ , & prauæ affectionis contrariæ visui , vt per modum nigroris ; objectum primarium , quod primò terminat intellectionem , est oculus , & forma illa , seu nigror : objectum verò secundarium est ipsum non esse , seu nihil oculi , & visus , apprehensum per modum talis formæ , & nigroris ; seu forma illa , & nigror , non secundum se , sed vt existens in oculo , loco cœcitatris . Idemque de cœteris esto judicium .

20. Dicendum est secundò . Ens rationis posse fieri per quamlibet intellectus operationem , primam , secundam , tertiam . Probatur de prima . Quia dum intellectus apprehendit tenebras in aëre per modum formæ positivæ , contrariæ lumini , non affirmando ita esse , apprehendit non ens per modum entis , & hoc habet solum esse objectum in intellectu ; ergo facit tunc ens rationis per simplicem apprehensionem .

Item quando apprehendit vniōneūm seu identitatem Serpentis , Leonis , & Capræ in chimæra , concipit non ens per modum entis , & rem aliter ac in se est , intelligit , licet non judicet ita esse ; ergo facit ens rationis per pri-  
mam suam operationem .

Denique dum apprehendit naturam humanam . V. G. quasi auulsa , & per se stantem , eamque comparat cum individuis , hoc est concipit ut conuenientem ipsis , concipit referri ea , quæ non referuntur secundum com-  
munem sententiam , & hoc absque iudicio : igitur per simplicem appre-  
hensionem facit ens rationis .

Dices in his & similibus apprehenditur res aliter ac in se est ; ergo in tali apprehensione reperitur disformitas cum objecto , & consequenter falsitas : sed in prima mentis operatione non reperitur falsitas , vt constat ex Aristotele tertio de anima cap. 6. & alibi : ergo ens rationis non potest effici per primam mentis operationem .

Respondeo ad minorem pro re presenti , non reperi falsoitatem in prima mentis operatione , quando res simplices apprehenduntur in se , vt substan-  
tia , quantitas ; secùs quando apprehenduntur ut conjunctæ , vel identifica-  
tæ , vel relata , quæ separata sunt , vel diuersæ , vel absolute , vt dum appre-  
henditur visio in pariete viro , nigror in oculo pro cœcitate ; Serpens , Leo ,  
Capra vt unum in essentia ; prædicatum ut forma relata ad subjectum , tan-  
quam ad materiam , &c. Tunc enim repræsentatur objectum aliter ac in se est ; & ita repræsentatio non est vera , atque adeò actus repræsentans est  
disformis objecto , & consequenter falso , falsoitatem quidem incomplexam . Et  
quod hæc sit mens Aristotelis satis euidenter patet ex textu .

21. Probatur secundò de duabus alijs operationibus . Dum enim fit ista propositio ( chimæra est ens rationis ) actus judicatiuus repræsentat chimæ-  
ram , & habet ens rationis pro objecto : idemque valet in tertia mentis opera-  
tione . Ergo tunc intelligitur non ens per modum entis , & ita fit ens rationis .

Præterea , quando intellectus facta aliquâ propositione , apprehendit præ-  
dicatum referri ad subjectum , aut consequens ad antecedens , tunc facit ens

rationis per secundam, & tertiam mentis operationem: nam prædicatum, ut sic, quatenus auctu prædicatum, non datur absque actuali prædicatione, nec consequenter ab illo judicio: ergo relatio quā afficitur. V. G. animal, ut prædicatum, in ordine ad hominem, ut subjectum, dependet à judicio: similiter antecedens, ut auctu inferens, & consequens, ut auctu illatum, dependent à discursu. Ergo relationes consequentis, & antecedentis, ut sic, & in auctu exercito, dependent à tertia mentis operatione.

22. Quæres an actus intellectus, per quem fit ens rationis, sit actus reflexus? Respondeo non esse necessarium auctum propriè reflexum ad illud fingendum. Est autem auctus propriè reflexus, qui habet alium auctum præcedentem pro objecto.

Patet responsio. Nam cognitio, per quam fit ens rationis, non terminatur propriè ad aliam cognitionem; sed ad objectum illius, fingendo aliquid in illo. V. G. dum intellectus concipit cœcitatem in oculo per modum prauæ affectionis visus, non habet pro objecto actum illum, quo oculus concipitur; sed potius ipsum oculum, in quo apprehendit, & fingit cœcitatem per modum illius prauæ affectionis. Similiter, dum intellectus concipit in Deo relationem creatoris ad creaturam, non supponit pro eius fundamento denominationem cogniti; sed immediatè tendit ad Deum creantem; atque adeò talis relatio non fit per actum reflexum. Idemque potest ostendi in multis alijs.

Quando ergo communiter dicitur ens rationis fieri per auctum reflexum, debet intelligi de impropriè reflexo; quatenus actus, ex quo consurgit, supponit naturâ suâ alium auctum circa ens reale, ad cuius imitationem formatur ens rationis: quod maximè patet in secundis intentionibus Logicæ, ut in ista propositione, *homo est animal*, non enim fit ens rationis per primum auctum, quo concipitur animalitas inesse homini, quia licet modus quo intellectus hoc concipit, minimus intellectualis compositio; quâ homo ponitur ut subjectum, & animal ut prædicatum, non fit in re ipsa: tamen ex vi illius actus non tribuitur modus ille rei cognitæ, nec in illa esse concipitur: ideoque per illum non fit ens rationis; sed per alium, quo intellectus considerat ordinem subjecti & prædicati inter se, prout sunt ita disposita per præcedentem auctum, & ea inter se comparat per modum respectus mutui, qui in illis non est realis: & ita generaliter loquendo ens rationis dicitur fieri per auctum reflexum impropriè, hoc est aliquo modo comparantium.

23. Dicendum est tertio. Voluntatem non efficere entia rationis. Videtur esse contra Scotum in 1. sent. d. 45. qu. vnicâ. num. 4. nam ibi expressè asserit voluntatem posse causare in bono volito propter aliquem finem, relationem rationis ad illum: non quidem rationis, hoc est dependentem ab intellectu, sed non realem, & objecto non conuenientem ex natura rei. Nihilominus fortè tantum voluit voluntatem esse causam entis rationis secundum esse fundamentale, quatenus ex eius actione circa objectum aliquod, consurgit denominatio

denominatio extrinseca voliti, & radix proxima relationis rationis obiecti voliti ad voluntatem, vt notat Caiet. 1. parte q. 28. art. 1. post mediū m.

Probatur tamen conclusio primò, quia voluntas non habet vim apprehendendi, aut formandi per modum entis id, quod non est ens, cùm sit potentia coeca.

Secundò. Voluntas non tendit in ens, vt ens, sed vt bonum; ergo licet tenderet in objectum, quod re verâ nihil esset, tale objectum non haberet rationem entis ex vi illius actus, & sic non fieret ens rationis à voluntate.

Tertiò. Hæc est differentia inter modum operandi intellectus, & modum operandi voluntatis, vt docet Diuus Thomas primâ parte qu. 16. art. 1. & alij. Quod intellectus quasi attrahat ad se objecta, ita vt recipiant nouum esse, diuersum ab eo, quod habebant antea, scilicet esse objectum in intellectu: voluntas vero potius fertur in objectum, quasi extra se, atque ita nullum esse nouum ei tribuit, quin potius in illud quasi transformatum non potest ergo aliquod ens rationis fingere.

24. Objicies. ordinare vnum ad aliud, ad quod de se non est ordinatum, est facere relationem rationis: sed voluntas hoc præstat, vt cùm peruersus ordinat Deum ad creaturam, eleemosinam ad vanam gloriam: amare enim vnum propter aliud, est ordinare vnum ad aliud, & consequenter in eo causare relationem rationis.

Deinde, voluntas sèpè amat bonum solum apparens, & id quod malum est, scilicet peccatum; imò aliquando amat impossibile: hoc autem est facere ens rationis; sicut intellectus facit, dum apprehendit id quod nihil est, aut ens impossibile, per modum veri entis.

Respondeo ad primum, negando minorem. Ut enim rectè docet Diuus Thomas. 1. 2. qu. 17. art. 1. voluntatis non est ordinare vnum ad aliud, sed intellectus: quidquid enim ordinis est, à ratione proficiscitur, etiam in naturalibus, propter quod communiter dicitur, *opus natura esse opus intelligentiae: &c.* 1. lib. 1. metaph. *ordinare, & dirigere proprium esse sapientis.*

Quando igitur voluntas vnum amat propter aliud, non ordinat propriè vnum ad aliud; sed hoc facit intellectus, judicando vnum esse propter aliud diligibile, quod ita propositum voluntas amplectitur, sicut amplectitur objectum vniuersale, etiam sub ratione vniuersalis, vt cùm appetit aliquid, quia est bonum: ipsa tamen illud non fingit, sed ab intellectu propositum amplectitur.

Respondeo ad secundum: voluntatem non habere vim attingendi bonum apparens, quatenus apparens est: neque enim cognoscit illud vt apparens, aut vt impossibile, neque fingit aliquid vt bonum, quod in se bonum non sit, sed tendit in illud, quatenus proponitur ab intellectu; proponitur autem vt quid reale, & vt verum bonum; atque adeò non fertur proximè in non ens, sed tantum remotè, quatenus id, quod illi proponitur vt reale, est tantummodo apparens, & ita intellectus illud apprehendendo facit ens rationis, non autem voluntas.

Quare optimè docet Diuus Thomas 1. 2. q. 8. art. 1. quòd sicut appetitus naturalis tendit in id, quod est bonum in re existens, ita id, in quod tendit rationalis, est bonum apprehensum; eo quòd omnis inclinatio consequitur aliquam formam: ideoque, cum appetitus naturalis, sit inclinatio naturalis, consequitur formam in natura existentem: appetitus autem sensitiuus, aut rationalis, formam apprehensam, scilicet bonum apprehensum.

25. Dicendum est quartò nullum sensum, siue externum, siue internum, facere ens rationis. Est contra quosdam recentiores, existimantes imaginacionem in homine facere entia rationis fictitia, ut chimæram.

Probatur conclusio primò, quia quilibet sensus habet pro objecto aliquam speciem determinatam, & sensibilem entis realis, quæ per impressiōnem specierum sensibilium, illum immutat, vt constat ex libris de anima: at ens rationis vt sic, nec sensibile est, nec habet species vias; ergo non potest sentiri, seu à sensu percipi.

Præterea nulla potentia potest excurrere extra objectum suum: sed imaginatio, & quilibet aliis sensus, habet pro objecto suo, tantum externa accidentia materialia, non verò essentias rerum; ergo non potest attingere aliquod fictum, nec percipere unionem duarum essentiarum incompositibilium, quia sic operaretur extra objectum suum.

Obijcies. Imaginatio multa sàpè fingit, & componit, quæ sunt impossibilia, vt ex auro, & monte format montem aureum; ex serpente, capra, leone chimæram, & alia similia, vt patet in insomnijs; & illa apprehendit ac si verè essent, ergo facit entia rationis chimærica.

Deinde: sensus versatur circa sensibile vniuersale, & in communi; ab eo enim sumit speciem, non verò ab aliquo particulari: vniuersale autem prout sic, non est à parte rei. Item sensus sàpè falluntur, & apprehendunt id, quod non est, per modum entis, vt patet in cane apprehendente à longè non herum, tanquam herum suum.

26. Respondeo ad primum, imaginationem concipere montem aureum, idem esse, ac concipere ingentem massam auri; & ideo ratio, seu idea propria montis non occurrit imaginationi in tali repræsentatione, nihilq; fingitur quod possibile non sit. Vel concipit illa duobus conceptibus, altero montem, altero aurum, non verò hæc duo vnta.

Quòd si dicatur re verâ componere unum ex his duobus, & ex capra, serpente, leone chimæram, moustraq; similia. Respondendum est illa componere materialiter tantum, quatenus vnicā cognitione simul fertur in omnes partes componentes, quod potest contingere, vel quia species sensibiles, propter alterationem organi perturbatae, non repræsentant partes seorsim, vt distinctas: uel quia imaginatio ex præconceptis speciebus rerum diuersarum, vim habet eliciendi, & formandi tertiam speciem, quæ repræsentet simul omnes illas res, vt vult D. Thomas prima parte qu. 12. art. 9. ad 2.

Verum propter hoc non potest dici illa componere formaliter, ita vt sua cognitione attingat, tanquam objectum, unionem essentiarum, seu illud

esse fictum, & non ens, per quod diuersæ essentiæ intelliguntur formaliter ut quid vnum. quod autem attingat multa corpora in vnum corpus monstruosum coalescere, hoc nihil facit pro ente rationis, quia sæpe huiusmodi monstra reperiuntur in rerum natura, nec proinde sunt entia rationis.

Pespondeo ad aliud, sensus versari circa objectum vniuersale adverbialiter, non verò nominaliter, vt loquitur Cajetanus 1. p. q. 80. art. 2. post medium. Non enim apprehendit visus, exempli gratia, colorem in communi, sed aliquem colorem in particulari, licet color in communi, & vniuersaliter, sit eius objectum, hoc est, illud omne quod conuenit in communi ratione coloris: ideinq; de cæteris sensibus. At verò objectum intellectus est vniuersale nominaliter, hoc est, potest intellectus cognoscere rationem communem, & vniuersalem, vt sic, non cognito aliquo particulari.

Bruta porrò falli dicuntur, tantum impropriè, quatenus formant conceptus non conformes objectis, propter quædam accidentia, quæ similia sunt, aut similia apparent: vnde canis non facit ens rationis in prædicto casu, quia eius imaginatio tantum fertur in illa externa similia. Extremi verò sensus falli dicuntur, quia propter similitudinem accidentium, quæ percipiunt, aut quia modo imperfecto percipiunt, sunt occasio intellectui errandi.

## SECTIO VII.

*An Deus cognoscat entia rationis.*

27. **X**I STIMANT recentiores quidam Philosophi, vt Vasques i. p. disp. 118. num. 12. Entia rationis non cognosci à Deo, eo quod putent ipsa non posse ab illo cognosci, quin simul ab illo fiant: absurdum autem esse dicere entia rationis à Deo fieri. nihilominus necesse non est concedere ens rationis à Deo fieri, etiam si concedatur ab eo cognosci: & quamuis ab eo fieri dicatur, nihil absurdum sequitur vt in sequentibus sectionibus manifestum fiet. quare.

Dicendum est primò Deum perfectissimè, & distinctissimè cognoscere entia rationis. probatur primò, quia vis intellectiva mentis nostræ non potest esse major infinità vi intelligendi Dei, ergo non potest se extendere ad aliqua, ad quæ non se extendat diuinus intellectus.

Secundò. Quidquid habet aliquid intelligibilitatis, est intelligibile à Deo, vt per se notum est; sed ens rationis habet aliquid intelligibilitatis, alioquin non intelligeretur à nobis; ergo est à Deo intelligibile.

Tertiò. Deus perfectissimè comprehendit fictiones formales nostri intellectus, hoc est actus, quibus fingimus entia rationis; ergo cognoscit fictiones objectivas, hoc est objecta actuū fingentium, quæ sunt entia

rationis. Antecedens est manifestum. Probatur consequentia , quia non potest actus comprehendendi , nec perfectè illius natura intelligi , nisi cognoscatur circa quod objectum veretur , & quidquid per illum representatur. Si enim aliquid representatum lateret , etiam lateret formalis representatio illius , quæ in actu reperitur , & sic aliquid actus lateret , atque adeò non cognoscetur perfectè : hoc autem dici non potest respectu Dei. Vnde optimè ait Diuus Thomas 1. parte q. 14. art. 9. *quacunque possunt per creaturam fieri , vel cogitari , vel dici cognoscit Deus.*

Quarto. Ablurdum est dicere Deum ne dicere nos modo de ente rationis tractare : ergo & quod non intelligat ens rationis : si enim nullam formet cognitionem de chimera , non potest scire , nunc à nobis de chimera disputationi. Et ipse Vasques cap. 3. ait Deum optimè cognoscere , sua attributa ratione nostra distinguere ob imperfectum nostrum concipiendi modum : ergo tales distinctiones habent esse objectuum in intellectu divino.

28. Quinto. Dum quis facit istam propositionem. *Homo est equus* , Deus videt illam esse falsam , ut patet : ergo videt unionem duorum extremitatum esse impossibilem , quia in tali unione consistit falsitas illius propositionis ; ergo talis unio habet esse objectuum in intellectu divino , quæ cum sit ficta , & ens rationis , non potest negari ens rationis à Deo cognosci. Similiter Deus cognoscit omnem veritatem , sed ista propositio. *chimera est ens rationis* , suam habet veritatem , quæ cognosci non potest , nisi extrema propositionis cognoscantur , ergo , &c.

Denique. Dum quis peccat in Fide , tribuendo aliquid impossibile Deo ; aut dum Angelus existimauit se posse esse Deo similem , Deus tale peccatum agnouit , & consequenter fictiones illas , quæ sunt entia rationis.

Dices , Deum cognoscere ipsos actus , & id , ad quod transcendentaliter referuntur , hoc est extrema realia , ut equum , & hominem in dicta propositione , quæ per ipsos representantur ; non verò unionem extremitatum , quæ cùm nihil sit , nisi ens fictum , hoc est non ens , non potest per eos realiter representari.

Respondeo. Licet talis unio sit ens fictum , nec inter res ipsas reperiatur ; apprehenditur tamen ut ens reale , & ideo representatur per actum fingentem : nam si solum extrema realia representarentur , & non eorum unio , non esset propositio , nec falsitas propositionis , nec ullum ens rationis , sed simpliciter tantum apprehensionis realium. In tantum igitur fit propositio in quantum unum extrellum unitur intentionaliter alteri , & ideo talis unio debet attingi per actum illum , ab eoque representari : & consequenter actus representans refertur intrinsecè ad illam , tanquam ad objectum. Debet ergo Deus tamē unionem cognoscere , ut cognoscat propositionem esse falsam , & chimericam.

29. Dicendum est secundo , cognoscere entia rationis nullam in Deo arguere imperfectionem. Hæc conclusio sequitur ex prima. Impium enim est dicere Deum in sua cognitione aliquam imperfectionem admittere.

Deinde cognoscere errores, & imperfectiones alterius, & discernere inter alium verum, & falsum, est maior perfectio, quam haec nescire. Deus autem cognoscendo nostra entia rationis, cognoscit in modum nostrum cognoscendi imperfectum, & quomodo non sit conformis obiecto.

Denique sicut maiorem perfectionem indicat in Pictore, posse effingere imagines, non tantum rerum existentium, & possibilium, sed etiam impossibilium expressivas: ita ad maiorem Dei perfectionem spectat exprimere in sua cognitione, non tantum entia realia, & possibilia, sed etiam ficta & impossibilia.

Obijcies: non potest Deus cognoscere ens rationis, nisi concipiendo per modum entis id quod ens non est: sed hoc repugnat perfectioni intellectus diuini, qui clarissime percipit res, ut sunt, ergo illi quoque repugnat cognoscere entia rationis. Maior probatur quia sicut obiectum adaequatum nostri intellectus est ens, ita est adaequatum respectu intellectus diuini: ergo diuinus intellectus nihil potest concipere nisi sub ratione entis, & ita si concipiatur ens rationis, illud concipiet per modum entis.

Minor probatur. Nam imperfectio est concipere corporalia instar spiritualium; ergo & concipere non entia instar entium, quia omnis conceptio rei, quæ aliter se habet, ac res ipsa concepta, imperfecta est, & falsa, cum sit difformis obiecto.

Respondeo negando maiorem, & ad eius probationem, concedo intellectum diuinum nihil posse concipere nisi sub ratione entis, si per ens intelligatur omne intelligibile, siue sit positivum, siue negativum, siue rationis: nego tamen quod ipse non possit intelligere non entia, absque eo quod ea concipiatur instar entium.

30. Nam vel ea intelligit mediate in ordine ad intellectum creatum, prout in eo sunt obiectu; vel absque tali ordine, & dependentia: si dependenter ab intellectu creato, tunc eius cognitio nihil singit, sed est conformis obiecto, illudque exprimit sicut exprimi potest; prout nimis ab homine conceptum est, aut conceptibile: & ita dum Chimaram. V. G. concipit, tunc eius intellectui representantur extrema realia, illorum incompossibilitas, actus singens ipsius hominis, & obiectum, quod fictum denominatur, quæ omnia se tenent ex parte obiecti, cui conformatur diuina conceptio: & ita nihil apprehendit quod non sit, nec aliter quam sit, nec consequenter non ens per modum, aut instar entis: quamuis concipiendo rem prout in intellectu humano representatur, aut representari potest, sub illa praecisa ratione non concipiatur sicut est in se, sed sicut est in intellectu humano, & vt est ens fictum ab eo.

Quod si concipiatur entia negativa, ut suo modo existunt in rebus, non concipiatur etiam illa per modum entis. Nam ad perfectam negationis aut privationis cognitionem non spectat, quod ipsa directe representetur & per modum entis positivum, sed quod Deus cognoscendo perfecte entia positiva, indicet & cognoscat unum non esse aliud, aut in alio, aut alteri ynitum,

vel vniabile. Et hac ratione dixit D. Thomas I. parte quæst. 14. artic. 10. Deum cognoscere priuationes per formas oppositas. Qui enim aliquid perfectè cognoscit, debet cognoscere ea, quæ ipsi possunt accidere: formæ autem potest accidere priuatio eius in subiecto, vt bono potest accidere quod per malum oppositum corrumpatur: quodlibet autem cognoscitur secundum quod est: vnde cum esse mali sit esse priuatio boni, Deus cognoscendo bonum cognoscit quoque eius priuationem, sicut tenebras per lumen.

Item cognoscendo totam hominis perfectionem, eadem cognitione cognoscit ipsum non esse alia entia: & ita non cognoscit priuationes, & negationes ad modum entium, sed per entia opposita: nec imperfectio est cognoscere aliquid per aliud, quando ipsum non est per se cognoscibile, vt bene ait idem Sanctus Thomas codem articulo ad quartum.

31. Neque omittendum est eadem entia negatiua posse à nobis etiam cognosci absque fictione; non quidem per directam repræsentationem, & per propriam speciem, cùm nullam habeant; sed indirectè, & per speciem oppositæ formæ, cùm quodam discursu. Nam intellectus potest negare equum de homine absque illa fictione, concipiendo utrumque vt in se est: quomodo negatio propriè concipitur in propositione negatiua, quia in ea unum tantum extreum ab alio remouetur: in propositione vero affirmativa, vt *Petrus est cœcus*. Licet ex vi verbi, est, attribuatur subiecto aliquod non ens per modum entis: tamen potest intellectus absque fictione intelligere petrum esse cœcum, intelligendo eum visu carere, quia illa propositio æquiualeat isti, *Visus non est in petro*.

Similiter intelligendo bonum per speciem propriam boni, cognoscit per eandem, interposito quodam discursu, priuationem boni, quia cognoscendo bonum, cognoscit esse appetibile, & perfectuum appetitus: ex quo sic discurrit. *Bonum est appetibile, & perfectuum appetitus, ergo quod non est appetibile, & perfectuum appetitus, est malum, & priuatio boni*. Vnde eadem species est principium cognoscendi formam, & priuationem eius, sed diuerso modo; quia respectu formæ, est primò representatiuum, Respectu vero priuationis, est illatiuum, vt bene ait Iauelius. 10. metaph. quæst. 10.

## SECTIO VII.

*An Deus faciat ens Rationis.*

32. **T**HEOLOGI, Et philosophi communiter, fere omnes, ens rationis à Deo fieri negant:imo id afferere quidam Existimant errorem esse in fide. Sed hæc sensura nimis est rigida, ideo quæsitionē hanc sub problemate proponere libet, & rationes, quibus vtraque pars

defendi, aut impugnari potest, in medium afferre, & soluere, ut quam quisque voluerit, amplectatur.

## PRIMA PARS SECTIONIS.

*Deum facere ens rationis*

**P**RIMA ratio, quâ potest probari ens rationis fieri à Deo, petitur ex authoritate Diui Thomæ, primâ parte, quæst. 15. art. 2. ad 3. vbi sic loquitur de Ideis diuinis. *Respectus, quibus multiplicantur ideae non causantur à rebus, sed ab intellectu divino comparante essentiam suam ad res.* & ad 4. ait tales respectus non esse in rebus creatis, tēd in Deo, neque esse reales sicut illi sunt, quibus distinguntur personæ diuinæ: sed sunt, inquit, respectus intellecti à Deo. Ergo cum ex mente D. Thomæ illi respectus sint in Deo, & non sint reales, debent esse respectus rationis; & cum fiant à Deo comparante essentiam suam ad res, manifestè sentire videatur ens rationis à Deo fieri,

Pro intelligentia D. Thomæ nota ex Caiet. loco citato, & Ferrarensi 1. contra gent. cap. 54. sub medium, & deinceps, Deum posse cognoscere essentiam suam, vel secundum quod in se est, vel comparatiuè ad creaturas, hoc est quatenus est participabilis, & imitabilis à creaturis secundum aliquem modum similitudinis. quando igitur cognoscit eam ut sic imitabilem, & participabilem à leone, format, ut more nostro loquamur, conceptum, idem, & propriam rationem leonis; & hic est unus respectus idealis: quando item cognoscit eam, ut sic participabilem ab homine, format rationem, & ideam hominis: & hic est aliis respectus idealis, atque ita de ceteris.

Quia verò cognitio Dei infinita est, & omnimodè perfecta, ideo non potest ita terminari ad aliquid objectum, quin intrinsecè seipsum representet, & intueatur quasi reflexiuè. Quo sit ut Deus intelligendo plures creaturas, simul intelligat quasi reflexiuè conceptum suum, & intellectuales eorum representationes, quas in se habet, & hoc est cognoscere seu intelligere in se plures rationes proprias multarum rerum, seu plures ideas, quæ ita dicuntur respectus intellecti: non quidem quod sint plures in se intrinsecè, quia sunt unica eaque simplicissima Dei intellectio, sed tantum ratione diuerarum rerum, quarum sunt ideas: & sic sunt ideas multæ, & diversæ ideas, terminatiuè, objectiuè, representatiuè, exemplariter, quia ad diuersa terminantur, diuersa representant, diuersa habent pro objecto, diuersarum rerum sunt ideas.

33. Ex his respondeo, negando, D. Thomam sentire ens rationis à Deo fieri. In eo enim solum potest esse difficultas, quod illi respectus, quibus multiplicantur ideas, dicantur causari ab intellectu diuino, & quod non sint reales, sed intellecti à Deo. Si enim illi respectus dicantur esse relationes

rationis, non causantur ab intellectu diuino formaliter, quasi ipse concipiatur essentiam diuinam realiter referri ad plures creaturas: Hoc enim esset rem falso concipere ex communiori sententia.

Causantur ergo tantum fundamentaliter & virtualiter. Quatenus enim intelligit essentiam suam esse diversimodè participabilem à diversis creaturis, & itadiuersas creaturas in suo conceptu repräsentat, sufficiens præbet fundamentum intellectui cretato, huiusmodi representationem diuinæ cognitionis apprehendenti, distinguendi plures ideas, & concipiendi plures respectus in Deo ad creaturas, qui respectus ut facti à nobis, aut ut factiles intelliguntur à Deo, & ita dicuntur non esse reales, sed intellecti à Deo.

Secunda ratio. Id cuius fieri est intelligi, seu esse objectivè in intellectu, fit ab eo, à quo intelligitur: sed fieri entis rationis, est intelligi, vt patet ex definitione illius: ergo fit ab eo, à quo intelligitur; sed intelligitur à Deo, vt probatum est sectione præcedenti, ergo fit à Deo.

Respondeo ad minorem: fieri entis rationis esse intelligi, sed alio modo, quam sit. Cum enim ens rationis, sit ens fictum, debet intelligi instar entis realis: vnde si priuatio intelligatur, vt carentia, seu vt non ens, non fit ens rationis, quia intelligitur secundum quod est vt dictum est supra: & ita cognitio quā fit ens rationis, non conformatur objecto, ideoque est, saltem incomplexè, falsa, quia si vera esset, nihil fingeret: at verò Deus intelligit ens rationis, vt est, hoc est quatenus repräsentatur ab actu intellectus humani, & consequenter debet esse extra intellectum diuinum, saltem possibile, quale illi repräsentatur: quo fit vt cognitio Dei nihil fingat, sed sit conformis objecto, atque adeò non faciat ens rationis, imò potius cognoscendo destruat: sicut ille qui cognoscit mendacium alterius, non mentitur, quin potius actum verum elicit, quo mendacium alterius destruit, cognoscendo rem vt est.

34. Tertia ratio. Ens ipsum reale dum cognoscitur, & existit objectivè in intellectu, dicitur existere, & produci in esse objectivo: ergo multo magis ens rationis dicetur existere, & simpliciter produci, dum existet objectivè in intellectu: sed hoc habet à Deo: ergo à Deo simpliciter producitur.

Respondeo: eo modo posse dici ens rationis existere, & produci objectivè dum cognoscitur, quo entia realia, dum cognoscuntur: sed sicut in entibus realibus, aliud est produci simpliciter, aliud produci secundum quid, & in esse objectivo: ita aliud est in ente rationis existere simpliciter in intellectu, id est fingi ab eo: sic enim debet dici simpliciter produci: aliad verò existere secundum quid, hoc est instar entium realium, dum cognoscuntur, quæque supponuntur habere, aut habere posse aliud esse quām objectivum. Et tunc non debet dici simpliciter produci, sed cognosci: ita enim supponitur habere aliud esse, saltem possibile, quod à singente accipit, & quod à Deo solum cognoscitur, non singitur.

Quarta ratio. Intellectus diuinus concipit, vt distincta ea, quæ distincta non sunt: cognoscit enim verbum diuinum procedere per intellectum, non

per voluntatem ; & spiritum-sanctum per voluntatem , non per intellectum . Item hominem creari per ideam hominis , & non per ideam leonis : & ita distinguit intellectum à voluntate , & ynam ideam ab altera : cùm tamen hæc sint quid vnum simplicissimum in Deo : hoc autem est facere ens rationis , vt per se patet .

Respondeo intellectum diuinum virtualiter distingui à voluntate , quatenus intellectus , & voluntas vim habent præstandi ea , quæ præstarent si re ipsâ distinguerentur : & ita Deus cognoscit verbum procedere ab intellectu , quatenus virtute distinguitur à voluntate ; & spiritum-sanctum à voluntate , quatenus virtute distinguitur ab intellectu : quæ virtualis distinctione non est ficta , sed est actu in Deo propter suam infinitam perfectionem ; ideoque intellectus diuinus sic intelligendo , non facit ens rationis . Quomodo autem ideæ distinguantur , & à Deo intelligentur distinctæ , jam dictum est in solutione primæ rationis .

35. Qainta ratio . Deus ab æterno cognovit multa à nobis posse distinguiri in sua essentia , & inadæquatis , seu diversis conceptibus apprehendendi , quæ nullo modo in seipsis sunt distincta , vt iustitiam à misericordia , sapientiam à bonitate &c. Ergo tales distinctiones habebant esse objectuum in intellectu diuino , & adæquatè ab ipso dependebant , quia tunc non effingebantur ab intellectu humano ; nec esse objectuum , quod habebant tunc , erat in alio intellectu , quam in diuino , ergo Deus ab æterno fecit ens rationis .

Quamuis autem hujusmodi distinctiones , & entia rationis non cognoverit Deus , nisi prout à nobis factibilia , aut factu possibilia : tamen verè fecit ens rationis , quia hæc habebant esse objectuum in ejus intellectu , omnino diuersum , seu distinctum ab eo , quod in intellectu humano erant habitura : sicut ego facio ens rationis , dum chimaram concipio , quamvis hoc idem aliud faciat : imò quamvis non possem ego concepere chimaram , nisi dependenter ab actu alterius , illam mihi repræsentante , quia tunc esse chimaræ , quod est in meo intellectu , est omnino distinctum ab esse , quod est in intellectu alterius .

Respondeo concedendo hujusmodi distinctiones , & omnia entia rationis , quæ ab intellectu creato fingi possunt , habuisse esse objectuum in intellectu Dei ab æterno : sed nego quod ideo Deus fecerit ens rationis ab æterno . Aliud enim est facere ens rationis , aliud concipere , & intelligere ens rationis , ab alio factum : sicut aliud est errare , & aliud intelligere errorem : aliud discurrere , aliud intelligere discursum alterius . Nam facere ens rationis , necessariò includit fictionem , & conceptionem rei aliter ac in se est , vt ostendimus : non autem illud intelligere , quia potest intelligi , vt est , seu vt in intellectu creato repræsentatur , absque villa fictione : sicut dum dico chimera est ens rationis , nihil fingo , quia iudicium meum est verum , & objecto conforme .

Ecce si res diligenter inspiciatur , magnum est discrimen inter ista

duo, Deus concipit iustitiam suam distinctam à misericordia sua, & Deus concipit distinctionem, quam homo facit inter iustitiam, & misericordiam suam: nam si primo modo conciperet, re vera aliquid fingeret, & rem conciperet aliter ac est: secundo vero modo nihil fingit, sed rem concipit ut est in intellectu humano. & licet tunc illa distinctio habeat esse objectivum in intellectu divino; illud tamen esse, non potest dici confitum ab ipso, vt ex se pater: & ideo comparatur ad ipsum, non vt ad causam efficientem, sed vt ad cognoscentem tantum; neque vt effectus sed vt objectum tantum. Idemque dicendum est de eo, qui conciperet ens rationis ab alio factum, vt in illius intellectu praeceps representaretur.

36 Instabis. Illud esse objectivum, quod habent in intellectu divino hujusmodi distinctiones, & alia entia rationis, ab homine fingibilia, non est ens reale, vt constat; Ergo est ens rationis. Quomodo enim aliter vocari potest? sed tale esse dependet ab intellectu divino, cum per eum suo modo existat, ergo per eum luo modo producitur, & ita ens rationis sit à Deo.

Respondeo, illud esse objectivum in intellectu divino existens, esse, & debere vocari ens rationis, non à Deo factum, sed ab homine fingibile. illud enim, quod est in intellectu divino, & quod futurum est in intellectu humano, idem est ex parte objecti, sed ex parte cognoscentis, diversas habet conditiones; nam prout cognoscitur ab intellectu divino, habet rationem meri objecti, & termini cogniti, non vero effectus: respectu vero intellectus humani habet rationem & objecti, & effectus, quia ab eo & cognoscitur, & fingitur: hoc est, cum nihil sit, cognoscitur quasi esset ens, & per modum entis realis, quo modo non fingitur à Deo: & ideo in rigore loquendo, respectu intellectus divini non habet tunc esse actuale, sed possibile in ordine ad intellectum creatum.

Vnde generaliter concludendum est, quod efformatio entis rationis, seu ens rationis in fieri, essentialiter includit fictionem; hoc est exigit, vt concipiatur instar entis realis, & alio modo quam sit; quamvis hoc non includat in suo conceptu objectivo, seu in facto esse, hoc est, dum concipiatur, vt habens existentiam in aliquo intellectu: quemadmodum res, quæ fit per creationem, necessariò postulat vt producatur independenter à subiecto; & tamen non est opus vt in suo conceptu objectivo, vel in facto esse, includat talem independentiam; imò potius contrariam dependentiam involuit, si creetur per miraculum, vt si forma ignis producatur extra subiectum.

## SECUNDA PARS SECTIONIS.

*Deum non facere ens rationis.*

37. **P**RIMA ratio, quā ostenditur Deum non facere ens rationis; sic habet. ad hoc ut Deus faciat ens rationis, debet distinguere ea, quae non sunt distincta, referre ea, quae non sunt relata, & concipere negationes & priuationes instar entium: ad hanc enim omnia entia rationis reducuntur, ut dictum est supra: sed hoc repugnat perfectioni diuinæ cognitionis, ut ostendimus in calce sectionis praecedentis; Ergo illi repugnat facere ens rationis.

Respondeo negando majorem. Ad hoc enim ut Deus dicatur facere ens rationis, sufficit ut hujusmodi distinctiones, relationes &c. à nobis factæ, aut factibiles, habeant esse objectuum in ejus intellectu: quia, cum ens rationis nullum aliud esse possit habere, quam objectum, necesse est, ut qui dat illi tale esse, illud faciat: facere quippe ens rationis, & dare esse objectum enti rationis, idem sunt, ut per se manifestum est. Quod autem homo det illi tale esse primariò, aut fingendo, Deus autem secundariò, & non fingendo, hoc est per accidens respectu entis rationis; & pendet potius à conditionibus intellectus diuini, & humani: quam ab essentialibus prædicatis entis rationis.

Imo quamvis abstinentendum sit à verbo fingendi, respectu Dei, quia male sonat: tam videtur fingere Deus ens rationis ex parte rei factæ, per se loquendo, quam homo: quia fingere est cognoscere aliquid, ut existens, quod in se non potest existere, ut cognoscitur: sed tam repugnat ens rationis existere, sicut cognoscitur à Deo, quam sicut cognoscitur ab homine; ergo quantum est ex parte entis rationis, tam fugit illud Deus, dum cognoscit illud fictum vel fingibile ab homine, quam ipse homo: quia cognoscere est fingere, & fingere est cognoscere.

Dico ex parte rei, quia ex parte cognoscentis, est discrimin: eo quod homo primo illud fugit, Deus autem secundariò, & mediato, in ordine ad intellectum creatum: item homo cognoscit illud quasi esset ens, & per modum entis realis, Deus verò ut in se est, seu ut repræsentatur in intellectu humano, & ut est ens fictum ab eo.

38 Secundaria ratio. Ens rationis non potest fieri, nisi per actum formaliter falsum; ergo non potest fieri à Deo. Consequentia est evidens: probatur antecedens, quia actus, quo fit ens rationis, necessariò est disformis objecto, nec per eum concipitur res, ut in se est: si enim conciperetur ut in se est, nihil fingeretur, & ita res in se haberet verum esse extra intellectū, cui conformis esset actus verus: atque adeò per istum actum verum, etiam si per eum apprehenderetur ens rationis, non fieret tamen ens rati-



onis: sed supponeretur factum per alium actum fingentem, & apprehendentem objectum alterum, ac in se est: immo per hujusmodi verum actum destrueretur ens rationis apprehensum.

Cum enim dico, *chimera est ens factum* elicio verum actum, quo destruo esse chimerae. Nam esse chimerae apprehenditur ut ens reale ab actu, quo sit chimera; per istum vero actum apprehenditur ut ens factum: & ita prius illud, & proprium esse chimerae destruitur per actum secundum verum: atque adeo non potest dici fieri per illum.

Cum igitur Deus apprehendit ens rationis, à nobis factum, apprehendit illud per actum verum, & conformem objecto, prout nimirum est in nostro intellectu, & clare cognoscit nos falli in tali apprehensione, ideoque negat, & destruit ens rationis, quod nos in mente veluti affirmamus: propter quod dici non potest illud facere.

Respondeo negando antecedens. Licet enim verum sit respectu nostri, saltem ut plurimum; non est tamen verum respectu entis rationis, secundum se spectati; quia cum habeat tantum esse objectum in intellectu, illud accipit ab eo, cui objicitur: quod autem illud accipiat per actum fingentem, & falsum, vel per actum verum & conformem objecto, hoc est illi per accidentem, ut dictum est in solutione primi.

Et quamvis Deus videat ens rationis, quod est in intellectu humano, esse ens factum, & consequenter videat intellectum nostrum incomplexe falli, atque adeo neget rem ita esse, sicut apprehenditur: tamen semper apprehendit illud, prout in nostro intellectu representatur, & cum illud sit ens rationis, erit quoque nouum ens rationis, quatenus objicietur intellectui diuino.

39. Tertia ratio. vel Deus cognoscit ens rationis scientiam speculativam, vel practicam? si speculativam; haec suum supponit objectum & non facit: si practicam: ergo ens rationis est ens reale, quia ut docent communiter Theologi, cognitione seu scientia Dei practica, est effectiva alicuius rei extra Deum. Vnde evidenter concluditur Deum non facere ens rationis.

Respondeo, solutionem satisclare deduci ex predictis. Cognitio enim, quia Deus cognoscit ens rationis, est practica, & factiva illius. Theologi autem locinunt de cognitione Dei, quatenus respicit proprium, & primarium objectum, quod est ens reale, à Deo factibile.

Et hæ sunt praecipuae rationes utriusque sententiae, quæ faciunt utramque partem probabilem: secundi tamen videtur mihi probabilior, quod scilicet Deus non faciat ens rationis.

Quid porro dicendum sit de intellectu angelico respectu entis rationis, facile concludi potest ex his, quæ dicta sunt de diuino & humano: quatenus enim cognoscit res in se ipsis, & prout in se sunt, non facit entia rationis: quia tamen cognitione naturali potest cognoscere Deum imperfecte, & per ordinem ad creaturas, distinguendo & inadæquatis concep-



tibus apprehendendo diuersas in eo perfectiones, secundum quas à diuersis creaturis participabilis est: consequenter tunc facit quasdam distinctiones, & relationes rationis.

Preterea cognoscit ipse quodammodo nostra entia rationis & ita dat illis esse objectuum, atque adeo debet dici facere ens rationis hoc modo, secundum primam sententiam. Et hæc sufficient de ente rationis, & de quaestionibus proemialibus: nunc ad primā logicā partem, quæ est de prædicabilibus Porphyrii.



## LIBER SECUNDVS.

De Vniuersalibus, seu Prædicabilibus in communi.

### PROOEMIVM.

**P**O R P H Y R I V S, cuius nomen Malchus Platonicus philosophus, ex Christiano factus infidelis, atque etiam magicæ artis studiosus, ebat iram in quosdam Christianos, à quibus cæsus fuerat, ut se ferneret in historia tripartita libro 7. rogatus à Chrysostomo, iuiene siculo, aut Phryge, aut Romano patricio, ut varij sentiunt, ejus discipulo, ut sibi ob difficultates, quas patiebatur in Aristoteli Categorij, aliquid subscripsi ferret, tractatum de Vniuersalibus, seu de quinque prædicabilibus compostrit, quem nos hoc, & sequenti libro explicandum suscepimus.

Vocatur autem hoc opus εἰσαγωγὴ, hoc est introductio, aut ad prædicamenta Aristotelis, aut absolute per antonomasiam, ut vult Anthonius, simplicius, Boetius, & alii: ita ut sicut logica, prima scientiam inest, ita introductio ad logicam, absolute dicatur introductio, quasi enarratio prima. Et verò Porphyrius ipse expresse indicat librum hunc, non tantum ad prædicamenta Aristotelis, sed etiam ad definitiones, divisiones, & demonstrationes conficiendas, utilem: & ita esse veluti communem proemium ad uniuersam Philosophiam.

Nec ideo tamen negandum est tractationem istam, partem esse dialecticæ quod introductio ad dialecticam dicatur, quia nihil vetat inter plures alicujus disciplinæ partes, unam ad alias esse introductoriam, viamque parare. Dicitur vero introductio, institutio illa, quæ quis à primis velut clementis in doctrina aliqua eruditur, & informatur παρ' τοῦ εἰσιτεῖν, quod est introducere, erudire, informare.

2. Institutum ejus auctoris est declarare quid sit genus, quid species, quid differentia, quid proprium, quid accidens: quæ communiter vniuersalia, seu prædicabilia vocantur: unde potest colligi objectum proprium hujus tractatus esse vniuersale in communi, quatenus eius cognitio ad modos differendi construendos, maximè ad sillogismū mediatè conductit; non vero ipsa quinque vniuersalia, neque supra dictas quinque voces, genus, species &c. neque ipsum prædicabile, ut sic.

Non quidē istas quinque voces, ut Ammonius præfatione in porphy. Auerroes in prologo magno posteriorum, & alij sentire videntur, ex eo quod in quibusdam codicibus titulus sit οὗτοι τέτταρες. Logica enim non considerat voces primò, & per se, ut diximus supra, quæstione de objecto Logicæ, nec item ipsa quinque vniuersalia, quia subjectum cuiusque scientiæ debet esse unum, & quæcumque in ea tractantur, rationem aliquā unam sortiri debent, ut ibidem explicatum est: jdeoque prædicta quinque vniuersalia, huius operis materia censi non possunt, nisi quatenus in ratione communi vniuersalis conueniunt, quod idem est ac dicere vniuersale in communi esse objectum.

Nec denique prædicabile ipsum in communi: quæ est sententia quorundam recentiorum, sed potius vniuersale, ut rectè docet Diuus Thomas quæst. 9. Sotus quæst. 4. Scotus quæst. 7. & 8. vniuersalium, & alij multi, quia in quauis scientia illud est subjectum, de quo proprietates demonstratur, partes atq; species explicatur: ic autē explicatur genus, species, differētia, &c. quæ sunt partes subjectiæ vniuersalis; & demonstratur quod sit prædicabile de multis, essentialiter, vel accidētāliter, *in quid, vel in quale,* &c. quæ sunt proprietates vniuersalis, non autē prædicabilis: imò ipsum prædicabile, ut sic, est proprietas vniuersalis, neque obstat quod porphyrius definitionem vniuersalis in hoc opere non assignet, sicut assignari solet definitio objecti in aliis Scientiis, quia supponit eam ab Aristotele fuisse sufficierter traditam.

3. Non est tamen hic prætereundum in vniuersali duo spectari posse. primum est natura ipsa realis, quæ vniuersalis denominatur: secundum est ratio vniuersalitatis, à qua natura vniuersalis nuncupatur, ut fusiùs infra explicabimus. Verbi gratia in animali reperitur natura sensitiva realis, & vniuersalitas, ratione cuius intelligitur apta esse in pluribus animalibus. Primum dicitur materiale, seu substratum vniuersalis: secundum dicitur formale, siue autem detur vniuersale à parte rei siue non, de quo infra, certum est Logicam, siue hanc Logicæ partem, non habere pro objecto vniuer-

sale quoad materiale, in se simpliciter spectatum, secundum sua essentialia, & intrinseca prædicata, vt non habet pro objecto animal, quatenus est substantia, corpus, viuens, sensitiuum, quia hoc proprium est aliarum scientiarum; sed quatenus afficitur vniuersalitate, & ita aptum esse concipiatur ad subeundam rationem subiecti, prædicti, mediij, in propositionibus, ex quibus varij differendi modi efformantur, præsertim syllogismus.

Quod potest declarari à simili in arte dominicatoria, quæ considerat lapides, non vt sunt substantia inanimata, nec ligna, vt sunt vegetabilia, nec clavos ferreos, vt minerales, &c. Quia sub ea consideratione ad physiscum pertinent: sed vt sunt partes aptæ ad construendam domum: ita enim logica non considerat naturas vniuersalitati substratas, nisi quatenus possunt esse partes aptæ ad coquendulas propositiones, & his medianis ibus ad componendum syllogismum, ad quem ultimò referuntur: vnde r̄ct̄ dixit Auicenna logicam esse de secundis intentionibus, adiunctis primis, quia nimis considerat principaliter secundas intentiones; res vero tantum materialiter, & denominative, seu vt loquitur Scotus in fine quæstionis octauæ citatæ, tanquam terminantes respectum secundariorum intentionum: unde objectum hoc non est ens per accidens: nam eadem ratione definitur, & intelligitur accidens in ordine, & dependentia ad substantiam, nec tamen vt ens per accidens. & hæc de procēmio isto sunt satis.

## QVÆSTIO I.

### De essentia, existentia, & diuisione vniuersalis.

**I.** **A**CCURATAM vniuersalium tractationem ad Metaphysicam pertinere nullus ambigit: eius enim est de rerum distinctionibus, & vnitatibus, de ordine graduum superiorum, & inferiorum, ex professo disputare: imò in quantum vniuersale est quodammodo proprium objectum intellectus, ad considerationem Physicam spectat, quia animastici est agere de intellectu, & objecto eius, atque actibus: quod maxime verum erit si vniuersale fiat per intellectum.

Nihilominus quia materia ista est si immoperè utilis, imò necessaria ad omnia, quæ in Logica tractantur, cum ex ea pendent definitiones, diuisiones, & argumentationes, sine quibus Logica non constat: operæ pretium est, non tantum eas attingere quæstiones, quas sibi vt proprias dialekticas vendicat, sed & eas quas vt altioris considerationis porphyrius omisit, ne chrysostomus adhuc Tyronis atimum, rerū difficultate confundere; cuiusmodi sunt, an vniuersalia sint in rebus, vel in solo intellectu; an sint separata, vel in sensibiliibus solum existentia; an sint corporea, vel incorporea, & aliæ similes, quæ ita inter se connexæ sunt, atque à se inuicem

dependentes, ut yna sine alijs non possit apprimè intelligi. Propter hæc itaque mihi ignoscet curiosus lector, si materiam hanc à se ipsa quasi diuisam, ad varios Philosophiæ tractatus remittere, & suam cuique proprium partem referuare nolui.

## SECTIO PRIMA.

*De Nominis generali Vniuersalis diuisione.*

2. **V**NIERSALE, vt notio ipsa nominis indicat, illud est, quod multa respicit, seu ordinem habet ad multa; ideoq; secundū multiplicem ordinem, multipliciter diuiditur. Aliud enim est vniuersale in significando, quod plura significat; & hoc duplex est, complexum nempe, & incomplexum: complexum est aliqua propositio vniuersalis, in qua prædicatum omnibus sub illius subiecto comprehensis inesse significatur, vt *omnis homo est animal*. incomplexum verò, seu simplex, est vox aliqua simplex, multa significans, aut unum multis conueniens, vt *homo*, significans omnes homines, aut naturam humanam in communi, & sub ea omnes singulares homines.

Rursum aliud est vniuersale in causando, & est aliqua causa, quæ diuersos producit effectus, vt est sol, Deus: aliud in repræsentando, quod plura repræsentat, vt est idea existens in mente artificis, multa repræsentans artefacta, & generaliter omnes actus intellectus, quibus naturæ communes apprehenduntur: sunt enim exemplar, & similitudo plurium, aut vnius in ordine ad multa, & hæc ratione dicuntur esse in mente diuina ideæ, seu exemplaria rerum omnium factibilium.

Aliud denique est vniuersale in effendo: aliud in prædicando. Vniuersale in effendo, est natura aliqua existens in multis singularibus, quibus omnibus communis est, vt est verbi gratia, natura animalis, existens in omnibus animalibus. Vniuersale verò in prædicando, est similiter aliqua natura, quæ de multis enuntiari, seu prædicari potest, & hoc non videtur differre ab vniuersali in effendo, vt explicamus infra, nisi tanquam proprietas ab essentia. Ex eo enim quodd aliqua natura multis singularibus inest, potest de ipsis prædicari: unde quia prius est naturam aliquam posse esse in multis, quam posse de illis prædicari: ideo illud essentiam denotat, istud proprietatem, quæ est aliquid posterius essentiâ.

3. Coeterum: qui dissidium inter Platonem & Aristotelem circa vniuersale, curiosius explicant, tripartitò diuidunt vniuersale in communi, scilicet in vniuersale ante multa, in vniuersale in multis, & in vniuersale post multa.

Vniuersalia ante multa sunt, quæ singularium rerum existentiam præcedunt,

dunt, tanquam exemplaria quædam, seu formæ Archetypæ rerum efficiendarum, siue in sola Dei mente existant, siue extra Deum: si autem extra Deum subsisteret hujusmodi vniuersale à singularibus separatum, rectè vocaretur vniuersale metaphysicū, quia sic abstraheret ab omni mutatione, & contractione: metaphysicæ autem proprium est de rebus sic abstractis agere.

Vniuersalia in multis, sunt communes quædam naturæ in singularibus rebus existentes, ut est natura humana in singulis hominibus, sicut iam dicebamus de vniuersali in effendo: & hoc vniuersale non incongruè vocatur physicum, quia cùm sit in rebus singularibus contractum, subjectum est mutationi, & accidentibus sensibilibus, à quibus initium habet Physicę contemplatio: quamuis & hoc reperiri possit in rebus à materia sensibili sejunctis, vt in Anglis, & ita metaphysicæ considerationi subjaceret.

Vniuersalia denique post multa, sunt quædam communes ideae, imagines, seu notiones, quas ex singularium rerum inspectione in nostro effingimus intellectu. quando enim cernimus, singulos, verbi gratia, homines eandem, seu similem habere naturam, formamus in mente nostra quædam similitudinem, seu notionem omnium hominum; ex ea, in qua conueniunt, natura, quæ est veluti quædam imago communis naturæ omnium hominum; quod est esse vniuersale in repræsentando; & hujusmodi vniuersale multi Logicum nuncupant, quia Logica munus est tractare de definitionibus, diuisionibus, & argumentationibus, quæ traduntur de rebus vniuersaliter conceptis, quatenus intellectus diuersimodè cas inter se comparat, ordinat, distinguit: vt sic enim subsunt denominationibus extrinsecis, & secundis intentionibus, quas logica præcipue considerat, vt dictum est supra.

4. Ad hanc vniuersalis tripartitam diuisionem explicandam, inuenies apud Ammonium in suo super Porphyrium commentario, aptam comparationem, sumptam à Sigillo, cui insculpta sit effigies leonis, verbi gratia, eoq; obsignentur multæ cereæ tabellæ, eius impressam effigiem recipientes. Tunc si quis omnes hujusmodi tabellas inspiciat, statim ex communi omnium similitudine, communem omnium ideam, seu notionem formabit.

Simili modo Deus, antequam hæc vniuersa conderet, omnium rationes, & exemplaria in mente habebat, ad quæ respiciens, res ipsas effinxit ad hujusmodi exemplarium similitudinem: vnde tales formæ exemplares, in diuina mente existentes, sunt veluti iuncta sigillo effigies, atque vniuersalia ante multa: formæ verò rebus ipsis datae, dum producuntur, similes sunt imaginibus impressis in tabellis cereis, & sunt vniuersalia in multis. cù autem res ipsis singulas ejusdem naturæ participes cernimus, earum similitudinem, & communes omnium ideas mente concipimus, non secùs ac ille, qui cereas tabulas inspexit: & hæc sunt vniuersalia post multa.

De duobus primis vniuersalibus tota est concuersia inter Platonem, & Aristotelem. Admisit enim Plato vniuersalia ante multa, ab ipsis rebus

singulis sejuncta, quæ ideas vocavit: Aristoteles autem non nisi in rebus singulis reperiit voluit. Verum vbi tales ideas posuerit Plato valde incertum est. Alterunt multi ipsum nihil aliud eas esse voluisse, quam æterna rerum omnium condendarum exemplaria, in mente diuina existentia. ita diuus Augustinus 22. de Ciuit. Cap. 26. Eustratius 1. Ethic. Cap. 6. Alcinoüs, Marsilius Ficinus, & alij, tūm veteres, tūm recentiores, quorum aliqui Aristotelem arguunt calumniæ, quasi perperam mentem Platonis interpreteretur, vt facilius impugnet; aliqui vero afferunt Aristotelem non intellexisse sententiam Platonis.

5. Nihilominus à calumniæ suspitione eum vendicant verba posita lib. 1. Ethic. cap. 4. initio, dum ait arduam, & lubricam quæstionem esse quam agreditur, eo quod amici sunt qui ideas introduxerunt: sed præstat inquit, *Veritatis tuenda causa, non solum amicorum, sed nostra ipsorum etiam decreta refutare. cum enim utraque cardant, amici nimis, & veritas, pium tamen est & sanctum, veritatem amicis anteponere.*

Dicere autem quod Aristoteles Platonem non intellexerit, ridiculum videtur: quasi vero ignorare potuerit præceptoris sui sententiam tam acris & perspicaci ingenio discipulus; aut ijs in locis, & temporibus scripserit, vel disputauerit contra ideas, quibus vulgo ignota esse potuerit ipsius Platonis opinio.

Adde quod motuum Platonis ad admittendas hujusmodi ideas unum fuit, sicut infra declarabimus, vt rerum definitiones, scientiasque astrueret & naturam eorum in communī traderet. Quis autem non videt ideas & exemplaria rerum in mente Dei existentia, nihil conferre ad nostrum modū intelligendi, definiendi, aut sciendi res in vnuersali. neque enim attendimus ad illas ideas, dum vnuersalia volumus aut definire aut concipere.

Dicendum itaque est Platonem per hujusmodi ideas intellexisse exemplaria, hoc est formas à singulis rebus avulsas, seorsimque à Deo per se subsistentes, quæ causæ essent & essentiæ eorum, quæ sensibus nostris subjiciuntur. Verbi gratia, præter singulos homines esse alium quandam hominem, æternum, & incorruptibilem, extra Deum, qui singulorum hominum essentia, & natura sit: homines vero singulos, quasi totidem ejus imagines, & simulacra esse: ita vt homines singuli non magis sint homo ille æternus, quām imagines à sigillo tabulis cereis impressæ, sunt ipsa effigies sigillo insculpta: & sicut effigies sigilli est ante imagines impressas tabulis cereis; ita singularium rerum essentiæ, & rationes illæ archetypæ, seu ideæ, sint ante ipsa singulæ.

6. Licet a tem Diuus Augustinus septimo de ciuitate Dei cap. 28. dicat Aristotelem non impugnare sententiam idealium, vt eam Plato tenuit; sed vt Zenocrates male intellexit: tamen in sensu iam explicato eam intellexit Aristoteles, tūm alibi, tūm tertio metaphysicæ cap. 2. & libro 1. cap. 6. & 7. vbi maximè arguit Platonem, quod eorum, quæ sunt, essentiam, ab

ijs se junxerit: & crediderit in rebus ipsis non essentiam, sed essentiæ imaginem & adumbratam in materia imitationem esse: sicut facies non est in speculo, sed facie tantum imago in eo apparet. Et si Plato per ideas intellexisset ideas diuinæ, non eas ita infectatus fuisset Aristoteles, c. i. in ipse cap. 10. lib. 14. metaphysicæ Diuallij, qui haec tenus duodecimus habitus est, eas admiserit. Fatetur enim ibi ordinem, qui in hoc vniuerso spectatur, ab eo dependere, qui est in primo opifice Deo: sicut ordo exercitus dependet ab eo, qui est in mente Imperatoris. Has porrò ideas Platonis infra refutabimus.

## S E C T I O S E C V N D A

*De Essentia seu definitione Vniuersalis.*

7. **D**E Vniuersali in essendo, & prædicando solum, hic agimus: de cæteris enim vel nulla, vel parua difficultas est. Vniuersale quippe in causando, ab omnibus admittitur, & per se satis intelligitur. Vniuersale item in repræsentando, quod est vniuersale post multa, satis explicatum est sectione præcedenti, de quo etiam disputabimus infra, paulò ante quæstionem quiniram. Vniuersale autem in significando complexum, nullam patitur difficultatem: incomplexum verò admississe dicuntur nominales, idque solum: sed de hoc infra. Pro explicatione igitur naturæ, & essentiæ vniuersalis in essendo, & in prædicando.

Dico primò vniuersale sic benè definiri ab Aristotele 7. metaph. cap. 13. *Vniuersale est quod multis inesse natum est; seu quod multis naturâ aptum est inesse.* Item ex secundo post. cap. vltimo sic definitur: *Vniuersale est unum præter multa, quod in omnibus illis inest unum, & idem.* Eandem definitionem ponit primo posteriorum cap. 8. his verbis *ideas quidem esse, aut unum quid præter multa ( idest à rebus singulis separatum ) ut demonstratio sit, non est necesse: sed necesse est ut recte dicatur esse unum in multis: non enim erit vniuersale, nisi hoc sit: quod si vniuersale non sit, medium non erit, nec proinde demonstratio. Oportet igitur aliquid unum & idem in pluribus esse non homonymum.* Has omnes adduxi definitiones, ut natura vniuersalis in his declaretur.

8. Dicitur itaque vniuersale, *unum*, ut excludantur primò æquiuoca, seu Homonyma, quæ sub eodem nomine diuersa omnino significant, ut *canis* respectu pilicis, syderis ecclesiæ, & animalis terrestris: secundò analogia quæ non habent, ut sic, rationem perfectè vnam, sed partim candom, partim diuersam: hoc enim satis indicatur in prædictis definitionibus, dum dicitur quod *vniuersale inest multis unum, & idem.* Tertiò complexa, ut *animal rationale*, important enim diuerſia, nisi ita incomplexè intel-

ligantur, & accipiantur, vt idem quod incomplexa formaliter importent, vt animal rationale, idem quod homo, per modum vnius, & non per modum duorum.

Dicitur deinde quòd *natum sit, seu naturā aptum inesse multis*, quia vt aliqua natura dicatur vniuersalis, necesse non est quòd actu sit in multis, sed sufficit vt possit esse in multis: vnde natura solis, quamvis in uno tantum individuo existat, tamen rectè potest dici vniuersalis, quia nihil prohibet multos à Deo produci soles, quibus omnibus eadem solis huius natura communicetur: similiter natura phœnicis, quamvis nunquam sit nisi in uno, vt aiunt, potest tamen multis singularibus simul communicari, sicut in multis successiùe producitur, & ita est vniuersalis, quia secundum se apta est pluribus inesse,

9. Dico secundò, rectè etiam definiri vniuersale ab Aristotele cap. 5. lib. 1. de interpretatione, hoc modo, *vniuersale est quod de multis prædicari natum est*. Ratio est evidens. Eo enim ipso quod natura aliqua in multis singularibus inest, potest de illis prædicari. Vnde communiter dicitur, *modus prædicandi sequitur modum essendi*.

Quapropter prima vniuersalis definitio, quam præcedenti conclusione explicimus, est quidditatiua, seu essentialis: ista verò est descriptua seu accidentalis, tradita per vniuersalis proprietatem, vt initio prima sectionis insinuatum est: quia quod primò in re concipitur, est eius essentia, seu quidditas: quod verò est de secundario eius conceptu, rationem habet proprietatis: non potest autem esse, nec concipi vniuersale quin concipiatur aptum existendi in multis, & ideo hoc illi essentialie est; ex quo rectè sequitur ipsum posse prædicari de multis. Nam ex eo quod res est vel non est, enuntiatio est vera vel falsa ex cap. 8. de interpretatione: & ita prius est naturam posse esse in multis, quam de illis posse prædicari: atque adeò prædicabilitas ipsius vniuersalis, est propria passio illius, consequens modum essendi in multis.

Hoc autem verum est, siue vniuersale fiat per intellectum, siue sit à parte rei, quia semper intellectus debet concipere naturam vniuersalem, vt aptam existendi in multis, priusquam concipiatur eam vt aptam de illis prædicari: non enim potest prædicari de eo in quo non est: ergo ista proposicio causalis, est vera, *ideo prædicatur de aliquo, quia in illo est*, & consequenter, *ideo prædicabilis est de eo, quia apta est in illo existere*.

10. Ex his colligitur primò vniuersale esse quid concretum, ieu connatiuum, duo significans, seu duo importans; alterum materiale, alterum formale: materiale est aliqua natura, vna, seu similis in multis singularibus, qualis est natura humana, existens in petro, Paulo, Ioanne, &c. formale verò est ipsa vniuersalitas, per quam natura fit formaliter vniuersalis, & vna in multis, seu apta esse in multis: quæ quidem vniuersalitas, est secunda intentio, præsertim si vniuersale fiat ab intellectu: si verò sit à parte rei, est quidam realis conceptus objectiuus, existens in ipsam re, quæ vniuersalis

dicitur, per quem res ipsa ordinem habet ad multa, quibus inesse potest ex vitalis conceptus, qui ideo dicitur formale vniuersalis. Sed hoc utrumque infra suo loco explicabitur.

Possit autem hic inuestigari, quid in huiusmodi definitionibus definatur, an materiale, seu natura substrata; an formale, seu vniuersalitas; an aggregatum ex utroque: sed cōmodius quæstionem hanc examinabimus in tractatu de vniuersalibus in particulari, ubi de generis definitione sermo erit.

Colligitur secundò, tria requiri ad hoc ut aliqua natura sit vniuersalis, primum ut sit una, de qua unitate infra agemus. Secundum ut possit inesse multis, hoc est ut sit communicabilis multis, alioquin nihil differret à singulari, & indiuiduo, quod communicari non potest, ut Petrus: nam Petrus non potest esse nisi Petrus, nec diuidi in alia, quæ habeant eamdem rationem cum illo: at verò natura humana verbi gratia, est multis communicabilis, immo de facto communicata Petro, Paulo, &c.

Tertium est ut talis natura communicetur multis per divisionem sui; adeò ut ipsa multiplicetur numero ad multiplicationem indiuidorum, seu singularium, quibus communicatur: quomodo natura humana, dum Petrus producitur, ipsis communicatur, sed diversa numero ab ea, quæ communicatur Paulo: siue illa diversitas numerica sit ipsis intrinseca, ab eaque solum per intellectum distincta, siue ex natura rei, de quo infra. & defectu huius conditionis natura diuina non est vniuersalis, quia licet tribus Diuinis personis communicata sit, est tamen singularissima, atque in Patre & Filio, & Spiritu-Sancto una est indiuisa: unde Tres Personæ non sunt tria indiuidua, differentia numero, sed unum indiuiduum.

## SECTIO III.

*De existentia vniuersalis.*

**N**O dispergo in hac sectione, an vniuersale existat complete à parte rei, vel solum per intellectum, quia fuisus hac de re agendum est infra: Sed tantum quæro an admittendæ sint aliqua naturæ, quæ possint verè denominari vniuersales; vnde cuncte tandem suam habent existentiam.

Circa presentem quæstionem, duplex est error, primus Heracliti, & Cratili, quos recenset Aristoteles I. Metaph. cap. 6. lib. 4. cap. 5. & aliibi, existimantium nullum dari vniuersale, nec proinde scientiam ullam.

Secundus error est quorundam antiquorum, quos Albertus Magnus tractatu primo Logicæ cap. 1. & Diuus Thomas primâ parte quæstione 14. art. 15. ad 3. nominales vocat, eo quod non res, & naturas ipsas, sed sola nomina vniuersalia esse crediderunt. De his loquitur Diuus Anselmus in libro de Incarnatione Verbi cap. 2. *cantissime*, inquit, *ad sacra pagina questiones*.

arcedant sunt monachi illi utique nostri temporis dialectici, qui quidem non nisi flatum vocis, putant esse vniuersales substantias. Et infra. Quod enim nondum intelligit quo modo plures homines in specie sint unus homo, qualiter in illa secretissima. & altissima natura comprehendet quo modo plures persona, quarum singula quæque est perfectus Deus, si unus Deus.

12 Hanc opinionem diu sospitam, & à scholis exultantem excitatiss dicunt Ocham, Scoti Discipulus, primâ parte sue Logicæ cap. 14. & 15. Et primo sententiarum, distinct. 2. quæst. 4. & alibi. Pro eadem citatur Gregorius Ariminensis, Gabriel, & alijs, qui idem nominalium nomen obtinuerunt. An autem posteriores isti nominales ita senserint, inter Philosophos ambiguum est. Aliqui ex recentioribus hoc absolute affirmant: quidam alijs, qui eorum libros accuratius legerunt, aiunt ipsos non sola nomina credisse vniuersalia; sed insuper conceptus formales intellectus, hoc est vniuersalia in significando, & in repræsentando admisisse, non autem in essendo.

Alij denique aiunt ipsos in solo modo loquendi differre à realibus: & re verâ hoc, ad summum, colligi potest ex eorum scriptis. Ocham enim in primo, distinct. 2. quæst. 8. postquam attulit opinionem afferentem solas voces esse vniuersales, ait. sed hæc non videtur vera, quia tunc nihil ex natura sua esset species, vel genus. Vbi non tantum vniuersales conceptus, sed insuper naturas vniuersales innuit: vniuersales, inquam, fundamentaliter, ut dicunt omnes negantes vniuersale à parte rei; quæ deinde fiant vniuersales formaliter per intellectum, ut idem ait loco citato sent. quæst. 7. his verbis. Dico quod omnis res posita extra animam eo ipso est singularis: & hæc res, sic singularis, est apta nata mouere intellectum ad concipiendum eam confusè, &c. quâ ratione volunt ferè omnes, vniuersale fieri per intellectum.

Hoc idem tenet Gabriel in 1. d. 2. q. 8. approbans opinionem Ochami: Gregorius item distinct. 3. quæst. 1. art. 2. §. pro quarto dubio, vbi sic loquitur. Nam ex quibusdam sensatis possumus formare conceptum communem illis & alijs similibus secundum speciem, aut genus. Lege illum ibi, & Ocham quæst. 4. & sequentibus. Sed quidquid sit de ipsis posterioribus nominalibus, priorum sententia falsa est, & refutanda: quare.

13. Dicendum est primum admittendum esse vniuersale. Probatur primum ex Aristotele, capite de substantia, vbi diuidit substantiam in primam & secundam. Per secundam autem intelligit substantias vniuersales, ex communi consensu. Et lib. 1. de interpretatione cap. 5. diuidit res in vniuersales, & singulares. idem sentit primo post. cap. 2. lib. 7. Metaphysicæ, cap. 13. & 14. aliisque innumeris locis.

Probatur secundò, quia frustra diceretur omnes homines specie conuenire, & omnia animalia genere, &c. nisi species & genus in ijs essent: species autem, & genus sunt vniuersalia, quia naturam vnam multis communem important.

Tertio. dantur veræ scientiæ, & veræ demonstrationes, vt patet ex naturali sciendi desiderio, omnibus hominibus à naturâ indito, ex initio metaphysicæ: quod alioquin vanum esset: sed non possunt esse demonstrationes, neque scientia nisi ponantur res vniuersales, ex primo posteriorum cap. 2. & sequentibus: quia omnis demonstratio, vt certa sit, debet esse de objecto certo, & immutabili: singularia autem mutationi, & corruptioni subiecta sunt: vniuersalia verò æterna, & immutabilia, vt dicetur infra. Igitur ad hoc vt sint scientiæ, certæque cognitiones, admitti debent naturæ vniuersales.

Quartò, quod multis inest, est vniuersale, ex definitione superiorius tradita, sed dantur multæ naturæ, quæ multis insunt. Ergo dantur vniuersalia, minor patet: natura enim animalis, verbi gratia, est in multis animalibus, cùm eadem definitione explicetur in omnibus, eosdemque habeat effectus, & proprietates.

Quintò, nisi darentur vniuersalia, vanæ essent omnes illæ propositiones, in quibus genus de speciebus, ut species de individuis enunciatur; vt, *Homo est animal, Petrus est Homo, &c.* quod patet esse falsum. Dum igitur dicimus, *Petrus est homo*, aliquid Petro tribuimus, & hoc, vel est vniuersale, vel singulare: non singulare: quia vel esset ipse Petrus, vel alius à Petro: non alius, quia nullus alius de Petro dici potest, nisi falso: nec ipse Petrus, vt patet: neque enim hæc prædicatio est eiusdem de seipso, sed superioris de inseriori: ergo quod p. ædicator, est vniuersale, & sic dantur vera vniuersalia.

14. Dico 2. solas voces non esse vniuersales, sed res ipsas vocibus significatas. Verbi gratia, non solum hanc vocem *homo*, quâ omnes homines significantur, esse vniuersalem, vt volunt nominales, sed ipsam naturam humanam, tali nomine significataam.

Probatur primò ex Aristotele supra citato, distinguente res in singulares, & vniuersales: & in anteprädicamentis definit vniuocæ, quæ non solum nomen habent commune, sed insuper rationem & naturam, nomine significataam. Item i. post. c. 2. & 2. de anima c. 5. & i. Metaphysicæ c. 2, ait vniuersalia esse remotissima à sensibus, & cognosci ab intellectu; singularia autem sensu. Ergo per vniuersalia non intelligit solas voces: nam voces, etiam communes, sensu percipiuntur. Et c. de substantia ait secundas substantias, id est vniuersales, dici de subjecto, & non esse in subjecto, scilicet inhalitionis: sed termini sunt in subjecto inhalitionis, siue sint mentales, siue vocales: ergo &c.

Probatur secundò, quæ definiuntur, vniuersalia sunt ex Aristotele 7, Metaphysicæ, c. 15. & i. post. c. 2. & alibi: sed multa definiuntur præter nomina, vt notum est, ergo multa sunt vniuersalia præter nomina: alioquin, dum dicitur homo animal rationale, nomen hominis esset animal rationale: quod est ridiculum.

Probatur tertio. Ita propositio *Petrus est homo*, vera est: ergo in illa

prædicatur aliqua ratio , seu natura communis , distincta à nomine , atque etiam à conceptu formalí intellectus . Si enim prædicaretur vox , aut conceptus : sensus esset , hic terminus *homo* , est hic terminus *petrus* , & in ista *homo est animal* , sensus esset , conceptus animalis , est conceptus homini s . quæ omnia falsa sunt .

15. Respondebis , vocem communem *homo* , non significare naturam aliquam communem singulis hominibus , sed immediatè , & confusè ipsos singulares homines . Sed hoc est vanum effugium . tunc enim sensus istius propositionis *Petrus est homo* , esset iste , Petrus est omnia individua , & singulares hominis . & præterea , dum definitur *homo animal rationale* . Ista definitio debet conuenire alicui per se primò : sed non conuenit per se primò ip̄i Petro , alioquin non posset adaptari Paulo , nisi secundariò , aut dependenter à Petro : ergo debet conuenire homini in communi : & sic *homo* , & *animal* significant naturam communem , non verò singulare .


Probatur quartò . Dum quis dicit : *magnes ferrum attrahit* : *leo est animal ferociissimum* , non intelligit hoc nomen *leo* , *magnes* , sed substantiam aliquam tali nomine significatam : non hanc in particulari , sed quæ naturam illam communem participet .

Denique . Scientia est de vniuersalibus 1. post . c. 2. & 2. de anima , c. 5. sed non est de vocibus . Quis enim dicat astrologiam esse de terminis , non de astris ? Theologiam de nomine *Dei* , non de natura ipsius ? Scientiam de plantis , non esse de earum proprietatibus ; sed de nominibus ? ergo scientia debet esse de rebus : non singularibus , ergo vniuersalibus : sola igitur nomina non sunt vniuersalia .

Dices . Aristoteles c. de substantia , ait secundas substantias , hoc est vniuersales , significare *quale quid* ; sed significare pertinet ad nomina : ergo nomina sunt secundæ substantiæ , seu vniuersalia , non verò res nominibus significatae .

Respondeo , Aristotelem usurpare *substantias* pro nominibus substantiarum : ita ut sensus sit , nomina secundarum substantiarum significant *quale quid* . Nam de primis substantijs ait etiam eas significare *hoc ali-quid* , cum tamen primæ substantiæ non sint nomina , sed individua , & res significatae .

Multa alia proponuntur argumenta ad confirmandam nominalium sententiam , sed omnia illuc tendunt , ut probent non dari vniuersale à parte rei completè , & formaliter , quod communiter conceditur : an autem ita sit , in sequentibus fuse disputabitur , si prius ea , quæ ad hujuscemq; questionis intelligentiam necessaria sunt , præmiserimus .



## QVÆSTIO II.

## De Distinctionibus.

**E**X præcedenti quæstione liquet duo in vniuersal definitione, & essentia comprehendendi, vnum scilicet, & multa: adeo vt non tantum vnum in se esse debeat: sed vnum in ordine ad multa. Quapropter, antequam vterius pergamus, videntur quid sit vnitas, & quid distinctionis. Quamvis autem vnitas communiter, pri or sit distinctione, & diuisione, quia prius est rem esse vnam in se, quam ab alijs diuisam; tamen prius de distinctionibus agam, quia melius ex hoc natura vnitatum declarabitur.

## SECTIO PRIMA.

*Quotuplex sit Distinctio, & de Distinctione reali.*

**D**ISTINCTIO in communi explicari solet per negationem idem-tatis: quæ enim eandem entitatem non habent, cù ratione, quæ non habent, dicuntur inter se distingui, siue alioquin sint inter se vnitæ, siue diuisæ, & separata: vnde distinctionis non opponitur vniōni, & conjunctioni, sicut separatio, & diuisiō.

Duplex tantum ex communi sententia assignatur distinctionis genus, scilicet realis, & rationis. Distinctio realis est, quæ reperitur in rebus ante operationem intellectus. Distinctio rationis est, quæ non est à parte rei, sed fit, seu dependet ab intellectu.

At secundum mentem Scoti datur triplex distinctionis genus in communi, nempè realis, rationis, & media inter utramque, quæ formalis, & ex natura rei appellatur: & quia non dependet ab intellectu, potest quidem comprehendendi sub genere realis distinctionis: quia tamen multò minor est, quam quæ realis vulgo dicitur, ideo ad vitandam ambiguitatem, & ad loquendum propriæ in hac materia, melius vocatur formalis, & ex natura rei, quam realis, vt patebit ex illius explicatione.

2. Distinctio realis ex doctrina Scoti sic explicatur. *Distinctio realis est quæ distinguntur ea, quorum vnum potest existere sine altero: aut que*

existunt separata & se inuicem , licet neutrūm posse existerē alio non existente : vel quæ sunt separabilia : vel quæ se habent ad modum separabilium : vel denique quorum unum est vere, & propriè producens & alterum producens . Prima pars est in Scoto in 2. sent. dist. 1. q. 4. n. 5. 6. & 7. tres sequentes sunt in eodem , d. 2. q. 2. n. 3. ultima denique in I. d. 2. q. 7. n. 34. & alibi .

Prima pars probatur primo ex Aristotele 7. top. c. 1. in fine , vbi ait , si potest alterum sine altero esse , non erunt idem . Conuincitur etiam ratione , quia impossibile est unum , & idem realiter simul esse , & non esse seu existere & non existere , ex axiome metaphysico 6. 3. & 4. 1. 4. ergo si unum existat , altero non existente , necesse est illa realiter distinguiri inter se , & unum non esse aliud .

Secunda etiam , & tertia pars ex se manifestæ sunt . Quicquid enim est , unum est : quod autem unum est , incommensurabile est , & inseparabile à scipio : & ideo si aliqua sine separata , vel separabilia ab inuicem , non unum ens , sed duo distincta censerit debent . Vnde relatio , & terminus eius , quamvis unum sine altero non possit existere , distinguuntur realiter eo vel solum titulo , quia existunt separata ab inuicem . Item quæ sunt simul unita , eo ipso quo possunt ab inuicem separari , ut corpus , & anima humana , inter se realiter distinguuntur .

Hæc porro separatio , vel separabilitas non debet attendi solum penes potentiam naturalem ; sed etiam penes potentiam Dei absolutam . ita ut quæ diuinitus separari possunt , siue post separationem subsistere valeant , siue non , censerit debeant realiter distinguiri ; quo modo certum est accidentis distinguiri realiter à substantia , quia de facto conseruatur in venerabili Eucharistia , separatum à substantia . Item extensio externa quantitatis separatur à corpore Christi in eodem Sacramento , quamvis non possit , ne diuinitus quidem , sic separata subsistere .

3. Quarta pars inuenitur in Aristotele 7. metaph. c. ii. de partibus definitionis , vt eam explicat Scotus 2. sent. d. 2. q. 2. n. 2. vbi ait , quod licet circulus esset inseparabilis ab ære , triangulus autem esset separabilis à ligno : & eo modo se haberet circulus ad æs , sicut triangulus ad lignum ; recte diceretur circulum esse distinctum ab ære , & ejus inseparabilitatem ab eo , non prouenire ex propriâ ratione , sed ex aliquo extrinseco . Simili ratione ostenditur motum cœli esse ab eo distinctum , quia licet à Philosopho ponatur inseparabilis ab illo ; tamen eodem modo se habet ad cœlum , sicut aliqua alia , quorum unum est separabile ab alio , ut homo & motus illius . Item licet nigredo sit inseparabilis à coruō , quia tamen sic se habet ad coruum , sicut nigredo ad parietem , recte concluditur eam distinguiri à coruō , quia distinguitur , & separatur à pariete .

Vltima pars ponitur maxime propter realem distinctionem diuinarum personarum , & eam exprimit D. Thomas I. p. q. 41. c. 4. ad 3. una enim

non potest existere altera non existente: nec sunt propriæ ab inuicem separatae vel separabiles propter unitatem essentiaæ, & si unum cum ea identitatem: vnde dicitur in symbolo D. Athanasii *ne substantiam separantes non se habent denique ad modum separabilium.* Nam licet animal, verbi gratia, quod est idem cum homine, sit ab eo separabile in equo quoad communem, & genericam rationem: illud tamen individuum animal, quod est in homine Petro, non est separabile ab eo, & hoc modo se habet natura diuina, quæ licet communis sit tribus personis; tamen eadem est numerus in Patre, Filio, & Spiritu-Sancto.

Restat ergo ut una persona diuina realiter distinguitur ab alia, quia una est propriæ producens, & alia producta: ut enim ait D. Augustinus i. de Trinitate cap. i. *nulla omnino res est quæ seipsum gignat ut sit.* & ratio est clara, quia quod aliquid producit, supponitur esse, ergo aliquid producit à se distinctum, cui dat esse, quia si sibi ipsi daret esse, iam supponeretur esse, antequam esset.

Expressè autem dicitur. *quorum unum est veræ & propriæ producens,* quia multi Theologi probabiliter existimant, posse rem aliquam per miraculum, se reproducere; sed hujusmodi reproducō, præterquam quod supponit rem iam aliâ actione productam, non est propria productio, sed solum se habet per modum conseruationis, de quo in theologia, ubi agitur de praesentia corporis Christi in Eucharistia.

4. Hæc igitur est natura realis distinctionis, quæ in duo membra diuidi potest, scilicet in mutuam, & non mutuam. Mutua est quæ distinguntur quæ sine seipsis inuicem esse possunt, ita ut seorsim utrumque consistere possit, ut Petrus, & Paulus: siue naturaliter, siue diuinitus: hoc enim modo distinguntur accidentis, & substantia, licet nonnisi diuinitus seorsim separata possint subsistere, sicut materia, & forma substantialis. Nam materia magnum habet hujus distinctionis signum, cum, etiam naturaliter, successivè conseruetur absque hac vel illa forma, & sine quacumque forma determinata. Et hæc distinctio vocatur ab alijs realis major: & duplex statuitur. Altera, quæ supposita ab inuicem distinguntur, altera quæ naturæ differunt, ut materia, & forma. Ita Scotus i. sent. d. 2. 4. 7. n. 43.

Distinctio non mutua est, quæ duo sic distinguntur, ut unum possit existere sine altero, non contra; quomodo distinguntur res, & aliqui modi illius: & hæc vocari solet ab alijs realis minor, vel modalis, vel ex natura rei. Vocatur quidem ex natura rei, quia non sit ab intellectu: minor, quia non est tanta, quanta major iam explicata: modalis denique, quia est inter rem, & modum ejus: & ad eam etiam reducitur distinctio inter duos modos.

Est autem modus aliquid posituum, afficiens entitatem ipsam rei per seipsum, & quasi cum ultimò determinans; ita ut sit extra essentiam, & entitatem totam rei; vnde non importat ex proprio conceptu entitatem

sufficientem ut in se sit, & conseruetur per se, sed intrinsecè postulat esse in re, quam modificat, quia essentialiter ab illâ dependet. Hujusmodi est inherentia accidentis in subjecto, quâ caret quantitas in venerabili Eucharistia. Item sessio in sedente: velocitas, aut tarditas in motu: vno inter materiam, & formam: quæ ex communi sententia non possunt diuinatus conseruari extra res, quas modificant. Ratio autem inducendi hos modos, petitur ex imperfectione creaturarum, ob quam sunt dependentes, vel compositæ, vel mutabiles secundum varios status, ideoque egent certis modis, quibus vniantur, terminentur, compleantur, & secundum varios status variè afficiantur.

5. Ad hanc porrò distinctionem realem possunt referri quæcumque aliæ reales assignantur. Primo quidem ea, quæ vocatur essentialis, quæque est inter res, non solum re ipsâ distinctione, sed etiam in sua entitate intrinseca, & essentiali diuersâ; siue genericè, vt inter Petrum, & Pyrum: siue specificè vt inter Petrum, & Bucephalum. Distinctio enim quæ est inter essentiam Petri & Pauli, propriè essentialis dici non debet, sed distinctio inter essentias, seu essentiarum: quo modo non importatur dissimilitudo, sed solum distinctio inter res significatas.

Secundo refertur distinctio major negativa, quæ est inter duo entia negativa, vt inter tenebras & cæcitatem: aut inter ens, & non ens, vt inter petrum & cæcitatem. Licet enim cæcitas, & tenebrae non sint quid reale positivum, sunt tamen à parte rei suo modo, vt explicatum est quæstione de ente rationis. Ita etiam potest vocari distinctio, quæ est inter chimaram & hircoceruum; est enim quasi realis, quia unum extrellum non est aliud, nec ab alio dependet, & unum sine alio potest esse suo modo. Est autem negativa, quia extrema non sunt aliquid positivum. Et quamvis hæc sint entia rationis, & consequenter possit hæc distinctio vocari rationis, non tamen propriè & intrinsecè, quia eo modo, quo sunt, distinguuntur verè ex se, & non ex fictione rationis. vocabitur ergo distinctio rationis, quasi extrinsecè, propter extrema, inter quæ versatur.

Tertiò refertur distinctio includentis & inclusi, quæ potest considerari in quolibet toto respectu singularum partium, scilicet sumptuarum. Nam totum includit aliquid, quod singulæ partes non includunt: sic homo distinguitur ab anima, quia præter animam, includit corpus: & hæc dici etiam potest distinctio excedentis, & excessi.

## SECTIO II.

*.De Distinctione Rationis.*

6. **D**ISTINCTIO rationis, vt diximus, ea est, quæ non est formaliter, & actualiter in rebus, sed tantum in eis esse concipiatur, quatenus subjacent conceptibus mentis, à quibus inadæquatè & confusè apprehenduntur: & ita sit vt quæ in ijs idem sunt, quasi à se ipsis diuidantur, & vt multa intelligantur. Verbi gratia, dum apprehendiunus iustitiam Dei, non concepta ejus bonitate, vel misericordiâ: distinguimus, seu distinctum concipiimus vnum attributum ab alio, quæ cum à parte rei non distinguantur: consequenter hæc distinctio est rationis, quia à sola ratione est, & in sola ratione reperitur. Hujusmodi porrò distinctio vana non est, & inutilis, vt patet ex ijs, quæ de ente rationis diximus. Vocari autem solet alio modo præcisio & abstractio, quia quando intellectus considerando aliquod objectum, cui plura prædicata conueniunt, non attendit ad omnia, sed vnum aliquod sibi repræsentat, cætera non exprimens; videtur vnum ab alio abstrahere, ac præscindere.

Communiter autem duplex statuitur genus distinctionis rationis. Alia dicitur rationis ratiocinantis; alia rationis ratiocinatæ, aut, vt locuntur multi Scotistæ, rationis ratiocinabilis.

Distinctio rationis ratiocinantis est ea, quæ sit ab intellectu ex merâ fictione, & fecunditate illius, nullâ occasione, aut fundamentū præbente ipsâ re faciendj talem distinctionē, quæ ideo dicitur non habere fundamentum in re: vt dum intellectus enunciatur idem de seipso: verbi gratia *Petrus est Petrus*, sic enim distinguitur Petrus quatenus est subjectum, à seipso ut ponitur loco prædicati: vel etiam quatenus concipiatur vt terminus, & subjectum relations identitatis, quando dicitur esse idem sibi. Similiter, dum intellectus concipit eandem rem sub diuersis vocibus grammaticaliter significatam, vt *homo*, & *hominis*.

Videtur autem in rigore loquendo, quod hæc distinctio non est distinctio, quia non sit per conceptus dissimiles, & inadæquatos, sed per repetitionē eiusdem conceptus, vt patet in dato exemplo; dicitur tamen, distinctio quia eodem modo formamus enuntiationē, ac si prædicatū & subjectū diuersas haberent formalitates, vt cùm quis sibi externè loquitur, ac si esset aliis à se: tunc enim non seipsum mente distinguit à seipso, vt patet. Ut igitur verè dici possit distinctio, oportet vt intellectus concipiatur aliquem respectum, vel comparationem in ipso obiecto, vt ita illud apprehendat quasi duplicatum.

7. Distinctio , siue præcisio rationis ratiocinatae , vel ratiocinabilis , est ea quæ habet fundamentum in re , propter quod intellectus aliqua distinguit , quæ in se distincta non sunt , rebus ipsis præbentibus occasionem intellectui faciendi talem distinctionem , quæ ideo vocatur distinctio rationis cum fundamento in re . Aliqui tamen Recentiores , inter quos est Meurisse rovensis 2. metaph. cap. 3. q. 4. ante quartam conclusionem , ponunt discrimen inter distinctionem rationis cum fundamento in re , & distinctionem rationis ratiocinatae , quia illa dependeat ab operatione intellectus , ista vero omnem actum intellectus præcedat , sitque idem cum distinctione formalij Scoti .

Et vero si attendamus ad vocem , distinctio rationis ratiocinatae , sic dicere credi potest , quia existit in rebus ante operationem intellectus , quasi esse ratiocinata dicatur , & solum requiratur ratio ad eam cognoscendam , non autem ad faciendam ; vocetur tamen rationis , quia non sit tanta quanta realis , atque exigat attentam rationis considerationem , ut percipiat . Quidquid tamen sit hac de re , nihil obstat quod minus vocetur distinctio rationis ratiocinatae , quamvis non sit à parte rei , quia , cum non sit ex membris intellectus fictione , sed ex occasione , quæ res ipsa præbet intellectui illam formandi , potest dici rationis ratiocinatae , ad differentiam illius , quæ rationis ratiocinantis appellatur .

Cæterum : fundamentum , quod dicitur esse in re ad faciendam istam distinctionem , non est actualis distinctio inter ea , quæ in tali re existunt , quia sic non esset distinctionis fundamentum , sed distinctio ipsa , quæ proinde non esset rationis , sed rationem antecederet . Hoc igitur fundamentum communiter sunt diuersa connotata extrinseca .

Verbi gratia , dum distinguimus iustitiam à misericordia Dei , fundamentum huic distinctioni præbent diuersi effectus , ab utraque virtute procedentes , nimis punitio , & miseratio . Item dum distinguimus voluntatem diuinam ab intellectu , attendimus ad intellectum , & voluntatem creaturæ , quæ sunt virtutes inter se distinctæ : & per proportionem , vel comparationem ad illas , concipiimus Deum volentem absque eo quod concipiamus cognoscentem vel vice versa : & quando distinguimus in homine animalitatem à rationalitate , fundamentum talis distinctionis sunt diuersæ operationes ab homine procedentes , scilicet sensatio , & discursus ; diuersæ enim operationes diuersa arguunt principia . Quod tamen dictum sit absque prejudicio majoris distinctionis inter illa .

8. Dixi hujusmodi fundamentum esse communiter diuersa connotata quia talis distinctio sèpè fit absque extrinsecis connotatis , ut dum aliquod animal videtur à loco distanti , cognoscitur esse animal , sed nescitur animalis species , vel equus : ibi distinguitur animalitas à differentiâ specificâ , aut individuali , non habita ratione connotatorum , ut coloris , aliorumque accidentium , quia visus illa non attingit : similiter dum albedo , verbi gratia , videtur confusa , non apprehenditur ab intellectu ut albedo , sed tantum

vt color : igitur conceptus communis intelligitur sine particulari, & ita ab eo distinguitur absque ordine ad connotata, quia cum cœlus feratur, in qualitatem sensibilem in se ipso absque connotatis, ita & intellectus.

Hujusmodi autem distinctio hac ratione contingens, non aliud habere videtur fundamentum in objecto, nisi quia ob distantiam, aut impedimentum aliquod, producitur in potentia cognoscente species in perfecta & consequenter imperfecta cognitione, quæ non penetrat objectum perfectè, nec concipit exactè totum id quod est in re: de quo vide sect. 2. de ente rationis l. 1.

Quamvis autem intellectus ex diuersis effectibus, & connotatis sumat occasionem faciendi distinctionem istam rationis ratiocinatae: tamen non est negandum, quin særissimè in re ipsa sit intrinsecum illius fundamentum, vt aliqua ejus eminentia, propter quam diuersæ rationes seu perfectiones vniuntur in ea, ita ut simplex una forma virtutem habeat faciendi quod faciunt diuersæ: vnde multi vocant tale fundamentum distinctionem virtualem. Et inde patet discrimen inter duas distinctiones rationis: in distinctione quippe rationis ratiocinantis non fit distinctio in ipso objecto secundum propria spectato, quasi vni conceptui representetur una ratio objecti, & alteri altera: sed utriusque actui idem objectum appareat quantum ad intrinsecam rationem objecti, ideoque distinctio sit in eo quasi extrinsecè, quia fit ratione comparationis vel respectus, ipsi per intellectum adiuncti. In distinctione vero rationis ratiocinatae est diuersa objecti manifestatio ut patebit sectione sequenti: ita ut vni conceptui appareat aliqua ratio quæ non appareat alteri, non quidem in esse rei, sed in esse manifestati & cogniti; & sic intellectus facit distinctionem in objecto quasi intrinsecam, quia fundatur in ipsis rationibus, quæ in objecto reperiuntur.

9. Non est autem hic prætercundum duplicum posse dari distinctionem, seu præcisionem, maximè per intellectum, vnius rei ab aliâ; perfectam scilicet & imperfectam. Perfecta præcisio est quando intellectus potest formare duos integros conceptus de rebus, quæ à se inuicem perfectè præscindunt: ita ut, quantumuis explicitè intelligatur uterque conceptus, unus non includat alium, nec implicitè & confusè, nec clare, & explicitè. Exemplum huius potest assignari in homine, inter animalitatem, & intellectualitatem: quantumuis enim intrinsecè intelligatur, & penitus explicetur principium sentiendi, per quod homo conuenit cum brutis, nunquam includet in suo conceptu principium intellegendi, & vice versa quantumuis explicetur principium essentiale intelligendi per quod homo differt à Brutis, non includet intrinsecè principium sentiendi, vnde reperitur in angelis absque consortio sensus.

Imperfecta vero præcisio est, quando illud quod præscinditur, & abstractur, etiam post abstractionem includitur essentialiter in ijs à quibus dicitur abstracti: aut ē contrario non ita ab ijs abstractur, vel præscindit, quin ea inuoluerit implicitè in suo conceptu; & ita dicatur imperfectè præ-

cindere, quia præscindit solum à conceptu explicito, & claro, non autem ab implicito & confuso. Hoc modo inferiora entis præscindunt imperfectè ab illo, sumendo ens in tota amplitudine, prout distinguitur contra nihil. Nam abstracto per intellectum ipso ente, in quo substantia, & accidens conueniunt, ipsæ differentiæ entis ut perfectas, & inalietas, seu accidentalitas, adhuc sunt essentialiter ens, quia non sunt nihil: & ita nec ens à differentijs præscindit perfectè, quia in suo conceptu includit implicitè, quicquid aliquid est; neque differentiæ ab eo, quia non possunt non esse entia.

## SECTIO III.

*De Præcisionibus Objectiuiis.*

10. **E**x præcedenti distinctione rationis ratiocinatae orta est cōtrouersia inter Nominales & Thomistas, vtrum diuersis conceptibus formalibus, per quos ista distinctio formatur, respondeant diuersi conceptus objectiui: adeò ut, dum concipitur uno conceptu animal, & alio rationale in homine, respondeat primo conceptui una formalitas, nempe animalis, diuersa ex parte objecti, ut sic, à formalitate respondentie secundo conceptui, nempe rationalitate. Quod est querere vtrum dentur præcisiones, non solum formales, sed etiam objectiua. & partem affirmantem docent Thomistæ.

Nominales verò, vt Okam, Gregorius, Gabriel, negant rem ullam distingui ratione à se ipfa, quæ verba tollere videntur omnem distinctionem rationis. Propter quodasperius objurgantur à multis. Verū, si exactè legantur eorum libri, inuenientur non negare distinctionem rationis: sed tantum negare in objecto diuersas formalitates, respondentes diuersis conceptibus formalibus; & asserere totam distinctionem rationis ratiocinatae, esse in intellectu, non verò in objecto: vt clarè inter ceteros mentem suam explicat Gregorius Ariminensis in I. d. 8. q. 2. a. 1. & 2.

Dicunt igitur Nominales, quod, dum concipitur animal in homine, non concepto formaliter rationali, per talem cognitionem attingitur eadem omnino entitas, & formalitas ex parte rei; hoc est totus homo cognoscitur per ordinem ad solum sensationem, & ideo totus dicitur esse animal; rationale verò tunc cognoscitur tantum materialiter, quia cognoscitur in ordine ad solum sensationem: quando autem cognoscitur rationale formaliter, cognoscitur totus etiam homo, sed in ordine ad discursum: & tunc animal cognoscitur tantum materialiter: vnde eadem omnino realitas, & formalitas ex parte objecti semper cognoscitur, & tota distinctio rationis reperitur in conceptibus formalibus per diueria connotata, ut supra diximus, ita ut intellectus non possit parti in duas formalitates, sed idem indivisiibiliter cognoscatur per diuersos actus formales in ordine ad diuersos

diuersos effectus , propter quos diuersæ illi conueniant denominations , vt esse animal , esse rationale .

11. Ratio huius à priori est , quia non cognoscimus substantiam per se immediatè sed per illius effectus : & ita dum video hominem sentire , collico ipsum habere principium sentiendi , quod denomo animal , non vero rationale . Quando autem video illum discurrere , intelligo ipsum esse rationalem , non verò animal : non quòd non attingatur eadem sàpè realitas , entitas , & formalitas ex parte objecti , sed quia modò attingitur in ordine ad unam operationem , modo in ordine ad aliam , non cognitâ alterâ . Quo fit , vt perinde se habeat intellectus cognoscendo rationem animalis in ordine ad operationes sensitivas , ac si rationale non attingeret : & cognoscendo rationale per discursum , perinde se habeat , ac si non attingeret rationem animalis . Licet enim ex vi cognitionis vtrumque attingatur ex parte objecti , quia idem omnino est : non attingitur tamen vtrumque ex parte cognitionis , quia non potest intellectus ex vi cognitionis animalis in ordine ad operationes sensitivas , iudicare de rationali , eo quòd rationale non exprimitur formaliter vt rationale . Atque hoc modo contingit distinctio rationis ratiocinatae absque eo quòd plures admittantur formalitates ex parte objecti , distinctæ per intellectum .

Et hæc quidem est nominalium sententia , quæ verissima est in his in quibus non reperitur maior distinctio , quam rationis , vt in Deo , respectu iustitiae , misericordiae &c. quod sic ostenditur . Dum dicuntur plures esse formalitates in objecto , vel verum est eas esse plures ex parte objecti ; ita ut una non sit alia à parte rei ; vel solum eas esse plures per intellectum ? si sunt plures à parte rei : ergo distinctio inter eas , non est distinctio facta à ratione , sed præcedit rationem , & coincidit cum distinctione formalis Scotti . Si verò sunt plures per intellectum solum : ergo dum intellectus attingit unam , attingit reipsa immediate aliam , alioquin attingeret & non attingeret idem , quia ubi non est formaliter aliud & aliud , dum attingitur unum , necesse est vt totum attingatur .

Igitur in objecto non attinguntur plures formalitates diuersæ ; sed intellectus eandem formalitatem ratione diuidit , quatenus eam totam non penetrat unico actu in ordine ad suos omnes effectus : & ita fit vt tota distinctio sit in intellectu intrinsecè , formaliter & subjectivè : in objecto autem extrinsecè , quatenus dicitur distinguiri denominatione extrinsecâ , petitâ ab intellectu distinguente , sicut denominatur extrinsecè cognitum . Dicere enim distinctionem esse in objecto , & esse distinctionem rationis , involuit implicatiam in terminis .

12. Dices : quando fit distinctio rationis ratiocinatae , debent esse in objecto plures formalitates , fundamentaliter distinctæ , alioquin male diceretur hæc distinctio habere fundamentum in re , ergo dum intellectus facit actualem distinctionem , tales formalitates debent fieri formaliter actualiter diuersæ

in ipso objecto , & ita esse aliud , & aliud per cognitionem , ut actus respondeat potentiae.

Respondeo negando consequentiam , tales enim formalites non sunt aliud & aliud formaliter , formalitate se tenente ex parte objecti , sed sunt tantum aliud & aliud formaliter , formalitate se tenente ex parte cognitionis intellectus , quicet attingat totum objectum per quamlibet cognitionem ; non attingit tamen in ordine ad omnes effectus , aut connotata , ut explicatum est.

Ad id autem quod dicitur distinctionem rationis ratiocinatae habere fundatum in re , patet responsio ex praecedenti sectione . Neque enim dici potest , quod objectum ipsum sit fundatum , ut cognitione attingat in eo vnam formalitatem sine aliâ , quia non potest fundare cognitionem eorum quæ non sunt in ipso : in ipso autem non est alia , & alia formalitas ex parte sui . Quare homo fundat cognitiones animalis , & rationalis , quia animal , & rationale sunt in ipso ; sed non fundat cognitionem animalis sine rationali , quasi unum sit aliud formaliter ab alio , cum supponantur esse eadem entitas ex parte objecti .

13. Prædictis tamen non obstantibus , negandas esse non censco præcisions obiectuas , quia , qui recte de illis sentiunt , non explicant eas aliter ac explicuimus sententiam Nominalium , ut recte notat Pontius disput . 4. de visione beatificâ . q . 6. n . 43 . & Maignanus cap . 2. de Philosophia entis , n . 19 . & sequentibus . Quamuis ergo concedamus animal , & rationale , aliosque gradus Metaphysicos , & prædicata essentialia , nullam habere ex parte rei distinctionem inter se , sed in homine realiter identificari : nihil tamen vetat unum ab intellectu cognosci , quin cognoscatur aliud ; unum terminare eius cognitionem , absque eo quod aliud eandem terminet : unum latere ipsum , etiamsi aliud non lateat .

Et ratio est evidens , quia dum cognoscimus hominem per operationes sensitivas , & rationales , manifestum est sensitivas non posse nobis illum exprimere , nisi prout animal est , & principium sentiendi : rationales vero , prout est rationalis , & principium discursus . Quando ergo videtur homo à longe nec potest intellectus habere aliam speciem , quam animalis ex motu eius , tunc cognoscit ipsum , ut animal præcisè , non vero ut rationale : ergo præscindit unum ab alio ex parte obiecti , ut sic : & ita dantur præcisions obiectiuas , respondentes formalibus .

Præterea oculus videndo albedinem , attingit colorem , quatenus color est , non autem ut qualitas est , quia qualitas ut sic , est extra limites obiecti sui ; & tamen ratio qualitatis & ratio coloris identificantur in albedine : ergo similiter intellectus poterit terminari ad unum gradum ex identificatis , quin terminetur ad alium formaliter , & explicitè . Quid autem hoc est nisi præscindere unum ab alio obiectuè , seu habere unum pro objecto , ut sic , non vero alium ?

Dixi pro obiecto *ut sic*, quia reuerâ, dum cognosco animal in praedicto exemplo, cognosco pariter id, quod est rationale: sed nescio utrum animal, quod cognosco, sit rationale, quia species operationum sensituarum mihi tantum representant principium sentiendi, à quo fluunt; non autem principium ratiocinandi: vnde ex diuersis conceptibus formalibus resultant in obiecto diuersi conceptus obiectui, non in esse rei, sed in esse obiecti, seu cogniti, & manifestati.

14. Obijcit Arriaga disp. 5. Logicæ. n. 25. negans præcisiones obiectivas. Non minus contradictione opponuntur, *cognosci* & *non cognosci*: *respondere*, & *non respondere* ex parte obiecti, quam existere, & *non existere*: *producere* & *non producere*, quia utrobique particula *non*, cadens supra verbum, negat idem quod per illud fuerat affirmatum: sed epugnat animalitatem hominis existere, & eius rationalitatem non existere: item præducere illam, & istam non producere, ergo, &c.

Respondeo negando maiorem. Ratio disparitatis est, quia existere, & præducere, competit rei speciatæ secundum se physice, & secundum se totam: & ideo non potest existere, vel præducere, quin existat, & præducatur secundum omnia sibi identificata. Imo idem valet de alijs accidentibus Physicis, eam totam affidentibus, vt moueri, sedere &c. At *cognosci*, est denominatio extrinseca & affectio intentionalis, dependens à potentia præcisiva, quæ potest rem attingere secundum unum prædicatum, & non secundum aliud, vt experientia patet. Non enim homo dicitur existere, aut sedere, prout animal est præcisus; b enè autem dicitur esse principium sentiendi, vt animal est præcisus.

Deinde ipse Arriaga. n. 42. concedit posse cognosci de petro quod sit animal, non cognoscendo quod sit rationalis: & n. 40. concedit idem indubitate obiectum cognosci clare ex parte, & ex parte confusè per eamdem cognitionem. Quid autem est clare, & confusè respectu cuiusdem obiecti indubibilis, nisi clare, & non clare? quid est Petrum cognosci secundum quod animal est, & non cognosci secundum quod rationalis est, nisi idem cognosci secundum unam formalitatem, & non cognosci secundum aliam? seu secundum unam explicitem, & secundum aliam implicitem, &c. Non est ergo minor contradictione in eius modo loquendi, quam in alio.

Dices: inter definitionem, & definitum nulla est distinctio ex parte obiecti, vt inter hominem, & animal rationale, & tamen potest res concipi sub ratione definiti, quin concipiatur sub ratione definitionis, vt quod sit homo, non concipiendo quod sit animal rationale: ergo, licet cognoscatur quod sit animal, quin cognoscatur quod sit rationale, non sequitur, quod obiectum præscindatur ratio animalis à rationali.

Respondeo: dum concipitur de aliquo quod sit homo, non concipiendo quod sit animal rationale, manifeste præscindi rationem hominis à ratione animalis rationalis, quia in tali conceptu non involuitur explicitem conceptus animalis rationalis, vt patet.

## SECTIO QVARTA

*De distinctione virtuali.*

15. **D**ISTINCTIONIS virtualis potest dici non identitas virtualis, in una simplici entitate existens, quæ entitas virtutem habet duarum entitatum distinctiarum, ita ut præstet quod præstaret, si duas huiusmodi entitates, actualiter in se distinctas haberet: vnde eas dicitur virtualiter in se continere. Hoc modo lux dicitur continere virtutem calefaciendi, & exsiccandi, quæ duæ virtutes distinctæ sunt actu in igne: in luce autem virtualiter, quia lux, cum sit accidens, & qualitas simplex, non videatur posse dici composita ex triplici virtute, actualiter distincta, scilicet virtute ucendi, calefaciendi, & exsiccandi.

Idem cerni potest in sensu communi, qui percipit objecta visus, auditus, & aliorum sensuum externorum; & ita virtute continet visum, auditum, &c. dicere enim quod virtus percipiendi colorem, sit in eo actualiter ex natura rei distincta à virtute percipiendi sonum: & quod in eo admitti debeant tot virtutes, aut realitates distinctæ, quot sunt sensus externi, videtur superfluum, & absurdum. Et hinc oritur, quod intellectus distinguat in eo multas virtutes, quæ reuerâ sunt unica virtus; ob diuersos scilicet effectus ab eadem re prouenientes: vnde ista distinctio vocatur etiam fundamentalis, quia præbet intellectui occasionem, & fundamentum distinguendi virtutem unam ab aliâ, vt diximus duabus præcedentibus sectionibus.

Eadem distinctio admittitur communiter in Deo, ut videre licet in Caietano I. p. q. 39. a. 1. alijsque Doctoribus, maxime Thomistis; propter quam verificari possunt de eo prædicta contradictionis in ordine etiam ad ipsum esse diuinum, ac si esset compositum ex diuersis, & realiter distinctis entibus. Nam à parte rei verum est naturam diuinam esse communicabilem: relationes vero, quæ sunt idem cum naturâ, esse incomunicabiles: vnde pater & eternus communicat naturam diuinam filio, & non communicat ei paternitatem. Item verum est essentiam non produci; filiationem vero, seu relationem produci, atque adeo ita se habet per istam distinctionem virtualem, ac si natura realiter distingueretur à relatione. Similiter per intellectum Pater producit verbum, & non per voluntatem, quia, licet intellectus, & voluntas sint actualiter formaliter idem, sublatâ ab eis distinctione scoti; virtualiter tamen distinguntur, præstantque id, quod præstarent, si realiter essent distincta; atque ita de eo verificantur prædicta, quæ essent contradictionia sine tali distinctione, aut quæ contradictionia sunt respectu alterius entitatis simplicis, & indistinctæ: vnde virtualis ista distinctio explicatur à multis per capacitatem prædicatorum contradictioniorum, vt sunt

producere, & non produci: communicari, & non communicari.

16. Obijcies primò, in hac distinctione virtuali eandem esse difficultatem respectu dei, ac in ipso Trinitatis mysterio: ergo nihil iuuatur cognitio huius mysterij ex tali distinctione, ac proinde frustra admittitur. Probatur antecedens, quia virtualem distinctionem dari in Deo, non est aliud, quam deum ob suam infinitam perfectionem præstare posse quod præstaret, si haberet in se multis entitatis distinctas; vel esse talis naturæ, ut duo prædicata contradictiones, scilicet produci, & non produci; communicari, & non communicari, &c. ei conueniant. In hoc autem est tota difficultas mysterij Trinitatis, & consequenter cadenti est difficultas in hac distinctione, & in hoc mysterio.

Respondeo eandem esse difficultatem ex parte rei; sed tamen per hanc distinctionem explicatur hoc mysterium terminis aliquâ ratione clarioribus, nec commodius potest satisfieri difficultatibus, quæ contrâ hoc mysterium proponuntur. Quare vitium non est in tradenda aliquâ explicatione, si ipsa dicat idem ex parte obiecti, ac ipsum obiectum, quod intendimus declarare: imo hoc necessarium est ut bona sit: conceptus tamen, seu termini non debent esse synonymi, alioquin idem per idem significaretur.

Objicies secundo. Si detur distinctio virtualis in creatis, dabitur aliquid æquè difficile, ac mysterium Trinitatis: sed hoc est absurdum, ergo & absurdum est talem distinctionem in creatis admittere. Probatur major. Natura, & definitio virtualis distinctionis est, ut duo prædicata contradictiones possint verè dici de eadem simplici entitate, ut produci, & non produci, communicari, & non communicari; ergo, sicut essentia diuina non producitur, & tamen producitur persona, quæ est idem cum ipsa: ita produci posset animalitas, non productâ rationalitate: & sicut natura diuina communicatur, non verò persona, ita posset communicari Petro natura humana, ut est natura, & eidem non communicari, quatenus est personalitas Petri, quandoquidem simplex entitas æquiualeat duabus per distinctionem virtuali. Quis autem non videt totam hanc esse Trinitatis difficultatem? Imò poterit dici in Petro, Paulo, Ioanne eandem esse proflus naturam humanam, identificatam cum tribus eorum personis, realiter inter se distinctis, & ita esse Trinitatem creatam, seu creaturam trinam & unam.

Respondeo negando majorem. Ad probationem dico cum Pontio, disput. 4. de visione beatifica n. 44. ex eo quod essentia diuinæ conueniat non produci, relationi verò seu personæ produci, non sequi quod anima-litas produci possit, & rationalitas non produci: aut una communicari sine altera: non quod repugnantia in istis proueniat ex propria ratione identitatis eorum, alioquin inferretur etiam talis repugnantia in diuinis: sed hæc prouenit aliunde: quia nimirum non potest existere una, quin existat altera, cum sint realiter idem, & quia neutra potest existere quin producatur, consequenter non potest una produci sine alterâ: at verò essentia diuina potest existere, quin producatur, & ita, licet non producatur, productâ relatione

potest cum ea identificari : vnde patet solutio ad alias instantias.

17. Obijcies tertio: admisssā distinctione virtuali in creatis, tollitur omnino vis formæ syllogisticæ, quia ex eo quod duo extrema identificantur realiter cum medio in præmissis, non sequetur in conclusione quod identificantur inter se, ob virtualem eorum distinctionem ab eodem medio. Vnde, sicut propter virtualem distinctionem relationum diuinarum ab essentiâ, conclusio non valeat in isto syllogismo. *Essentia diuina est paternitas, filiatio est essentia diuina, ergo filiatio est paternitas:* Ita nec valebit ita consequentia, *omne rationale est animal: omnis homo est rationalis: ergo omnis homo est animal.* Quia licet extrema realiter identificantur cum medio, & hæc identitas sufficiat ad veritatem præmissarum : tamen distinguntur ab illo virtualiter : quæ distinctione, cùm æquiualeat reali, sufficit ut non identificantur inter se, & ita non prædicentur de se in conclusione.

Propter hoc argumentum, negant aliqui distinctionem virtualem in creatis, & in Deo solum admittunt ob infinitam eius perfectionem, propter quam æquiuale potest multis finitis entitatibus distinctis, ut distinctis formaliter, & sic admittere prædicata contradictionia, sicut admittunt entitates finitæ distinctiones : ideoque talis distinctione est virtualiter realis : in creatis vero non est propriè virtualis, sed fundamentalis, extrinsecè considerata in ordine ad diuersos effectus, quos continet ut causa illorum: & ita non æquiuale rebus distinctis ut distinctis formaliter, at vero distinctione virtualis, quæ admittitur in deo, consideratur intrinsecè in ordine ad ipsummet esse diuum, de quo propterè dicuntur prædicata contradictionia, ut produci & non produci &c. quæ tamen in eo contradictionem amittunt ob virtualem distinctionem. Et hic modus dicendi probabilis est, modò supponat in ipsa re fundamentum aliquod intrinsecum, concipiendi rationes obiectivas diuersas in rebus creatis, si non virtualiter, saltem ratione ratiocinata distinctiones, ut explicatum est n. 8. nihilominus.

18. Respondeo primò negando maiorem : & dico virtualem distinctionem nullo modo impedire vim formæ syllogisticæ, nec in diuinis, nec in creatis. Vnde ratio cur conclusio non valeat in syllogismo prædicto, & similibus, non prouenit ex distinctione virtuali, sed quia non seruantur regulæ logicæ, pro quo vide lib. de syllogismo, q. 1. fct. ultimâ, & q. 2. vbi de syllogismo expositorio.

Respondeo secundò, negando similiter maiorem, ad cuius probationes nego paritatem, quæ à Deo transfertur ad creaturem propter distinctionem virtualem, quia licet reperiatur etiam in creatis; non reperitur tamen cum tantâ perfectione, & excellentiâ, ita ut possit eadem & eodem modo in creatis, & in Deo admittere prædicata contradictionia. Ratio est, quia distinctione virtualis fundatur in quadam eminentia, & excellentia rei, quæ una existens, continet, & vnit plures rationes, & perfectiones, quæ in inferioribus reperiuntur actu distinctione, vel separate: atque adeò quanto res aliqua est eminentior, & superior, eo plures perfectiones pluresuè rationes sibi

vnit, & simpliciori modo adunat, quæ in inferioribus plures entitatis constituant.

Cum igitur Deus sit infinitè perfectus, & eminentissimè continet omnes perfectiones creaturarum, potest in una simplicissima entitate adiungi tere prædicata ex se contradictionia, quæ ob virtualem distinctionem, quam eminenter possidet, contradictionem amittunt in eo, quam non amittunt in creatis ob minorem perfectionem.

Inde ergo debemus inferre aliam esse distinctionem virtualem maiorem, & eminentiorem, quæ in Deo reperitur; aliam participatam, siue minorem, & minus perfectam in creatis: ita ut prima propter perfectionem admittat simpliciter, & abolutè prædicata contradictionia in eadem re simplicissima, ut produci, & non produci: secunda verò non nisi secundum quid, seu cum addito, cum restrictione, & cum reduplicatione supra rationes formales, vel supra nostros conceptus: vnde non potest dici simpliciter, *animal hominis non discurrevit. Rationale hominis non sentit.* Benè autem, *animal hominis, quatenus animal est, non discurrevit. Rationale, ut rationale, non sentit.* Ethiæc eadem solutio inferire potest, etiam præcedenti objectioni, ut patet.

## SECTIO V.

*Quid sit distinctio formalis Scoti.*

19.

**S**CO TYS in 1. Sent. d.2. q. 7. n. 41. & d.8. q. 4. & d.13. q. vni-  
cā. & 2. Sent. d. 3. q. 1. & 6. multiisque alijs in locis aliam di-  
stinctionem admittit, quæ nec est formata ab intellectu, neque  
etiam realis, mutua vel non mutua, quasi unum eorum in quibus est, sit  
separatum, aut separabile ab alio: sed sit media inter utramque, hoc est ma-  
ior distinctione rationis, & minor distinctione reali. Vnde non est inter rem  
& rem, nec inter rem, & modum: sed inter rem, & realitatem, aut duas  
realitates, qualis potest intelligi inter intellectum, & animam in homine, aut  
inter intellectum, & voluntatem, quæ sunt duæ realitates animæ apud Scotum: Item inter rationale & risibile: inter rationalitatem & animalitatem in  
eodem homine, & alia similia.

Est autem res secundum hanc opinionem, omne ens reale, per se ex-  
istens extra suas causas, siue sit accidentis, siue substantia, separatum, vel se-  
parabile ab alio absque contradictione, ut Petrus, Albedo, &c. & distinc-  
tio, quæ inter huiusmodi entia reperitur, dicitur realis, quia est inter rem  
& rem. Realitas verò, seu formalitas, seu ratio conceptibilis ( pro eodem  
enim hæc usurpantur ) est quidem ens reale, & præter operationem intel-  
lectus; non tamen existens per se separatum, vel separabile ab alio ente, sed  
existit in alio tanquam aliquid eius. Quando autem dicitur realitatem non

esse ens existens per se , non ita intelligitur quasi non habeat suam existentiam : nam ex Scotis existentia identificatur cum re existente : sed ita intelligitur quod non habeat existentiam per se , quasi possit intelligi esse sine re , in qua existit. In eadem quippe existentia reali , super qua fundatur identitas realis , possunt intelligi plures existentiæ , formaliter , seu ex natura rei distinctæ , secundum formalitates & realitates , inclusas in eadem essentia , ut ait Lichetus in 2. dist. 1. q. 4.

Pro clariori verò huius doctrinæ intelligentia distingui potest triplex genus entis positivii. Quædam enim possunt existere per se sine alijs rebus , quas non includunt , vt Petrus & Paulus. Quædam licet non possint existere sine alijs ; possunt tamen aduenire de nouo alijs , quæ per se existunt : sic relatio aduenit fundamento , vno vniuersibus , extensio externa quantitati , &c. Alia denique sunt , quæ nec possunt per se existere , neque de nouo alicui aduenire , quia neque res in qua semel existunt , potest esse sine ipsis , nec ipsa fine re illa , vt animalitas , & rationalitas in homine , &c.

Entia primi & secundi generis , vocantur res : & distinctio , quæ inter illa reperitur , est distinctio realis maior , vel minor ; sive mutua , & non mutua. Entia verò tertij generis , ad vitandam æquiuocationem , vocantur realitates , seu formalitates : non quod non sint res , prout res distinguitur à nihilo , & ab ente rationis : sed quod non sint res eiusdem rationis cum rebus primi , & secundi generis : & consequenter distinctio earum non est similis alijs: unde res potest describi , *aliquid positivum potens existere per se , saltē diuinitus ; aut aduenire de nouo alteri , secundum se existenti.* Realitas verò , *ens positivum in re aliqua inclusum , quod per nullam potentiam potest secundum se existere , nec de nouo alicui aduenire.*

20. Hanc autem distinctionem vocat Scotus *formalem* , vel *ex natura rei* ( quamuis Mauritius hæc duo velit esse diuersa apud Scotum ) Formalis , quia est inter formas Metaphysicas , seu inter formalitates , & rationes conceptibiles. Ratio enim objectiva , sub qua vnaquæque res potest ex natura sua concipi , rectè vocatur forma , seu formalitas eius , quia forma est , quæ rem in suo esse constituit , vt communiter dicitur. Vocat autem *ex natura rei* , quia est in rebus ante operationem intellectus , eisque conuenit ratione ipsius naturæ rerum , quæ sic se habent , vt constituantur multis rationibus , quarum vna non sit altera ex se , & ex parte rei , formaliter , & quidditatiue

Vnde distinctio formalis , seu ex natura rei , est distinctio multarum rationum in eadem re inseparabilium , quarum vna ex propria quiditate non est altera formaliter , & conceptibiliter. Quare sicut ex Scoto in 1. d. 2. q. 7. n. 44. & d. 8. q. 4. n. 18. illud est idem alteri formaliter , quod vel est definitio eius , vel pars definitionis , vel aliquid inclusum in eius ratione formalis objectiva , quod ei competit in primo modo dicendi per se : ita illud est distinctum formaliter ab alio , quod nec est pars definitionis eius , nec tota definitio , nec ei competit per se primo modo.

Ex quo patet duplēcēm esse distinctionem formalem, adæquatam scilicet & inadæquatam. A dæquata est inter ea, quorum neutrum includit alterum in sua ratione formalis objectua, ut subjectum, & propria passio. Licet enim vnum definiatur per aliud; non tamen ut per aliquid intrinsecum sibi, sed ut per additamentum. Inadæquata verò est quando aliqua duo in aliquibus prædicatis quidditatibus conueniunt, & in alijs differunt: seu quæ habent definitionem partialiter tantum eandem, ut homo & animal: nam animal est tātū pars definitionis hominis, & sc̄ non sunt adæquatè idem formaliter.

Huiusmodi autem rationes formales seu realitates, dicuntur cōtinēti vñitiuē in re ipsâ, & sunt in dupli differentia, inquit Scotus d. 16. secundi, n. 17. quædam sunt de natura continentis, ut quæcumque sunt superiora ad continens: verbi gratia, ab eadem re accipitur ratio albedinis, coloris, qualitatis sensibilis, & qualitatis, & hæc sunt superiora ad hanc albedinem; & ideo omnia sunt de essentia eius. Alia sunt contenta in aliquo vñitiuē, quasi posteriora, quia quasi passiones continentis, nec sunt res aliæ ab ipso continente. Isto modo ens continet multas passiones, inquit, quæ non sunt res aliæ ab ipso ente, vi probat Aristoteles in principio quarti Metaphysicæ: distinguuntur tamen ab inuicem formaliter & quidditatib⁹, & etiam ab ente: formalitate dico reali, & quidditatib⁹, aliter Metaphysica concludens tales passiones de ente, & illas considerans, non esset scientia realis.

21. Porro distinctionem istam ponit Scotus, non tantum in creatis, sed etiam in diuinis, nimirum inter essentiam diuinam, & relationes: inter voluntatem, & intellectum: inter sapientiam, & iustitiam, aliisque attributa. Propter quod opinionem eius periculosam in fide vocant multi recentiores. Alij cum excusare conantur, quasi per distinctionem formalem, intellexerit distinctionem rationis ratiocinatae, aut virtualem, de quibus iam egimus supra. Ita cum interpretatur Mendoza disput. 6. Metaph. s. 3. cum alijs antiquioribus, quorum meminit Gregorius Ariminensis in 1. d. 8. q. 8. a. 1.

Verū leuerius quam par sit, loquuntur primi Authores. doctissimè enim, & subtilissimè probat suam sententiam Scotus, soluitque omnia quæ in contrarium obiecti possunt, & eius sententiam amplectuntur Doctores Theologi præstantissimi, Antonius Andreas in 1. d. 2. & 8. Tаратetus, Leuchetus, & Franciscus de Meyronis ibidem; Ioannes Bassolis acutissimus d. 22. Faber Fauentinus in Vniuersitate Patauina Theologicæ olim Professor disput. 19. & 20. super primum Sent. & in formalitatibus, Ioannes Pontius subtilissimis scriptis celebris disput. vltima Metaphysicæ, Ioannes de Rada 1. p. Controversiarum Theologicarum, controversia 4. vbi afferit vniuersam scholam Parisiensem semper amplexatam suis sententiam Scotti ab eius diebus, atque etiam Louaniensem, & Bononiensem Academiam: vnde hæc sententia tuta est in fide.

Quod spectat ad alios authores: eorum interpretatio non est ad mentem Scotti, quod primò sic ostendo de distinctione rationis ratiocinatae: quia Scotus in 1. d. 2. q. 7. n. 41. ait, *dico sine assertione, & præiudicio sen-*

*entia melioris*, quod ratio, quâ formaliter suppositum est incommuni-  
cabile (loquitur de Deo) & ratio essentiae ut essentia, habent aliquam  
distinctionem præcedentem omnem actum intellectus creati, & increati.  
Sed distinctio rationis ratiocinatae non præcecat actum intellectus: ergo non  
eam intelligit Scotus. Deinde satis per se constat attributa diuina distingui  
ratione per intellectum nostrum, nec ullum inde sequi potest absurdum:  
ergo non eset cur trepidaret Scotus in hac assertione, si per suam distinctionem  
nisi intelligeret distinctionem rationis ratiocinatae.

Respondet Mendoza Scotum se opposuisse sententia D. Thomæ &  
Nominalium, non agnoscentium diuersæ formalitates objectivæ, vt ex-  
plicui sectione tertia: & quia Scotus primus videtur vslis voce *formalitatis*  
ad huiusmodi rationes objectivæ stabilendas, ideo cautè locutus est, inquit  
Mendoza.

22. Nihilominus hoc expressè repugnat opinioni Scoti. Nam vel illæ  
diuersæ formalitates objectivæ, sunt formaliter in objecto ex natura rei di-  
uersæ, antequam intellectus versetur circa illud objectum: & hoc est, quod  
volo, & ita intelligitur Scotus à discipulis: atque adeò prædicta interpreta-  
tio non liberat Scotum à tam malâ sententia, vt eam vocat Mendoza. Vel  
sunt in objecto ut objectum est, reduplicatiæ, & dependenter ab intellectu?  
& hoc non, quia Scotus asserit hanc distinctionem præcedere omnem actum  
intellectus, & esse formaliter in objecto, antequam intelligatur ab ullo in-  
tellectu. Vnde eam explicationem refutat multis in locis, & clarissimè in I.  
d. 8. q. 4. nam referens opinionem Henrici n. 12. sic ait, & *hoc similiter  
dixit illa opinio, quod objectum ut est in intellectu negotiante, habet di-  
finitas rationes, quasi formatas circa ipsum.* Deinde n. 16. hanc opinio-  
nem rejecit, & a sacerdoti distinctionem inter naturam diuinam, & intellectum di-  
uum, non fieri per intellectum, sed præcedere intellectionem.

Præterea n. 17. expressè ait inter sapientiam, & bonitatem, & alia attri-  
buta Dei, non esse tantum distinctionem objectorum formalium in intel-  
lectu, quia talis distinctione nunquam est in intellectu cognoscente objectum  
intuitiuè, nisi si in ipso objecto intuitiuè cognito. Est autem cognitionis in-  
tuitiuia, inquit, *cognitionis objecti existentis secundum quod existens est actu.*  
Et ita cum Deus intuitiuè cognoscat attributa, ut objecta formaliter distin-  
cta, ex mente Scoti, cognoscit talem distinctionem ut actu inter ea existen-  
tem, & præcedentem cognitionem intellectus. Idem expressè refutat d. 12.  
q. 1. n. 8. vbi ait, *nulla relatio rationis præexigitur productioni diuina, ut  
probabitur d. 12. contra opinionem ponentem intellectum, & voluntate-  
sem in Deo distinguuntur ratione.*

Et ex ijsdem verbis refellitur eadem interpretatio de distinctione virtuali,  
seu fundamentali. Item ex argumentis, quæ habet d. 2. q. 7. n. 41. & sequen-  
tibus, quæ euidenter adstruunt distinctionem formalem actualem, ut pa-  
ter legenti. Dicere enim quod ante actum intellectus, etiam diuini, est in  
Deo una entitas communicabilis, & alia incommunicabilis, & hæc non est

formaliter illa ex natura rei, non potest intelligi de sola distinctione virtuali, vt constat. Nam distinctio virtualis absolute est non distinctio, & consequenter non potest facere, vt unum non sit aliquid ex natura rei, quin potius supponit unum esse aliud.

23. Dices: Scotus loco proximè citato n. 43, in fine ait, distinctionem suam formalem posse vocari differentiam ratioris, vel differentiam virtutem, his verbis. *Potest autem vocari differentia rationis, sicut dicit Doctor quidam;* non quod ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu: sed vt ratio accipitur pro quidditate rei secundum quod quidditas est obiectum intellectus: vel alio modo potest vocari differentia virtualis, quia illud quod habet talam distinctionem in se, non habet rem & rem, sed est una res habens virtualiter sive eminenter quasi duas realitates, quia utriusque realitati, ut est in illa re, competit illud proprium, quod inest tali realitati, ac si ipsa esset res distincta. &c.

Respondeo cum Faustino disput. 20. citata, c. 6. quod per differentiam rationis intelligitur distinctio rationis ratiocinatae, cum distinctis formalitatibus ex parte objecti, vt explicatum est, alioquin sibi contrasiceret, cum velet tam distinctionem praecedere omnem actum intellectus: vel ponit illa verba, *quatenus quidditas est obiectum intellectus,* quia supponit objectum praecedere cognitionem, & ipsum intellectum esse conformem objecto cognito, in quo diuersas quidditates apprehendit.

Vocat autem eam virtualem, quia illud quod habet tam distinctionem, non habet rem, & rem, sed tantum realitatem, & realitatem: & ita licet sit actualis formalis respectu realitatum inter se, est tamen solum virtualiter realis, quia illae realitates non sunt res, nisi virtualiter, quatenus praestant id quod praestarent, si essent res distinctae. Nec obstat quod non dicat absolute realites, sed quasi realites, quia ibi loquitur de Deo, in quo non sunt realites in rigore, sicut in creatis, hoc est facientes compositionem; sed sunt virtualiter eminenter, hoc est ablatâ omni imperfectione, & positâ omni eminentia: propter quod etiam saepè mauult tam distinctionem vocari non-identitatem, quam distinctionem, quia distinctio ex natura rei, videtur importare relationem ex natura rei, quæ non reperitur in Deo, nisi inter personas.

Quarè ad vitandam æquationem, suam sententiam ita concludit n. 44, in fine. *Breueriter igitur dico, omitendo illa verba de distinctione rationis, & de distinctione virtuali, non quia sint male dicta. Sed quia non oportet eis utri: dico quod in essentia diuina ante actum intellectus est entitas A. & est entitas B. & haec non est formaliter illa.* Loquitur autem de intellectu diuino.

## SECTIO VI.

*Probatur distinctio formalis scoti.*

24. **P**RÆCIPVA argumenta, quibus vtitur Scotus ad suam distinctionem formalem comprobandam, sunt Theologica: ad hanc enim inducendam motus est maximè propter mysterium Trinitatis, vt notat Fauentinus cap. I. tractatus formalitatum: quia, cùm essentia diuina sit realiter communicabilis, persona verò diuina non sit communicabilis, & hoc ante omnem intellectus operationem: non videtur posse saluari hujusmodi prædicatorum contradictoria oppositio absque aliqua distinctione ex naturā rei, inter essentiam, & personas. Quia tamen non licet Philosopho in secretiora Theologia arcana subire, hujusmodi argumenta lubens omitto. Lege ea, si velis, in Scoto, & alijs authoribus, præcedenti sectione citatis. Hanc igitur quæstionem de rebus solùm creatis agitare contendo, sub problemate, vt moris est nostri, tribus istis sectionibus.

Probatur itaque primò authoritate Aristotelis 7. Metaph. c. 10. vbi ait, quod sicut se habet tota definitio ad totam rem definitam, ita se habent partes definitionis ad partes rei. Non potest autem dici res definita habere partes, nisi aliqua distinctio sit ex naturā rei inter eas, putà inter genus, & differentiam. 3. autem Metaph. c. 3. textu 10. ait differentiam esse extra rationem generis; ita vt genus non possit de cā prædicari: & lib. 7.c. 12. genus comparari ad differentias, vt potentiam ad actum essentialē, & ideo fieri ex eis unum per se. & 4. topic. c. 1. neque genus participare differentias, nec ab eis participari. Quæ omnia vera esse non possunt, nisi admittatur distinctio ex naturā rei inter quidditatē generis, & quidditatem differentiæ: si enim ex parte rei non sunt duas formalites, seu realitates distinctæ, sed una tantum simplex entitas, non potest verè dici unum esse extra rationem alterius: & unum esse potentiale ad aliud: & ex duobus fieri unum totum per se. Sed hæc omnia essent tantum in ratione fingente, & mera entia rationis, quod est valde absurdum.

Confirmatur: quia non alià ratione videtur negari à D. Thoma, & alijs Theologis, huic opinioni contrarijs, compositio in deo ex genere & differentia, nisi quia hæc aliquo modo ex parte rei distingui debent: si enim tantum distinguierentur per intellectum, nihil inde sequeretur contra Dei simplicitatem, quia compositio solùm esset in nostris conceptibus, & non in Deo: ergo tacite hanc distinctionem admittunt, dum eam impugnant.

25. Probatur secundò, quia gradus differentialis perficit ex parte rei gradum genericum, & non tantum per operationem intellectus. Verbi gratia, gradus rationalitatis reipsa perficit gradum naturæ sensitivæ in homine perfectione reali, ipsumque eleuat ad nobiliorem statum, quam habeat in alijs

animalibus, alioquin homo non esset realiter nobilior animal, quām bruta, sed solum per operationem intellectus. Ergo illi duo gradus distinguntur ex naturā rei, quia nihil dicitur perficere seipsum. Idemque dicendum est de alijs gradibus metaphysicis, substantiā, corpore, viuente, &c.

Probatur tertio. Conceptus ille objectiuus, qui naturā suā pauciora dicit, quām aliūs, est distinctus ex naturā rei ab illo: sed conceptus corporis naturā suā pauciora dicit, quām conceptus viuentis, vel animalis, vel hominis; ergo ex natura rei ab illis distinguitur. Maior est clara. Probatur minor quia conceptus corporis dicit tantum ex naturā rei gradum corporeitatis: conceptus verò viuentis, animalis, & hominis, addunt alios gradus ex naturā rei, & indepenter ab intellectu; primò, quia gradus corporis reperitur in lapide absque alijs. Secundò, quia alioquin conceptus petri, verbi gratiā, esset simpliciter simplex à parte rei, nec magis esset compositus, quām gradus quidditatiuus entis, qui dicit simpliciter gradum essendi. Tertio, quia gradus corporis naturaliter est prior gradu viuentis & sensitiui: nam ex post prædicamentis, &c. 5. Metaphys. c. 11. illud est prius, à quo non valet subsistendi consequentia: rectè autem sequitur, est viuens, ergo est corpus, non è contrario. At prius non dependet à posteriori, nec quantum ad esse, nec quantum ad cognosci, quia vt prius est, non repugnat ei esse sine posteriori: igitu rgradus corporis ex naturā rei alias est à gradu viuentis, & ita de alijs

26. Probatur quartò: quia si animalitas Petri, verbi gratia, & eius rationalitas, non distinguerentur ex naturā rei, sed solum per intellectum, sequeretur animalitatem Petri esse realiter principium primum ratiocinandi, non secūs ac eiusdem rationalitatem: & rationalitatem esse primum principium sentiendi, sicut animalitatem: hoc autem est absurdum, primò, quia homo non differret ab equo per rationalitatem, quia per eam esset sensitiuus. Secundò, quia si Petrus per impossibile non esset animal, & esset substantia rationalis, haberet reuerā primum principium ratiocinandi, quatenus esset à parte rei rationalis, & non animal. Ergo rationale & animal non sunt idem à parte rei, quia dum aliqua duo ita se habent, vt uno ablato, & circumscripto, aliud remaneat, easdemque operationes eliciat, rectè infertur vnum naturā suā non esse aliud.

Probatur quinto. Quando aliqua plura simul conueniunt, & differunt à parte rei, non possunt habere præcisē ab eo vt conueniant, à quo. habent vt differat. Aliquid enim secundum propriā rationem, & quidditatem formalem non potest esse causā vt aliqua cōueniant realiter, & simul realiter differant. Sed equus, & homo à parte rei conueniunt in animali, & differunt per hinnibile, & rationale; ergo rationale, & hinnibile debent ex naturā rei esse diuersa ab animali, in equo, & in homine. Nam si ex naturā rei & formaliter animalitas est rationalitas in homine, nihil est à parte rei in homine per quod differat ab equo: aut nihil, per quod cum equo conueniat, si est aliiquid, per quod differat.

Confirmatur: quia duo prædicta contradictoria non possunt conuenire

eidem rei nullam habenti distinctionem ex parte sua, aut eorum quae sunt in ipsa, quia *idem non potest esse & non esse*, ex primo principio: sed homo conuenit cum equo per animal, & non conuenit per rationale; item est principium sentiendi per animal, & non per rationale: conuenire autem, & non conuenire; esse & non esse principium sentiendi, sunt contradictoria; ergo non posunt de eadem re indistincta, & formaliter eadem verificari ex parte rei: ergo animal, & rationale differunt formaliter ex natura rei in homine.

27. Probatur sexto. non eo formaliter aliquid est sentiens à parte rei, quo est viuens, ergo ratio viuentis, & ratio sentientis sunt à parte rei distinctæ. Probatur antecedens, quia alioquin, ex quo aliquid esset viuens, esset quoque sentiens: unde, cum arbor sit viuens, ex eo esset sentiens, quo est viuens: hoc autem est falsum, vt patet. Ergo ratio viuentis, & ratio sentientis distinguuntur ex natura rei. Si enim per intellectum solum distinguerentur, sicut viuens dicitur à parte rei de arbore, ita & de illa diceretur sentiens.

Probatur septimo. Ista prædicata, *substantia, corpus, viuens, animal*, competunt homini nullo intellectu cogitante, vt patet: sed hæc prædicata significant rationes diuersas, non solum per intellectum, ergo formaliter ex natura rei. Probatur minor, quia à parte rei propria, & integra ratio substantiae reperitur in lapide, & tam non reperitur ratio viuentis: in planta autem reperitur ratio viuentis, & non ratio animalis, &c. & intellectus perfectè intelligendo plantam, percipit totam rationem substantiae, & viuentis, absque eo quod percipiat rationem animalis: ergo pariter intelligendo intuitu, & quidditatui hominem, poterit in eo percipere rationem substantiae, non concepto gradu corporis, aut viuentis: quia non est maior ratio, cur illos gradus in diuersis rebus quidditatui percipiatur, seorsim ab alijs gradibus, quam in homine: quia eadem essentialiter ratio substantiae cum perfecta vniuocacione reperitur in lapide, & in homine. Igitur tales gradus vbicumque reperientur in creatis, erunt inter se distincti à parte rei, non distinctione reali, vt aduersarij vltro concident, ergo formaliter, & non solum per intellectum.

### SECTIO SEPTIMA.

#### *Soluuntur argumenta contra distinctionem formalem Scoti.*

28. **C**ONTRA superiorem doctrinam, quâ distinctione formalis Scoti conprobatur, multa congerunt argumenta Thomistæ, sed paucis solutis, cætera, quæ in idem ferè recidunt, soluta remanebunt.

Obijciunt itaque primum ex durando in 1. dist. 2. q. 2. n. 6. Nulla proprietas, seu propria passio potest latius patere ipsam re, cuius est passio:

ergo, cum omne ens sit reale, vel rationis, omnis distinctio, quæ est proprietas entis, erit realis, vel rationis: & ita fictitia est media illa distinctio Scoti. Respondeo, per ens reale, & realem distinctionem duo posse intelligi. Primum illud omne quod non est nihil, & quod est in rerum natura independenter ab operatione intellectus. Secundum illud, quod est propriè res modo explicato sectione quinta superiori, ut Petrus & Paulus, substantia & accidens. Concesso igitur antecedente, distingo consequentiam. *Omne ens est reale vel rationis*, si per ens reale intelligitur res propriè dicta, nego: si intelligitur id, quod distinguitur à nihilo, & est in rerum natura independenter ab intellectu, concedo: & hoc secundo modo distinctio formalis, est realis, quia est in rebus independenter ab intellectu; sed non est realis, quasi sit inter rem, & rem, ut explicatum est. & miror authores contrarios, qui vident magnam esse æquiuocationem in suo argumento, & tamen eo quasi Achille vtuntur. Quid enim absurdum sequitur, ponendo in rebus distinctiones alias alijs maiores, & vocando unam realem, & aliam formalem, cum & ipsi ponant duplex genus realis distinctionis, & unam vocent maiorem, aliam minorem: imo vocent unam simpliciter realem, aliam verò non realem, sed modalem, ut videtur supra. Patiantur ergo vocari istam realem minimam; vel potius nomine proprio *formalem*.

Obijciunt secundò: distinctio formalis est inter formalitates, sed formalitates sunt res: ergo distinctio formalis est inter res, & ita est realis. Probatur minor, nam formalitas substantiae verbi gratia, est substantia: at substantia est res vera: idemque patet de alijs multis.

Respondeo negando minorem. Ad eius probationem dico formalitatem substantiae non esse substantiam, sed aliquid substantiae: nam si substantia est quid compositum ex ente, & realitate substantiae: sicut animalitas non est homo, neque rationalitas est homo: sed homo est quid compositum ex animalitate, & rationalitate, quæ sunt realitates hominis. Verum quidem est realitatem substantiae esse substantiam, prout substantia distinguitur contra accidens; & etiam esse rem prout res distinguitur à nihilo, aut ab ente, quod fit ab intellectu; sed non est res propriè dicta, ut diximus in superiori solutione. Idemque sentiendum est de cæteris realitatibus, inter quas proinde non reperitur distinctio realis propriè dicta, sed solum formalis.

29. Obijciunt tertio: distinctio formalis ex naturâ rei major est distinctione reali, ergo male statuitur inter realitates, quæ non possunt ab inuisum separata existere. Probatur antecedens: distinctio per intimiora est major, quam ea quæ est per minus intima: sed distinctio formalis fit per magis intima, quia fit per prædicata primi modi dicendi perse, ex Scoto in r. d. 2. distinctio autem realis fit per ea, quæ insunt post.

Respondeo negando antecedens. Ad eius probationem nego majorem. Nam homo, & equus minus distinguntur, quam homo, & planta: & tamen distinguntur per magis intima, scilicet per differentiam specificam solam, & conueniunt genere proximo, nempe animali: at homo & planta dif-

ferunt genere proximo, quia non conueniunt in animali: genus autem est prædicatum minus intimum, quia magis commune; differentia vero magis propria, & magis intima. Adde quod minor est falsa, nec reperitur in Scoto i. sent. d. 2. vt citatur à Caietano, neque in 4. d. 2. vt citatur à Banne: neque alibi, vt recte obseruat Fauentinus.

Ratio ergo ad cognoscendam maiorem, vel minorem distinctionem, debet sumi ex maiori, vel minori unitate. Quæ enim minus de unitate includunt, magis distinguntur: vt ea, quæ differunt genere, magis distinguntur, quam ea, quæ in unitate generica conueniunt, licet specie differant: & quæ generibus generalissimis distinguntur, vt substantia, & qualitas, magis distinguntur, quam quæ sunt in eodem prædicamento. Vnde, cum distinctione numeralis minus includat de unitate, quam formalis, quia excludit unitatem numeralem, in qua tamen formalis manet, consequenter numeralis est maior quam formalis.

Obijciunt quartò: Illa distinctione non est ex parte rei, cuius extrema non possunt per potentiam diuinam seiuētā manere: sed sic se habent extrema distinctionis formalis ex Scotistis, ergo & talis distinctione non potest esse ex natura rei. Maior constat: cum enim huiusmodi extrema distinctiones habeant entitates, quæ à Deo conseruante & influente dependent, nihil vetat quod minus Deus ea separe, & conseruet, supplendo concursum causarum secundarum.

Respondeo negando maiorem. Multa quippe sunt ex naturâ rei distinctiones, quæ tamen non possunt diuinitus separata existere, imo neque ab inuicem separari, manente altero, vt est risibilitas respectu hominis secundum multos: vnum, verum, bonum in ente: relatio manente fundamento, & termino, vt plerique existinant: materia absque forma ex Thomistis, &c. sufficit ergo vt vnum ex naturâ suâ non sit aliud, & proprius conceptus unus, non sit proprius conceptus alterius, quomodo se habent superius nominata, multaque alia.

30. Obijciunt quintò: quæ distinguntur formaliter, distinguntur numero, ergo distinguntur realiter, & sic ficticia est distinctione media inter realem & rationis. Consequentia est nota: probatur antecedens. Quæ formaliter distinguntur, distinguntur specificè, quia distinguntur essentialiter, & quidditatiè, diuersasque definitiones sortiuntur; sed quæ distinguntur specificè, distinguntur numero, quia major distinctione infert, & arguit minorē: distinctione autem specifica, est maior numerali: magis enim differunt Petrus, & Bucephalus, quam Petrus & Paulus: ergo quæ formaliter differunt, numero differunt, ac proinde realiter.

Respondeo negando primum antecedens, ad cuius probationem, distinguo minorem: quæ distinguntur specificè distinguntur numero, si sint formæ perfectæ, ab inuicem separabiles, habentes definitiones completas ex generē, & differentia, quæque non possint in eodem numero per se manere, concedo: si vero sint imperfectæ, nec possint ab inuicem se jungi, sed in eodem numero

numero per se manent, non est opus quod numero differant: unde distinctio essentialis, & quidditativa, licet maior sit numerali, non infert semper numeralem.

Adde quod minor illa est simpliciter falsa secundum opinionem Thomistarum, qui volunt individuationem, seu unitatem numericam desumim a subiecto. Vnde inquit Masius tertio Phys. cap. 3. sectione 2. q. 1. ad 1. magnitudo, & candor differunt genere, & non differunt numero, si sint in eodem subiecto: Et candor, & dulcedo specie differunt, & non differunt numero, cum eidem lacti insint.

Obiiciunt sexto. Fundamentum ad hanc distinctionem ponendam, est nullum, ergo est ficta. Probatur antecedens, quia fundamentum hoc sumitur ex diuersis definitionibus, quae eidem rei tribuuntur, & ex diuersis conceptibus formalibus, quibus diuersimode eandem rem apprehendimus. Quis autem non videt, eandem rem individuabilem posse diuersas sortiri definitiones, ut eandem entitatem hominis posse definiri animal, quatenus est principium sentiendi; & rationale, quatenus elicit operationes rationales. Item in luce solis, diuersis conceptibus apprehendimus virtutem illuminandi, calefaciendi, & exsiccandi, quas existimare ex naturâ rei distinctas esse, fruolum est.

Confirmatur, quia si ex ordine, quo res una respicit multa, posset colligi plures formalitates ex natura rei distinctas eam habere, infinitæ penè formalitates in re qualibet includerentur, quia nulla est tam simplex formalitas, quae non respiciat multa. Nam rationalitas, quae est formalitas simplex, etiam secundum Scotum, est principium Metaphysicum intellectus, & voluntatis, & vt est principium unius, non est principium alterius. Item voluntas est principium volitionis, & nolitionis. Item intellectus simplicis apprehensionis, iudicij, & discursus, ita ut non eadem definitione explicetur in ordine ad discursum, vel iudicium, vel simplicem apprehensionem. Sensus denique communis, phantasia, & imaginatio, non distinguntur formaliter ex multis Scotistis, & tamen diuersimode definiuntur: ergo, cum idem valeat in animali, & rationali in homine, alijsque similibus, nullum est fundamentum admittendi distinctionem formalem.

31. Respondeo negando antecedens. Ad eius probationem dico posse nos varias definitiones eadem rei tribuere secundum quod a nobis diuersimode intelligitur. Verum, si tales definitiones non sint rei ipsi conformes, & distinctio conceptuum formalium non oriatur a distinctione obiectuum, vanæ sunt tales definitiones, & fictitiae, quia ad hoc ut sit verus conceptus, & vera definitio, debet esse obiecto conformis: ideoque distinctio, & diuersitas conceptus causatur a distinctione, & diuersitate obiecti quia obiectum est prius naturaliter actu potentiae, alioquin omnes nostræ scientiae essent fictiones nostri intellectus, formantis nouas essentias rebus, quae sic se non haberent ex parte sua.

Quare dicendum est virtutes illas solis esse ex naturâ rei distinctas, nam

cœci experiuntur calorem solis, & non experiuntur lucem: ab experimento autem vnius, factō sine experimento alterius, rectē colligitur non-identitas vtriusque. Quamus fortè melius dicitur ilas non distingui in sole ex naturā rei, quia continentur in eo non formaliter, sed eminenter, & virtualiter, quatenus emitit radios, qui causant calorem, & siccitatem: at res ita se non habet in alijs, nam homo est formaliter animal, & rationalis.

Ad confirmationem respondeo concedendo rem vnam simplicem posse diuersas definitiones sortiri in ordine ad res diuersas, quas reficit, aut in ordine ad quas consideratur: & tunc ex multis illis definitionibus, non rectē semper colligi distinctionem formalitatum: sed nego, non rectē colligi ex diuersis definitionibus, quæ dantur de re secundum se sumpta: hoc autem rectē cognoscitur, vt ait Poncīus, quando definitio data non conuenit alicui rei, cui alia definitio conuenit: vt, quia definitio animalis alicui conuenit, cui non conuenit definitio rationalis, non est consequenter eadem formalitas. Item plures formalitates possunt sequi ad vnam simplicem, vt intellectus, & voluntas ad rationale: tamen quando formalitates sic se habent, vt vna possit sequi ad aliquam formalitatem, ad quam altera non potest sequi, tunc ad eandem formalitatem in nulla re sequi possunt, ideoque diuersa sui arguunt principia.

### SECTIO VIII.

#### *Soluuntur argumenta pro distinctione formalī Scoti superius allata.*

32. **S**i quis Scoto adhærere noluerit in sequenda distinctione formalī ex naturā rei, & ad argumenta, quæ pro eius confirmatione attulimus sectione sextā præcedenti, solutiones desideret, poterit legere quæ hic sequuntur.

Respondeo ergo ad primum, quod quando species definita, dicitur habere partes; & genus esse potentiale ad differentiam, & esse extra illam, & cum illa componere vnum per se, hæc & similia reduplicant nostrum modum intelligendi; hoc est non conueniunt rebus, nisi prout à nobis intelliguntur, nostrosque terminant conceptus; atque adeò extrinsecā denominatione, à conceptibus formalibus defūmpia cum fundamento in re: quod potest declarari in homine. Quando enim intellectus cognoscit hominem vt animal est, & per operationes sensitivas, eo præcisè conceptu apprehendit solum in eo principium sentiendi, seu animalitatem, quæ est ipsi communis cum alijs animalibus: similiter eo præcisè conceptu, quo eum cognoscit per discursum, apprehendit solum in eo principium discurrendi, seu rationalitatem, quæ est ipsi propria, & eum distinguit ab alijs animalibus.

Et hinc fit primum, vt in eo apprehendat animalitatem, vt quid communis, potentiale, determinabile, perfectibile, & vt genus: rationalitatem

verò ut quid proprium, & actuale, & determinatum, & perfectum, & ut differentiam. Secundò ex his duobus componi hominem, ut ex partibus essentialibus, quia eius conceptus formales sunt partiales, & inadæquati, eo quod singuli non apprehendunt obiectum in ordine ad omnes effectus & connotata, seu non penetrant ipsum totum secundum omnia praedicta intrinseca, quæ virtualiter in ipso tantummodo distinguntur; nos verò quod sunt ex parte rei distinctæ realites, partialiter hominem integrantes: & ideo tota compositio est in conceptibus formalibus, in obiecto verò tantum extrinsecè, ut obiectum est, & ut subiacet conceptibus formalibus, ex quibus definitio formalis componitur.

Tertiò denique genus esse extra rationem differentiæ, quia quando apprehendit eum ut animal, non apprehendit ut rationale, & ita in conceptu obiectuo generis, ut præscinditur per conceptum formalem, non includitur conceptus obiectuus differentiæ, ut per suum etiam conceptum formalem præscinditur, licet ex parte rei eadem semper entitas, & realitas attingatur, & dicatur tantum attingi inadæquatè, ex imperfectione nostri modi intelligendi, cum fundamento tamen in re, ut explicatum est sectio ne secunda, & tertia huius quæstionis.

Ad confirmationem dico, Theologos illos negare in Deo compositionem ex genere, & differentiâ, non quia putent talem compositionem aliquo modo esse ex naturâ rei: sed quia existimant primò conceptum generis importare aliquid imperfectum, limitatum, & per aliud perfectibile, cum fundamento in re, quæ Deo repugnare videntur, etiam ut à nobis modo imperfecto intelligitur. Secundò, quia putant nihil esse Deo & creaturis commune vniuocum. Quamvis aliqui talem compositionem in Deo non negent, ut Gregorius Ariminensis, Robertus Olkot & alij in 1. sent. d. 8. de quo nos libro 4. vbi quæremus an Deus ponatur in prædicamento.

33. Respondeo ad secundum, negando antecedens. Cum enim genus, & differentia non sint gradus ex natura rei distincti, non sunt aliud & aliud, & consequenter unus non potest realiter perficere alium, quasi à se distinctum. Verum quidem est rationale, esse perfectionem realem, & animal habere perfectiorem entitatem, & perfectiores operationes in homine, quam in brutis, quia in homine est rationale, non verò in brutis: sed non ideo sequitur rationale esse aliquid distinctum ab animali, quod est in homine, quia aliud est esse perfectionem realem, aliud perfectionem realiter distinctam.

Respondeo ad tertium, negando minorem; ad cuius probationem dico, quod, licet gradus corporis reperiatur in lapide, & in alijs subiectis absque gradu viuentis, sensitivi, rationalis: tamen vbiunque sunt gradus inferiores, necessario reperiuntur superiores cum inferioribus identificati, absque illâ distinctione ex naturâ rei, quia eadem simplex entitas, & forma, quæ in homine dat esse corporis, dat etiam esse viuentis, sensitivi, & rationalis, nisi velis excipere gradum corporis, à forma corporeitatis distinctâ

procedentem: unde tota distinctio actualis inter huiusmodi gradus, est tantum distinctio rationis ratiocinatae, à solo dependens intellectu, cum fundamento in re, ut explicatum est.

Ex quibus patet responsio ad tres particulares probationes eiusdem minoris. Gradus enim corporis reperitur in lapide absque alijs, quia forma lapidis, cùm sit imperfectior, & alterius naturæ, non continet virtutem vegetandi, & sentiendi. Item conceptus hominis, & Petri, non est magis compositus à parte rei, quām conceptus entis, aut lapidis, &c. nam sumendo mendet lapidem. A. æque est ipse compositus ex materia & formâ, ex genere & differentia, ex naturâ communâ & individuali, ac Petrus: sumiendo vero formam solam, verum est, quod anima rationalis Petri est æque entitas simplex, ac forma lapidis. A: quod vero forma lapidis non vegetet, non sentiat, non ratiocinetur, sicut forma Petri, hoc tantum indicat formam Petri esse naturæ diuersæ, atque perfectioris, cui diuersæ, & perfectiores, operationes debeat.

Denique gradus corporis non est naturaliter prior gradu viuentis in eodem subiecto, verbi gratiâ Petro, quia non sunt duo ex parte rei, sed unus simplex; absolutè autem dicitur prior secundum subsistendi consequiam, quia est magis communis, hoc est reperitur in pluribus, in quibus non reperitur gradus viuentis, quia omnis forma, quæ potest dare esse corporis, non potest dare esse viuentis, eo quod est imperfectioris naturæ: at quæ potest dare esse viuentis, potest dare esse corporis absque illa distinctione, quia ea quæ in imperfectioribus diuiduntur, in perfectioribus adunantur: & ita fit ut non valeat consequentia, *est corpus, ergo est viuens.*

34. Respondeo ad quartum, concedendo sequelam maiori, & negando minorem. Eadem enim simplex entitas in Petro est principium primum sentiendi, & ratiocinandi: quatenus tamen est principium sentiendi, dicitur animal, non vero rationale, quia ibi connotat operationes sensitivas, hic vero rationales: atque adeo eadem entitas adæquatè concepta, utrumque præstat, inadæquatè vero concepta, præstat modo unum, modo aliud.

Dici etiam potest, quod eadem entitas est principium sentiendi, quatenus à parte rei est animal, & non rationale, virtualiter, fundamentaliter, quia hæc duo virtualiter in homine distinguntur, ut explicatum est sezione quintâ. Et dum dicitur quod si per possibile vel impossibile, Petrus esset substantia rationalis, & non animal, haberet principium ratiocinandi, quatenus à parte rei esset rationalis, & non animal; Respondendum est, tunc Petrum fore aliam entitatem, diuersæque speciei nobis ignotæ: sicut Bucephalus, qui habet solum principium sentiendi, non ratiocinandi, est alia entitas, & diuersæ speciei à Petro.

Respondeo ad quintum, posse dici ex Suares disput. 2. Metaph. sec. 3. n. 16. quod aliqua possunt simul conuenire, & differre in aliquo vno, quando conuenientia, & distinctio eorum sunt diuersi ordinis: at res sic

se habet in proposito. Nam conuenientia hominis, & equi in animali, est tantum secundum rationem; distinctio vero eorum est realis. Sed haec responsio non satisfacit, nec videtur vera. Conuenientia enim, quam habent equus, & homo, quatenus sunt animalia, non est conuenientia, & similitudo secundum rationem tantum: quia unum animal non habet ab intellectu, quod sit alteri animali simile: sicut unus paries albus, non habet ab intellectu, quod sit similis alteri albo, sed ex eo quod uterque sit albus.

35. Quare censeo distinguendam esse maiorem hoc modo. Quando aliqua plura simul conueniunt, & differunt a parte rei, non possunt habere præcisè ab eo ut conueniant, à quo habent ut differant. Si illud in quo conueniunt & differunt, spectetur in se absolute, & sub una præcisè ratione, concedo: si autem spectetur non tantum in se, sed & in ordine ad connotata, vel effectus, nego. Nam eadem simplex entitas, quæ in homine est animal rationale, est causa cur homo conueniat cum equo, quatenus est principium elicitiuum operationum sensituarum, sicut entitas, quæ est in equo; & simul est causa, cur homo differat ab equo, quatenus est principium elicitiuum operationum rationalium, quas entitas equi non potest elicere: quæ duo principia, sunt in homine virtualiter fundamentaliter distincta: & sic eadem entitas hominis adæquate spectata, est simul ratio conueniendi, & disconueniendi, & secundum quod spectatur inadæquate sub ratione animalis, est ratio conueniendi cum equo; spectata vero sub ratione rationalis, virtute distincti ab animali, est ratio disconueniendi ab eodem equo.

Quod potest declarari à simili in sensu communii, qui una simplex entitas existens, conuenit cum oculo, quatenus est perceptius coloris; sicut oculus; ab oculo autem differt, quia est perceptius etiam soni, quem non potest percipere oculus. Neque ideo conuenientia vel disconuenientia non est intrinseca, & quidditativa, quasi sumatur ab accidentibus, hoc est operationibus: quia, licet explicetur, & intelligatur per operationes, tamen principia ipsa talium operationum, sunt ratio fundandi illam conuenientiam, vel disconuenientiam: ideo quippe homo, & equus conueniunt, quia uterque est animal: ideo vero differunt, quia animal hominis à parte rei est rationale, animal autem equi est irrationalis.

Ad confirmationem respondeo, sufficere distinctionem virtualem ad admittenda huiusmodi prædicata contradictionia, ut explicatum est sectione quartâ.

36. Instabis ex Aureolo. Effectus in actu, habet causam in actu ex 5. Metaphyl. c. 2 & 2. Physic. c. 3. tex. 37. Sed conuenire, & non conuenire; esse principium sentiendi, & non esse principium sentiendi, sunt affirmations contradictiones in actu, ergo habent causam in actu: sed haec causa, est distinctio; ergo non sufficit virtualis, sed requiritur actualis, si

non realis , sicutem formalis ex natura rei.

Respondeo ex Caietano, l. p. q. 39. a. 1. sub finem , concessio primo syllogismo , negando subsumptum : nam huiusmodi effectus potest oriiri & à distinctione tanquam à causâ vniuocâ , & à continente virtualiter distinctionem , tanquam à causâ æquiuocâ : vnde effectus in actu , habet causam in actu , sed illa causa vel est distinctio in actu , vel continens virtualiter talem distinctionem: & hæc secunda pars est vera in re præsentि.

Respondeo ad sextum , negando antecedens , si sermo sit de re aliqua particulari viuente . Per eandem enim entitatem , per quam homo , verbi gratia , est sentiens , per eandem est viuens , corpus , substantia , & ens à parte rei , quia illi gradus sunt omnino indistincti in eadem re . Si vero loquamur in communi de generali ratione viuentis , aut corporis , &c. ex ultimo antecedens esse verum . Nam lapis non eo formaliter est viuens , quo est corpus , quandoquidem est corpus , & non est viuens: vnde tunc consequentia est neganda . Vbi ergo est gradus inferior , ibi sunt omnes superiores indistincti , vbi vero sunt superiores , non statim sunt inferiores .

Respondeo ad septimum , negando minorem , ad cuius probationem nego consequentiam . Ratio est , quia gradus substantiae , corporis , viuentis , sensitivi , rationalis , sunt in homine una simplex entitas , & ideo intellectus intelligendo quidditatue , & intuitiuè hominem , ut est à parte rei , non potest percipere unum gradum , non percepto alio , quia non est alius , & alius ex parte rei : licet in lapide videat gradum corporis sine alijs inferioribus , quia in eo non reperiuntur . Poterit tamen , etiam intuitiuè intelligens hominem , cognoscere virtualem distinctionem inter huiusmodi gradus , atque adeo cognoscere hominem sentire per gradum sensitivi , non per gradum corporis , quatenus unus ab alio virtute distinguitur .

Neque conuenientia vniuoca lapidis & hominis , verbi gratia , in ratione corporis , exigit ut intellectus videat in homine , non secus ac in lapide gradum corporis absque gradu viuentis , quia identitas huiusmodi graduum non variat eorum conceptibilitatem , seu rationem obiectuam , cum in ea re , in qua identificantur , illud omne præstent , quod præstant sciunt in diuersis rebus , aut quod præstarent in eadem re , si in ea distincti essent .

අභ්‍යන්තර අභ්‍යන්තර (අභ්‍යන්තර ප්‍රතිස්ථාපන)

## QVÆSTIO III.

De vnitatibus.

### SECTIO I.

*Quid & quotuplex sit vnitas.*

I.  N I T A S communiter explicatur per negationem diuisionis , siue alioquin sit aliquid posituum formaliter sumpta , siue tantum negatio . Quapropter Aristoteles 5. Metaphysicæ cap . 6. ait vniuersaliter , *quæcunque diuisionem non habent quatenus non habent , eantibus vnum dicuntur.* Vnde vnitas dici solet *indivisio rei in seipsa , & diuisio à quanis alia re.* Quamvis sufficienter explicetur per induisionem in te . Ad hoc enim ut aliquid sit vnum , non est opus ut existant alia , à quibus sit diuisum , vt patet in Deo , qui verè fuit vnu in se ab æterno , antequam aliquid aliud existeret . Poteſt tamen intelligi per *diuisionem ab alio* , diuifio potentialis , non actualis , quia eo ipſo quo aliquid est vnum , natum est non esse aliud , & consequenter esse diuifum ab alio , ſeu non idem cum alio : & ſic iſta ſecunda negatio , hoc est *non-identitas cum alio* , ſequitur ad primam , vt bene ait Scotus ad 2. c. quarti metaph. atque adeo præſupponit vnum in eſſe vnius conſtitutum , & ſolum addi debet ad maiorem explicationem .

Itaque rē aliqua dicitur vna , quæ non erit multiplex ſeu diuifa in plura : quod potest tripliciter contingere quoad rem präſentem , & ideo triplex communiter assignatur vnitas , ſcilicet numerica ſeu individualis , formalis , & vniuersalis .

Vnitas numerica eſt *indivisio rei singularis in ſeipſa* . Vnde per illam vnaquaque rē singularis , eſt individua in te . & induiſibilis in plures partes ſubiectivas ; hoc eſt in plures naturas singulares , quæ ita ſint eiusdem nominis & rationis cum ipſa , vt qualibet ſit ipſa , quæ diuiditur . Hoc modo Petrus dicitur vnu , quia eſt induiſus in ſeipſo , ſiue à ſeipſo , & induiſibilis in plures Petros . Licet enim diuidi poſſit in plures partes , vt materiam , & formam : tamen illæ partes non ſunt eiusdem rationis cum ipſo , quia materia non eſt Petrus . Et quamvis gutta aquæ in duas diuidi poſſit , quæ ſint eiusdem nominis , & rationis ſpecificæ cum illæ ipſæ tamen ſingulae non ſunt idem cum illa entitatibꝫ , ſeu non ſunt illa .

quæ diuiditur, cùm singulæ sint tantum partes illius.

2. Huiusmodi porrò vnitas, dicitur numerica, quia est principium numeri: numerus quippe est *multitudo rerum singularium ab inuicem reatiter distinctarum*. Vocatur etiam differentia individualis, quia per eam quodlibet individuum, in se unum numero constituitur, & à quo libet alio numericè distinguitur. Ioannes de Bassolis, Scoti discipulus, primus ut ait, eam vocavit hæcceitatem, quia per tales unitatem natura sit hæc, hoc est, individualia, & singularis. Solet autem exprimi per nomen abstractum, deductum ex nomine proprio cuiusque individui, quomodo à Petro sit petreitas, à Socrate socrateitas, &c. & est adeo propria culibet individuo, ut constituat ipsum ultimò in ratione individui, cuiusque naturam ita determinat, & contrahit, ut ulterius contrahi, & diuidi non possit, vnde unum numero dicitur, *quod est individuum inseparabile à quolibet alio ultimâ divisione*.

Hoc patet in serie prædicamenti substantiarum. Nam substantia primò diuiditur per corporeum & incorporeum: deinde substantia corporea, per animatum & inanimatum: rursus substantia corporea animata, per sensibile & insensibile: quartò substantia corporea animata sensibilis, per rationale, & irrationale: tandem substantia rationalis ultimò diuiditur, & contrahitur per differentias individuales, ad Petrum per petreitatem, ad Socratem per socrateitatem, &c. ita ut natura humana quæ est in socrate, sit ita diuisa, & contracta per socrateitatem, ut ulterius contrahi, aut diuidi non possit: ex qua natura humana, & socrateitate sit unum individualium humanum, seu res una singularis, & individualia, quæ socrates nuncupatur.

Vnde autem surmatur unitas ista numerica, seu differentia individualis, magna est controvrsia. Thomistæ volunt eam in rebus corporeis sumi à materia: quidam Scotistæ ab ultima realitate formæ: alijs ab ultimâ etiam realitate materia in rebus compositis: & absolute ab ultima realitate rei. Sed quæstionem hanc in Metaphysicam remitto, vbi de principio individualizationis agemus, ne longior sit iste tractatus: an tamen distinguatur à re, cuius est unitas, tertia sectione discutiam.

3. Unitas formalis est unitas naturæ secundum se considerata, quatenus natura est simpliciter: vnde solet definiri *individualis naturæ communis in seipso*: hoc est, in sua ratione, & essentia, quatenus concipitur habere negationem divisionis à se, & divisionem, seu distinctionem à quavis alia natura diversa. Duplex autem assignatur, nimirum specifica, & generica.

Unitas formalis generica ea est, per quam aliqua conueniunt, seu unum sunt genere, qualis est inter hominem, & equum. Natura quippe sensitiva una est generice in omnibus animalibus, unicâ definitione explicabilis, & unitus rationis essentialis, omnibus communis, saltem negative.

Unitas

Vnitas formalis specifica , est inter ea , quæ solo numero differunt: quâ ratione Petrus , & Paulus sunt vnum in specie hominis : neque enim habent plures naturas humanas dissimiles , seu specie diuersas.

Vtraque porro vnitas , generica , & specifica , dicitur formalis à forma , quia sequitur essentiam rei , quæ dicitur illius forma . Vnde , quia ea quæ specie conueniunt , eandem essentiam , definitionemque participant , rectè dicuntur habere vnitatem specificam formalem . Ideo enim Petrus & Paulus specie vniuntur , quia habent vnam , eandemque natūram hominis . Similiter quæ vniuntur genere , ideo vniuntur , quia vnam , eandemque generis naturam , & essentiam communem habent , vt homo , & brutum eandem naturam communem animalis . Et hoc expressit Aristoteles c. 6. libri quinti Metaphysicæ citati , his verbis , *alia numero , alia genere , alia specie vnum sunt : numero quidem , quorum materia vna ; specie vero , quorum ratio vna : genere autem , quorum eadem prædicationis figura .* Hoc est , quæ sunt eiusdem prædicamenta .

Ex quibus patet vnitatem formalem habere latitudinem aliquam , adeo ut aliquando sit minor , aliquando major . Minor quidem , quando causatur per principium magis commune , quia tunc plus admittit diuisionis ; Major verò quando causatur per principium minùs commune , quia tunc minùs diuisionis admittit . Cum enim vnitas dicat carentiam diuisionis ; & carentia tantò major censematur , quantò minùs relinquit in subiecto de forma , quâ priuat , vt patet in obscuritate , &c. Illa vnitas erit maxima , quæ omnem diuisionem tollit , vt facit numerica . Formalis verò erit modò major , modò minor secundum quod vel plus vel minus admettit diuisionis : vndè vnitas formalis generica , quâ Petrus , & Bucephalus sunt vnum in animali , est minor , quā formalis specifica , per quam Petrus , & Paulus sunt vnum in homine , quia animal est magis commune , & diuisibile in plura , quā homo .

4. Vnitas denique vniuersalis est ea , quæ competit naturis præcisis à singularibus , & in se per modum vnius spectatis : vndè vocatur vnitas præcisionis , siue rebus ipsis naturâ suâ , & ex parte rei conueniat , siue per intellectum . Qui negant dari distinctionem formalem Scoti , volunt consequenter talem vnitatem fieri , & dependere ab intellectu , abstrahente naturam à differentijs indiuiduantibus ; hoc est eam concipiente per modum vnius absque differentijs indiuiduantibus .

Alij verò dicunt talem vnitatem competere naturis communibus , ante operationem intellectus , & differre tantum ab vnitate formalis , connotatiuē , quatenus vnitas formalis , vt formalis , abstrahit à communicabilitate ; ita vt possit secundum proprium suum conceptum intelligi , & etiam aliquando esse , absque eo quod sit , aut concipiatur vt communicabilis multis , vt patet in natura diuina : quia scilicet conuenit naturæ secundum se absolute spectata ; & dicit tantum negationem diuisionis in se : quatenus verò est vniuersalis , requirit , & connotat com-

municabilitatem in natura, cuius est unitas, quia non potest esse universalis, quin apta sit ut multis communicetur, ut patet ex universalis definitione.

Præterea unitas formalis, etiam ut contracta, & ut existens in aliquo particulari individuo, semper est unitas formalis, suum integrum conceptum formalem retinens; at vero, ut sic, non est universalis formaliter, hoc est præcisè ut contracta, & singularisata, quia, ut sic, non habet aptitudinem existendi in multis; aut, si habere dicatur, non habet nisi remotam, & impeditam per contractionem: sicut materia prima, quando actu informata est aliquam formam substantiali, non habet aptitudinem, nisi remotam, & impeditam, ad recipiendas multas alias formas; nam quandiu unam retinet, non potest alias recipere.

## SECTIO II.

*An præter unitatem numericam detur unitas formalis à parte rei.*

5. **N**ATURAM specificam in quolibet individuo existentem possumus spectare duplice: primò quidem, quatenus est simplex natura, & secundum entitatem suam quidditatiuam: secundò vero quatenus contracta est, & secundum entitatem suam individualem. Naturam secundum se spectatam consequitur unitas formalis, per quam est una in se; unde etiam unitas naturæ dici potest; spectatam vero ut contractam, consequitur unitas numerica, per quam dicitur hæc natura, seu una numero.

Hanc utramque unitatem sectione præcedenti explicuimus: & de numerica nullus ambigit, quin detur à parte rei, quia euidens est quodlibet individuum esse à parte rei individuum in se, & diuisum à quolibet alio ultimâ diuisione. Solùm ergo difficultas est de unitate formalis: utrum videlicet præter unitatem numericam, verbi gratia præter Socrateam, detur in Socrate à parte rei, alia unitas, conueniens naturæ humanæ Socratis secundum se; siue distinguatur à numericâ ex natura rei, siue non; siue dici debeat positiva, siue negativa tantum, de quo in sequentibus sèpius erit sermo. Quâ cautione præsuppositâ.

Dicendum est primò dari unitatem formalem, minorem unitatem numericâ, præter operationem intellectus, seu ex parte rei. Ita sanctus Thomas opusc. de naturâ genetis c. 7. si tamen eius opusculum sit: & de ente, & essentia, c. 4. Scotus. 7. Metaphys. q. 10, & lib. 2. sent. d. 3. q. 1. & 6. & utriusque discipuli communiter.

Probatur primò ex Aristotele 5. Metaphys. c. 6. quæcumque diuisio-  
nem non habent, in quantum non habent, vnum dicuntur. Ut si in quan-  
tum homo non habet diuisiōnem, vnuſ est homo, si vero in quantum  
animal, vnum animal, &c. Sed Petrus verbi gratia, est à parte rei vnuſ  
homo, & vnuſ animal: igitur natura humana, quæ in ipso est, vna est,  
& ita habet vnitatem formalem, seu naturæ.

Probatur secundò: quia natura humana existens in indiuiduis, & per  
differentias indiuiduales contracta, potest definiri; ergo debet esse vna,  
quia nihil definitur, nisi quatenus est vnum, ex Aristotele 7. Metaphys.  
c. 12. At non habet ab intellectu quod sit definibilis, sed ex se; ergo ne-  
que hanc vnitatem habet ab intellectu, sed à parte rei.

Probatur tertio, quia omnis natura realis est aliquid ens; ergo est  
vnum ens, quia vnitas est proprietas, ab ente inseparabilis: sed natura hu-  
mana, verbi gratia, quæ est in Petro, est ens reale, ergo debet habere  
vnitatem realem: at non habet solum numericam; nam per numericam  
Petrus differt à Paulo; cum eo autem conuenit quatenus homo est: igi-  
tur natura humana Petri habet vnitatem formalem, seu naturæ, sibi pro-  
priam.

Probatur quartò. Natura humana existens in Petro, est indiuisa in  
se formaliter; neque enim in multas naturas, seu essentias, intra se di-  
uisa est; ergo à parte rei habet vnitatem formalem, sibi intrinsecam, quia  
vnitas à parte rei, non dicit nisi entitatem positivam, cum negatione di-  
uisiōnis.

6. Dicendum est secundò huiusmodi vnitatem formalem, naturæ ex  
parte rei conuenientem, multiplicari numero ad multiplicationem indi-  
uiduorum, in quibus reperitur: ita ut tot numero sint vnitates formales,  
quot sunt vnitates numericæ. Hanc conclusionem posui ad tollendam  
prauam doctrinæ Scoti intelligentiam, quam aliqui recentiores adducunt;  
inter quos sunt complutenses disput. 3. de vniuersalibus. q. 3. n. 21. & 22.  
vbi aiunt Thomistas conuenire contra Scotum in hoc, quod asserant vnitate-  
tem formalem multiplicari in indiuiduis, ita ut vnumquodque habeat  
suam vnitatem formalem. Item Suarez disput. 6. metaphys. sect. 1. n. 2.  
vbi ait Thomistas, & Scotistas in hoc differre circa vnitatem formalem,  
quod Scotus non censet vnitatem hanc formalem, seu naturam, prout  
habentem hanc vnitatem formalem, multiplicari numero in ipsis indi-  
viduis, sed omnia indiuidua eiusdem naturæ, habere vnam, & candem  
vnitatem, non tantum ratione, sed re ipsa: seu naturam prout in re ipsa exi-  
fit in multis indiuiduis, habere vnicam formalem vnitatem. Sed hoc  
nunquam somniauit Scotus; imò neque etiam illus Scotista, si credi-  
mus Tatareto in libro prædicabilium, ad primum textum Porphyrij, art.  
2. vnde Scotus in 2. Sent. d. 3. q. 6. n. 10. sic habet in eodem ergo, quod  
est idem numero, est aliqua entitas, quam consequitur minor vnitas,  
quam sit vnitas numeralis: & est realis; & illud cuius est vnitas ta-

*lis formaliter, non est de se unum unitate numerali. Concedo ergo quod unitas realis non est alicuius entitatis existentis in duobus individuis, sed in uno.*

Postea explicat quomodo talis unitas formalis, non sit numerica per se, sed tantum denominatiæ, & extrinsecè, ut nos infra dicemus. Talis ergo unitas ex mente Scoti, non est alicuius naturæ, existentis in pluribus individuis, sed in uno; & consequenter non est unica numero in multis individuis, ut male refert Suares. Ab hac etiam opinione se expresso defendit Scotus distinctione citatæ q. i. n. 8. & 9. adeo verum est, nimis saepe falli authores in referendis aliorum opinionibus, dum eas in fonte non hauriunt.

7. Probatur itaque conclusio primò, quia etiam ex mente Scoti, natura & unitas sua formalis, sunt idem realiter conuertibiliter, licet formaliter distinguantur: ergo non potest natura realiter multiplicari, quin unitas quoque eius realiter multiplicetur. In creatis enim impossibile est, aliqua duo esse realiter idem, & unum realiter multiplicari, alio realiter non multiplicato. Sed natura, verbi gratia humana, est realiter multiplicata in Petro, & Paulo, ita ut natura humana Petri, sit diuersa numero à natura humana Pauli, ergo similiter unitas formalis naturæ humanae Petri, erit numero diuersa ab unitate naturæ humanae Pauli.

Præterea, si unitas formalis naturæ humanae, quæ est in Petro, esset eadem realiter numericè in Paulo, non posset perire natura Pauli, quin periret eadem entitas existens in Petro, alioquin idem naturaliter periret, & non periret, quod est impossibile. Ergo necesse est aliam esse unitatem formalem naturæ in Petro, aliam in Paulo, numericè diuersam.

Probatur tertio, quia unitas formalis est passio, seu proprietas naturæ: sed passiones multiplicantur ad multiplicationem essentiæ, ut per se notum est: ergo sicut alia natura humana est in Petro, & alia in Paulo: ita alia erit unitas formalis Petri, & alia Pauli.

8. Obijcies primò. Si unitas formalis, seu naturæ multiplicetur in individuis, tot erunt unitates formales specificæ, atque adeo tot naturæ specificæ, quot erunt individua: sed hoc est absurdum, ut patet, ergo falsum est quod detur huiusmodi unitas formalis à parte rei; sed omnis unitas realis erit numeralis.

Respondeo ad maiorem, tot erunt naturæ specificæ, numero diuersæ, quot individua, concedo: tot erunt naturæ specificæ, essentialiter, & species diuersæ, quot individua, nego. Neque enim multæ sunt species naturæ humanae, verbi gratia, licet tot sint naturæ humanae, realiter distinctæ, quot sunt homines, numero distincti: eo quod tum unitas formalis, tum natura, quæ tali unitate afficitur, intrinsecè, & in prædicatis essentialibus manent semper individuae, licet individualiter, entitatiè, & extrinsecè diuidantur.

Obijcies secundo. Si natura humana, verbi gratia, Petri, & natura humana Pauli, secundum se formaliter spectatae, non sint eadem natura positiue, non poterit homo vniuocè prædicari de Petro, & Paulo : prædicatum enim vniuocum est illud, quod de multis dicitur secundum eandem rationem: at homo, dum dicitur de Petro, significat naturam humanam Petri, & dum dicitur de Paulo, significat naturam humanam Pauli, quæ non est eadem cum naturâ Petri; ergo non prædicatur secundum eandem rationem, nec consequenter vniuocè.

Respondeo, per *eandem rationem*, quæ dicitur debere conuenire prædicto vniuoco, non intelligi vnam, & eandem positiue, & realiter, scilicet eandem vnitatem conformitatis, & similitudinis essentialis.

## S E C T I O III.

*Vtrum supradicta unitas formalis, sit à parte rei communis, & distincta à numero.*

**P**Artem affirmatiuam tuentur Scotistæ communiter, tum pro communitate ex parte rei, tum pro distinctione à numerica: Thomistæ vero vtrumque negant. Proponemus in primis sententiam scotistarum, & deinde aliam, cum solutionibus argumentorum vtriusque.

Scotus itaque, & scotistæ locis supra citatis asserunt vnitatem formalem de qua præcedenti sectione egimus, & consequenter naturam, cui conuenit, esse à parte rei multis communem, & à parte rei ab unitate numerica distinctam.

Probatur primò ex Aristotele 1. Metaphys. c. 14. initio. vbi ait eandem esse rationem animalis in homine, & equo. & 2. de anima, c. 7. eandem naturam diaphaneitatis in aqua, & aëre. Non intelligit autem esse eandem numero, ut notum est; neque eandem per intellectum, ut patet; ergo eandem formaliter à parte rei. Adde Porphyrium c. de specie, vbi dicit plures homines participatione speciei esse unum hominem: & sic euidenter adstruitur unitas formalis specifica, pluribus hominibus à parte rei communis.

Probatur secundò. Relationes identitatis, similitudinis, & æqualitatis fundantur in unitate, ex Aristotele, 5. Metaph. c. 15. ideo enim duo alba sunt similia, quia habent eandem specie albedinem, ideo æqualia, quia habent eadem quantitatem: sed similitudo inter duo alba est realis, ergo ratio, super qua fundatur, hoc est unitas, debet esse realis, ut notum est: sed hæc non potest esse unitas numeralis, quia duo alba non sunt unum numero: neque

vnum, & idem potest esse sibi realiter simile: ergo est vnitas formalis, vtrique albo communis, & ex naturā rei ab vnitate numerali distincta. Si enim esset solum distincta per intellectum, esset fundamentum talis relationis, solum quando per intellectum distingueretur.

Probatur tertio. Sublatā omni intellectus operatione, hic ignis, verbi gratia, producit hunc ignem, sibi similem in formā, & natura: & hæc productio, seu generatio, est vniuoca, quæ requirit consequenter vnitatem formæ in generante, & in genito, non numericam, vt patet, ergo formalem, quæ realis est, quia intellectus non facit hanc generationem esse vniuocam.

Probatur quartò. Vnius potentiae, verbi gratiâ visuæ, est vnum obiectum; sed non est vnum numero, quia sic non posset videre nisi vnum numero colorem; neque vnum per intellectum, quia actio sensus præcedit actum intellectus: ergo vnum vnitate formalī, communī omnibus obiectis visibilibus; atque adeo à numerali distinctā.

Confirmatur autoritate Aristotelis. i. post. c. 24. & l. 2. c. vltimo, ubi sic ait, *etenim sentitur quidem singulare, sed sensus est vniuersalis, veluti hominis, non callit hominis.* Vnde, quamvis sensus dum actu sentit, sentiat singulare; habet tamen pro obiecto rem communem, & vniuersalem.

10. Probatur quintò, quia si omnis vnitas realis esset numeralis, sequeretur omnem realem diuersitatem, esse quoque numeralem: sed consequens est falsum, ergo & antecedens. Probatur sequela maioris, quia eo ipso quo aliquid est vnum in se, est ab alio diuersum, & eodem modo quo in se unum est, eodem est ab alio diuersum; ita vt ratio vnitatis, seu identitatis, quam habet in se, sit ratio diuersitatis ab alio, vt patet 5. Metaphys. c. 9. Ergo, si est vnum numero, erit quoque diuersum numero, & non plus. Item vnum, & multa, idem & diuersum, sunt opposita, ex 10. Metaphys. c. 3. toties autem dicitur vnum oppositorum, quoties dicitur reliquum. ex 1. Topic. c. 13. ergo, si tantum datur vnitas numerica realis, tantum dabitur diuersitas numerica realis.

Quod autem hoc sit falsum, patet, quia sic omnis diuersitas esset æqualis eo quod omnis esset numerica: nec magis differret Petrus à Bucephalo, quam à Paulo: nec posset intellectus abstrahere aliquid commune, magis à Petro, & Paulo, quam à Petro, & Pyro: vnde vniuersale esset purum figuratum. Quæ omnia sunt perabsurda.

Probatur sexto. Si in qualibet re est tantum vnitas realis numerica, quæcumque entitas in illa re existens, erit vna numero: vnde quicquid erit in Petro, erit vnum numero realiter: similiter quicquid erit in Paulo, erit vnum numero realiter: atque adeo omnis entitas realis Petri, erit numero diuersa ab omni entitate Pauli. Sed quæ sunt numero diuersa, sunt primò diuersa, ergo Petrus, & Paulus secundum omnem entitatem realem, quam habent in se, sunt primò diuersi, hoc est in nullo conueniunt à parte rei.

Nam ex Aristotele 7. Metaph. c. 12. differentiae eorum, quae inter se differunt, debent reduci ad aliqua non differentia, seu ad primum diuersa, hoc est ad aliqua, in quibus ea, quae differunt, nullo modo conueniant, alioquin daretur progressus in infinitum in differentijs. Patet autem quod Petrus, & Paulus non habent aliquid aliud in se, per quod sint primum diuersi, & in quo nullo modo conueniant, nisi differentias suas individuales: igitur, si quidquid habent, est unum numero, in nullo conuenient à parte rei, quod est absurdissimum.

Probatur septimum. à parte rei, & seclusa operatione intellectus, Petrus est magis unum cum paulo, quam cum Bucephalo; ergo hæc unitas est realis: sed non est numerica, ut pater, ergo formalis, distincta à parte rei à numerica: quia, si solum esset distincta per intellectum, esset à parte rei numerica, & consequenter esset ex natura rei principium diuersitatis, quod est falsum.

II. Probatur octauo. In quolibet genere est unum primum, quod est mensura omnium, quae sub tali genere continentur ex. 10. Metaph. c. 1. quomodo sol in genere lucidorum, & ignis in genere calidorum, est mensura omnium: unde per comparationem ad naturam solis, cognoscimus perfectionem aliorum Syderum in ratione lucidi, prout magis vel minus ad naturam solis accedunt.

Cum igitur mensurata sint realia, & realiter mensurata, non vero per intellectum, quia ens reale, non potest realiter mensurari ab ente rationis; unitas illius primi debet esse realis sed non est unitas singularis, quia nullum est singulare in genere, quod sit mensura omnium, quae sunt in illo genere, eo quod in individuali eiusdem speciei non est prius & posterius, ex 3. Metaphys. c. 3. neque ullus ordo essentialis, sicut in speciebus, propter quem posterius potest reduci ad prius. Igitur admittenda est alia unitas realis à numerali distincta, quae est unitas formalis, omnibus individuali communis.

Probatur nonc: quia natura non est de se singularis, seu una numero, et est una unitate multis communis, quia differentia numeralis sola facit in propriâ suo individuali, & reddit alteri incommunicabilem. Probatur antecedens primo, quia si natura esset de se una numero, ei de se repugnaret multitudine numeralis, cum hæc duo sint opposita. Secundus: obiectum in quantum obiectum, est naturaliter prius actu potentiae, circa illud versantis: ergo, scilicet in illo priori obiectum est unum numero, & singulare ex se, intellectus non potest ipsum intelligere sub ratione communis, nisi falso, quia intelligeret ipsius sub ratione opposita, & repugnanti illius rationi. Constat autem quod intelligere naturam, verbi gratia humanam, esse communem Petro, & Paulo, & alijs individuali humanis, est vera intellectio, & consequenter obiecto conformis: ergo à parte rei talis natura est communis, & non secundum se singularis, seu una numero; igitur habet unitatem à parte rei, distinctam à numerali, & minorem illâ

Probatur decimò. Quando genus diuiditur in suas species , vt animal in rationale , & irrationale , diuisio non est alicuius animalis singularis, neque in aliquod singulare, vt per se patet: ergo est alicuius naturæ communis realis, conuenientis, tum homini, tum bruto à parte rei: neque enim rationale , irrationale , & animal, sunt termini secundæ intentionis, sed primæ, vt notum est.

12. Dices ; probatum est coclusione secundâ præcedentis sectionis tot esse vnitates formales, quot numericas: atque adeo naturam quamlibet cum sua vnitate formalis multiplicari numero in singulis individuis. Quomodo ergo potest esse aliqua natura communis ? nam commune dicitur, quod individuum existens , participatur idem à multis.

Respondeo, secundùm hanc Scoti sententiam, aliquid posse dici commune dupliciter. Primò per realem existentiam in pluribus ; adeo vt secundùm suam propriam entitatem sit realiter in pluribus : & hoc modo nihil est commune in creatis, sed solum in Deo, cuius essentia eadem individua realiter, est in tribus personis distinctis. Secundò dicitur aliquid commune per indifferentiam , quia ex se est indifferens , vt sit in multis, licet nunquam sit simul in multis : & hoc modo dantur naturæ communes. Nam , cùm natura distinguatur ex parte rei ab vnitate numerica, est prior naturaliter tali vnitate , & consequenter prius est in se una formalis vnitate ; secundùm quam prioritatem est quod quid est, seu quiditas naturalis, quæ per definitionem exprimitur, & à Metaphysica, vt sic, per se consideratur, estque obiectum per se intellectus, abstrahens ab omni contractione, & determinatione ex parte rei.

In hoc ergo statu non repugnat naturæ de se, determinari per quamcumque differentiam individualem: adeo vt , quandò determinatur per petreitatem ad Petrum, possit determinari per pauleitatem ad Paulum, & sic de alijs. Imò, quando de facto determinata est per petreitatem, non repugnat ei secundùm se, hoc est formaliter , seu ex ratione suâ formalis, determinari per pauleitatem : & ita de se est semper communis per talem indifferentiam. Dico de se, quia simpliciter ei repugnat vbi semel determinata est per vnam , determinari per aliam , eo quod iam identificata est realiter cum prima, à qua, nec diuinitus quidem separari potest.

Adde quod huiusmodi vnitatis formalis , quamvis multiplicetur numero in individuis: non multiplicatur tamen , seu non diuiditur formaliter , & intrinsecè , vt fusius explicabitur in sequentibus. Et ita manet communis formaliter. Vide Scotum in 2. d. 3. q. 1. & 6.

## SECTIO IV.

*Soluuntur argumenta in oppositum;*

13. **R A D I T A** iam doctrina de distinctione, & communitate vnitatis formalis, magnas patitur difficultates, tūm ob ingenitem aduersariorum turbam, tūm ob innumera, & valida, vt videntur, argumenta, quibus eam impugnant. Vt igitur firma consistat, p̄cipua ex his soluere iuuat, ex quorum solutione, cetera facilē diluentur.

Primum argumentum sic procedit. quicquid est in eodem numero, est vnum numero: sed vnitatis illa formalis, seu naturæ, est in eodem numero, vt in Petro, ergo est vnitatis numerica à parte rei, & sic non est vnitatis minor numerali, ab eâque distincta.

Respondeo primò ex Scoto in 2. d. 3. q. 6 n. 10. Si hoc argumentum valeret, valeret etiam istud. quicquid est in vna specie, est vnum specie: sed color existens in albedine, est in vna specie: ergo est vnum specie; ergo non habet vnitatem minorem vnitate specificâ, nempe genericam. Hoc autem patet esse falsum.

Respondeo secundò ex eodem ibidem, aliquid posse dici vnum specie, vel numero, tripliciter, nimirum vel per se primò, vel per se solum, non primò; vel denominatiuè, & per accidens. Per se primò quidem, quando ipsi conuenit independenter à quacunque alia ratione. Per se autem, quando ipsi conuenit per aliquid sibi intrinsecum, vt per partem aliquam sui, quod indicat Aristoteles 5. Metaph. c. 18. his verbis. *Homo dicitur secundum se vivens: anima namque pars quedam hominis est, in qua prima ipsum vivere est &c.* Per accidens denique, & denominatiuè, quando ipsi conuenit accidentaliter, & extrinsecè, hoc est per aliquid, quod est extra rationem, & conceptum illius.

Itaque color in albedine est vnum specie, non per se, vel de se, nec primò, sed denominatiuè tantum, quia per differentiam, quæ est omnino extra rationem generis. Differentia verò specifica, est vna per se primò, quia sibi primò repugnat diuidi in plura specie: albedo denique est vna specie per se, sed non primò, quia per aliquid sibi intrinsecum, scilicet per illam differentiam.

Pari ratione, quicquid est in eodem numero, est vnum numero, vel per se primò, vt differentia individualis, aut id, per quod talis differentia ei conuenit: vel per se tantum, vt individuum, quia per illam differentiam sibi intrinsecam, partemque sui: vel denominatiuè, vt natura, vel vnitatis formalis, & communis, quæ contrahitur, & determinatur

per unitatem numericam, quae est extra conceptum eius, & ita relinquuntur eam ex se unam unitate minori, quam sit numeralis.

14. Secundum argumentum. Si unitas numerica distinguitur ex parte rei a formalis, & a natura, cuius est unitas: sumuntur duæ hujusmodi unitates, & differentiae individuales, verbi gratia, *Petreitas*, & *Pauleitas*. Quare vtrum in aliquo inter se conueniant, vel omnino inter se differant? Dici non potest quod omnino differant: tum quia individualia per eas constituta, omnino essent diuersa: distincta enim sunt aequaliter diuersa, atque distinguuntur: unde Petrus, & Paulus non essent ejusdem speciei, quod est absurdum. tum quia non potest negari, quin Petreitas, & Pauleitas minus inter se differant, quam Petreitas, & Bucephaleitas, vel Petreitas, & singularitas hujus lapidis, hujus caloris. Nam singularitas omnium substantiarum est substantialis: accidentium偶然的; materialium, materialis; spiritualium, spiritualis &c. Ergo necesse est dicere, quod Petreitas, & Pauleitas conuenient in specie singularitatis humanae.

Vnde queritur per quid differant, tum inter se, tum a bratali? Si dicatur per alias differentias distinctas, eadem fiet quaestio de illis, & eodem modo probabitur eas inter se conuenire, tum in ratione communis singularitatis, tum singularitatis substantialis, humanæ &c. & ecce progressus in infinitum. Si vero dicatur quod per seiphas differant, potuit eodem modo fieri status in natura Petri, & Pauli, & dici quod seiphas conuenient simul, & differant, quatenus una est haec, & altera illa: & sic quod differentia individualis sola ratione distinguitur a natura.

Respondo primò, idem incommodum inferri posse, etiam si differentia individualis dicatur sola ratione distingui a natura: nam Petreitas, & Pauleitas hoc modo a naturis suis distinctæ, conuenire intelliguntur in ratione specifica singularitatis humanæ, & differre in ratione individuali: de qua ratione individuali fiet rursus idem argumentum, & ita in infinitum. Quapropter.

15. Respondeo secundò ex Scoto proximè citato n. 14. differentias individuales esse seiphas primò diuersas inter se, nec magis differre Petreitatem a Bucephalitate, quam a Pauleitate, quia omnis differentia numerica, in quantum numericus, est aequalis. Potest tamen inter eas aliunde revertiri conuenientia specifica, aut generica, sed reductiè tantum, concomitantia, connotatiuè, & extrinsecè, quatenus sunt sub iisdem generibus, & speciebus, ratione identitatis realis cum natura communis; non autem in se intrinsecè, quatenus sunt ultimæ realitates, constituentes individualia numero differentia, quia, ut sic, in nullo quidditatiuè conuenient. Nam ex Aristotele 7. Metaph. c. 12. differentiae differentium debent reduci ad aliqua primo diuersa, hoc est diuersa per se, non per aliud, alioquin esset progressus in infinitum.

Vnde qualibet differentia, eo ipso quod sunt rationes differendi

seipsis ab alijs differunt, neque componuntur, ut sic, ex ratione communi, & alia differentia. Quod potest clarè ostendi, etiam in differentijs subalternis, atque atomis. Nam rationale, & sensibile non componuntur formaliter ex alijs differentijs: sed sensibile differt seipso à ratione insensibili lapidis: & rationale ab hinnibili. Nec inde sequitur, quòd constituta per tales differentias, in nullo conueniant, quia præter distinguentia, hoc est præter illas differentias, includunt aliud, in quo, ut sic, non differunt.

16. Tertium argumentum. Natura singularis, verbi gratia, natura humana Petri, quatenus ex parte rei distincta est à Petreitate, est adhuc realiter in se singularis: ergo singularitas, seu differentia individualis superaddita, est frustra. Consequentia est euidentis. Probatut antecedens primò, quia natura humana Petri, quatenus est prior naturaliter Petreitate, habet entitatem suam independenter à Petreitate; prius enim in ratione prioris, non dependet à posteriori. Ergo in illo priori est in se singularis, & individualia absque Petreitate, quia, ut sic, intelligitur esse extra causas suas, & realiter existere: nihil autem potest terminare actiones causarum, & per existentiam actuari, nisi quòd est singulare, ex i. Metaph. c. i. circa medium.

Probatur secundò idem antecedens, quia entitas naturæ humanæ Petri, ut à Petreitate distincta, incomunicabilis est, & individualis in plures naturas ejusdem rationis: ergo ut sic, habet per se unitatem individualis.

Tertiò. natura Petri per se sumpta secundum propriam entitatem, non est à parte rei eadem cum natura Pauli per se sumpta, & ut à Pauliteate distincta: vna enim potest existere sine altera: & cum Petrus, & Paulus sint duo homines, humanitates eorum non possunt esse prorsus idem: & denique de illis verum est dicere, *hac & illa* natura: ergo sunt individualis & numero distinctæ, & consequenter frustra ponuntur differentiae individuales distinguentes.

Quartò. omnis actus singularis supponit potentiam singularem: nam ex 2. Physic. c. 3. forma singularis supponit materiam singularem. eadem autem est ratio de alio quouis actu, & potentia: sed Petreitas, & Pauleitas &c. sunt quidam actus singulares: ergo supponunt potentias singulares. Igitur natura, quæ est potentia, per differentiam individualis actuabilis, est in se singularis, & ita non sit singularis ab hujusmodi facta hæcceitate.

Quinto. Quicquid conuenit vni individuali, & repugnat alteri ejusdem speciei, supponit eorum distinctionem, ut patet; sed Petreitas conuenit Petro, & repugnat Paulo: ergo supponit distinctionem Petri à Paulo. Igitur frustra ponitur Petreitas, distincta à natura humana Petri: unde tandem sequitur naturam non esse à parte rei communeam.

17. Respondeo: negando antecedens: & dico hoc totum argumentum & quæ pugnare contra aduersarios, qui dicunt differentiam individualis

addere aliquid naturæ communi , ab ipsa formaliter , hoc est ratione ratiocinatâ distinctum . Concipiatur ergo natura humana Petri in se , quatenus ratione distincta est à Petreitate . Tunc vel intelligitur singularis , & individua , vel non ? incomunicabilis , & individuabilis in plures ejusdem rationis , vel non ? distincta à natura Pauli , vel non ? potentia singularis , vel non ? si sic . Ecce sequuntur omnia absurdâ , quæ in illis probationibus contrâ istam sententiam inferuntur : scilicet frustra addi hæc cœtatem , ratione distinctam à natura , & naturam numero distinguenter , cum hoc habeat ex se absque tali hæc cœtate .

Si verò dicatur quod non : hoc est naturam non concipi singularem , & ab alia natura numero diuersam , absque hæc cœtate superaddita per rationem : pars ratione dicetur , talem naturam non esse à parte rei singularem , nec ab alia numero diuersam , nec individuabilem in plures , nec potentiam singularem absque hæc cœtate superaddita : & ita adducendæ erunt fortiores rationes ad probandum hæc cœtatem illam non esse ex natura rei distinctam ab entitate naturæ , & ex his sufficienter solutum foret argumentum . Nihilominus ut ista sententia latius explicetur .

Respondeo ad primam probationem antecedentis negati : naturam in illo signo , quo concipitur prior Petreitate , non esse singularem , nec unam numero , nec plures , sed tantum esse naturam , quia *equitas est tantum equitas* , nec ex se una , nec plures , inquit Auicenna . 5. Metaph . c. i. quod communiter citatur à Diuo Thom . Scoto , & alijs tanquam axioma . Nec obstat illud metaphysicum , *quodlibet est vel non est* , quia licet verum sit , si absolute sumatur : tamen si ei addatur aliqua limitatio , vel reduplicatio , quales sunt , *essentialiter , accidentaliter , præcisè , secundum se &c.* non est necesse ut alterum cuilibet rei conueniat . Vnde , sicut homo , ut homo , non est risibilis , neque non risibilis , quia neutrum est de illius essentia : ita natura Petri , ut præcisa à Petreitate , non est una , nec non una , siue plures ex ratione sua formalis , quia neutrum est de ejus essentia , licet à parte rei sit una , & positivè distincta à quâuis alia .

Et hoc etiam verum est in sententia opposita Thomistarum , qui post D . Thomam c. 4. dē ente & essentia , distinguunt triplicem statum naturæ ; unum quo est contracta , & singularibus affecta conditionibus , alium , quo est in intellectu ; & tertium quo est natura simpliciter : & in isto tertio statu , inquiunt , ei conueniunt tantum sua prædicata quidditatis , & quæ in illius definitione includuntur .

Nequè obstat quod in illo priori intelligatur existere , nam existentia non est principium individuationis , ut ostendetur in metaphysica : neque singularitas constituit naturam in esse existentis . Et quamvis nulla res possit existere sine singularitate , propter identitatem realem , quam habet cum illa : potest tamen existere ut ex natura rei formaliter à singularitate distincta . Ideò autem generatio dicitur terminari ad aliquid singu-

lare, quia res non producuntur ut vniuersales primò, sed ut singulares, & in singulari, quia non possunt existere nisi in singularibus, & ut singulares, siue alioquin sint singulares per se, sive tantum denominatiè, modo explicato ad primum argumentum.

18. Respondeo ad secundam probationem, entitatem naturae humanae Petri, ut à petreitate distinctam, ex se, seu ex suâ ratione formalis esse indifferentem ad petreitatem, ad pauleitatem, & ad aliam quamlibet differentiam individualis, atque adeo esse communem ex se, non verò incommunicabilem, seu individualis, ut patet ex calce präcedentis sectionis: quamvis simpliciter & realiter ut existit à parte rei, non sit hoc modo indifferentis.

Respondeo ad tertiam sicut ad primam, nempè naturam Petri, & naturam Pauli, ut präcisas à differentijs individualibus, neque esse unam, eandemque naturam positivè, neque ut sic, illo modo distincti positivè, quia sublati distincti non potest stare distinctio. Quare in illa probatione implicantur termini oppositi, dum dicitur quod una natura possit existere sine altera: & quod Petrus, & Paulus sunt duo homines, atque adeo eorum humanitates debeant esse duæ: & quod possit dici de illis, *hac & illa* natura. Nam primò supponuntur präscindi, & considerari absque differentijs Petri & Pauli; & deinde tribuuntur illis, quæ non possunt illis conuenire, nisi prout existit à parte rei conjunctæ cum talibus differentijs.

Deinde: esto concedatur cum Rada tom. 2. controversia 3. a. 4. in responsionibus, huiusmodi naturas esse distinctas entitariè: non ideo tamen verum erit eas esse individualis, aut numero diuersas: sicut natura ipsa, & singularitas sua: Item genus & differentia sua, ex natura rei distincta sunt; & tamen non sunt numero distincta, neque specie: vnde abusuè diceretur *hac & illa* natura, nisi accedat differentia numeralis positiva.

Respondeo ad quartam, quæ est Cajetani de ente & essentia c. 2. q. 4. Negando maiorem, non est enim vera de actu, qui constituit potentiam in esse tali, hoc est in esse singularis, quia nullum haberet effectum. Actus enim qui determinat aliquid indeterminatum, non potest presupponere illud determinatum: sicut actus specificus non presupponit potentiam suam, hoc est genus, habere esse specificum, sed illud ei tribuit. Nec valet quod affertur de forma, quia munus eius non est reddere materiam singularem, sicut munus est differentiæ individualis. Adde quod, cum res non generentur in communi, necesse est hanc numero formam recipi in hac numero materia.

Respondeo ad quintam, quæ est etiam Cajetani ibidem, negando maiorem, quando illud quod conuenit, efficit distinctionem cius, cui conuenit, ab alio: ut patet in simili de differentia specifica: nam rationale conuenit homini, & repugnat equo; & tamen non supponit distinctionem hominis ab equo, sed eam efficit.

## II. PARS SECTIONIS.

*Soluuntur reliqua argumenta.*

19. **V**ARTVM argumentum. Si natura ex se communis est, nec magis petit esse in vno singulari, quam in alio, erit in Deo aliqua ratio communis, indifferens ad singularitatem Dei, & ad singularitatem Petri: & sic entitas substantia diuinæ, quæ vniuersaliter conuenit Deo, & creaturis ex Scoto, potuit esse in Petro, & consequenter potuit non esse Deus; immo non potest esse Deus, quia quidquid est Deus, est necessariò Deus, ut ratione, & fide certum est. Quid autem absurdius dici potest? igitur non debet admitti talis indifferencia in natura ex parte rei, nec consequenter talis distinctio formalis inter naturam, & hæcceitatem.

Respondeo secundò, me non admittere distinctionem formalem ex natura rei in Deo, ut supra admonui, quia Philosophus non debet facile exire Philosophiæ limites.

Respondeo secundò, hoc argumentum nihil valere respectu Dei, etiam si huiusmodi distinctio in illo admitteretur, quia Deus est essentia-liter primum ens duratione, perfectione, natura & intellectu, à quo cetera dependent, ipsum autem à nullo; & sic non potest intelligi aliquid esse possibile, quin Deus prius existere supponatur, atque adeò omnis perfectio, & omnis ratio entis, alicui creaturæ communicabilis, debet intelligi esse prius in Deo, qui eam debet communicare. Non potest ergo intelligi ratio substantia, quæ est in Deo, potuisse esse in Petro, alioquin deberet intelligi aliqua causa prior Deo, quæ illam rationem posset producere indifferenter vel in Deo, vel in creatura, quod est impossibile.

Præterea, ut bene ait D. Thomas I. p. q. II. a. 3. & Scotus q. illâ 6. n. 20. & alibi, natura diuina est de se *hac*, singularis, & individua. Singularitas enim est ultima perfectio, & consequenter includitur necessariò in conceptu essentiali Dei, cum non possit stare summa simplicitas Dei, cum natura potentiali, & contrahibili per actum, seu differentiam individualem. Vnde quicquid est in Deo, est actuale, non potentiale, nec indifferens: ideoque non potest dici, quod eadem entitas substantia, quæ est in Deo, possit ex se determinari per singularitatem Petri, quia scilicet est de se *hac*, & determinata, non autem communis, & determinabilis.

20. Instabis, hoc argumentum saltem valere in creatis, in quibus distinctio formalis ex natura rei reperitur: & ita verum erit dicere, quod in Angelo, verbi gratia, est aliqua cæptitas, quæ eadem potuit esse in lapide

& vice versa, quod in lapide sit aliqua ratio, seu gradus entis, qui potuit esse in Angelo: vnde Angelus includet aliquid, quod non est spiritale, quia quod potest esse in lapide, spiritale non est.

Respondeo. *Entitas quæ est in Angelo, potuit esse in lapide*: eadem formaliter, seu secundum unitatem formalem considerata, concedo: eadem realiter, & positivè, nego. Hoc est dicere, quod eadem ratio substantiæ quidditativè, & formaliter sumpta, est in lapide, & in Angelo, ita ut quæ est in Angelo, secundum suum formalem conceptum sit similis illi, quæ est in lapide, non verò eadem positivè, realiter, & individualiter.

Neque hoc videri debet absurdum, quia ratio substantiæ, non est formaliter diversa in Angelo & lapide, sed tantum diversificatur ratione differentiæ specificæ, ipsi annexæ, quæ sublatâ, non includit aliquam repugnantiam in suâ ratione formalis, quò minus conjungi possit cum differentia alterius rei: vbi autem concipitur esse in Angelo, non potest esse realiter eadem in lapide, vt dixi in calce præcedentis sectionis, propter identitatem realem differentiæ specificæ cum ipsa, per quam facta est realiter spiritalis, quod non habet ex suâ ratione formalis, alioquin omne quod esset substantia, esset spiritale. & hæc solutio potest etiam adhiberi ad præcedens argumentum respectu Dei, vt patet.

21. Quintum argumentum. si unitas formalis, multis communis conueniat naturæ à parte rei, & secundum se; sequitur vel ipsam non posse fieri particularem; vel conuenire omnibus, & singulis individualibus: sed utrumque est absurdum: ergo non datur talis unitas.

Probatur sequela maioris primò quoad primam partem, quia talis unitas communis conuenit naturæ secundum se, tanquam propria eius passio, ex Scoto locis supra citatis, & expressius in 2. d. 3. q. 1. n. 7. & n. 10. in fine: ergo non potest ei conuenire vt fiat particularis, & alicui propria, quia commune, & particulare opposita sunt: & cui de se conuenit unum oppositum, ei de se repugnat aliud oppositum.

Quoad secundam verò partem probatur eadem sequela maioris, quia quod conuenit alicui naturæ per se realiter, conuenit ei ubique: vt, quia naturæ humanae conuenit secundum se, quod sit rationalis, conuenit illi rationalitas in Petro, Paulo &c. Sed unitas communis conuenit naturæ, verbi gratia humanae, secundum se, & vt propria passio; ergo conuenit ei ubique, & inseparabiliter: hoc autem utrumque est absurdum; quæ est minor argumenti facti. Primum quidem, quia natura sit particularis, & propria cuilibet individuali, atque adeo secundum omnes gradus, quos habet à parte rei, dividitur realiter per differentias individuales; ita vt quicquid est in Petro, sit singulare, & numero distinctum ab his, quæ sunt in Paulo. Secundum verò, quia sic Petrus esset unus unitate multis communi, quæ duo sibi opponuntur, ita vt unum, & diuisum, seu commune se mutuo destruant.

Respondeo ad primam partem maioris, & ad eius probationem, uni-

tatem communem non posse fieri particularem intrinsecè, & perse, quia per se est communis, & indiuisa formaliter, sed tantum extrinsecè, & denominatiuè, vt dictum est in solutione primi: quæ duo non sunt opposita, cùm sumantur diuerso modo.

1. Respondeo ad secundam partem eiusdem maioris, & ad eius probationem, huiusmodi unitatem conuenire omnibus, & singulis individuali ratione naturæ in illis existentis, secundum se spectatæ; non verò redundatiuè, vt contractæ, & differentiæ individuali formaliter affectæ: & sic Petrus erit unus unitate multis communi, unus, inquam, vt quo, hoc est quoad formam, seu naturam humanam, non verò vt quod, id est non prout est hoc individualium singulare, & incomunicabile. Potest tamen dici Petrus absolute incomunicabilis, licet natura humana Petri sit communicabilis, sicut dicitur absolute mortalis, licet eius anima sit immortalis: cuius ratio est, quia hæc etas est proprius actus naturæ, faciens hanc, & incomunicabilem: at immortalitas animæ non est in corpore, vt actus corporis.

22. Sextum argumentum. Idem omnino est Petro esse hominem, & esse hunc hominem: ergo Petreitas, per quam est hic homo, non est distincta ab humanitate, per quam est homo. Antecedens patet, quia Petrus non potest esse homo per humanitatem vagam, & sibi non propriam, sed in se existentem & determinatam; ergo particularem, & hanc numero. Accedit authoritas Aristotelis 4. Metaph. c. 2. paulò post initium, ubi sic ait. *Idem enim unus homo, & ens homo, ac homo: & non significat aliquid diuersum, secundum dictionem reperitam, id est homo, & homo, & unus homo.*

Respondeo distinguendo antecedens. Idem est Petro esse hominem, & esse hunc hominem quoad entitatem formalem, & quidditatiuam naturæ humanæ, concedo, quia humanitas communis, in Petro est eadem entitas quidditatiua cum humanitate particulari. Idem est Petro esse hominem, & esse hunc hominem quoad entitatem materialem, & individuali, nego, quia *hic homo*, supra humanitatem addit differentiam individuali, ex naturâ rei distinctam ab illa.

Hæc autem differentia dicitur entitas materialis, vel materia Metaphysica, sicut differentia specifica appellatur forma, quia specifica constituit rem in esse prædicabilis: individualis verò in esse subiectibilis: prædicatum autem habet rationem formæ, & subjectum rationem materiae. Item specifica constituit speciem in esse quidditatiuo, quod per definitionem exprimitur: individualis verò, licet ad conceptum individuali intrinsecè pertineat; non constituit tamen, neque pertinet ad esse quidditatiuum illius, alioquin individualia quidditatiuè, & definitione essentiali different: proprium autem est formæ constituere in esse essentiali, & specifico; non verò materiae.

Tertio Arist. 5. Metaph. c. de causa, & lib. 7. c. de partibus definitio-

nis

nis appellat materiam quodlibet habens quidditatem contractam; quidditatem verò absolutè vocat formam, vt ibi rectè interpretatur Scotus: & sic differentia specifica, quæ constituit in esse quidditatiuo, rectè vocatur formalis: differentia verò individualis, quæ constituit in esse contracto, rectè vocatur materialis. Denique, licet individualis contrahat naturam specificam ad esse hoc, non tamen tanquam quid nobilius ipsâ naturâ, à qua potius perficitur: in quo differt à specificâ, quæ perficit essentialiter genus, quod contrahit: proprium est autem formæ perficere, & materia perfici. Ita fermè Scotus in 2. d. 3. q. 6. n. 12. & 13.

Ad authoritatem Aristotelis respondeo ipsum tantum velle hominem, & unum hominem, esse idem realiter, & inseparabiliter, non autem formaliter, quod patet ibidem paulò ante ubi ait, *si itaque ens & unum, idem ac una natura sunt, propterea quod se in unicem sequuntur, sicut principium & causa sed non quod una ratione significantur.* Et 10. Metaph. c. 2. in fine. *Quod autem idem significat quodammodo unum & ens, patet etiam ex eo quod aequaliter sequitur prædicamenta.* ubi particula quodammodo, distinctionem indicat rationum formalium.

23. Septimum argumentum, quod sibi proponit Ioannes de Bassolis. Quando partes aquæ dividuntur, acquirunt suas differentias individuales, quia fiunt multæ: quando verò rursus vniuntur, eas amittunt, quia ex multis fit una aqua numero: ergo differentiae individuales perirent, quando in unam vniuntur aquam. Hoc autem est contra Scotum, ex quo ea, quæ solum formaliter distinguntur, separari non possent, nec unum perire sine alio.

Respondeo, guttas & unitas, & separatas, semper seruare suam unitatem entitatiuam, & suas differentias individuales easdem; quæ, cum fiunt in toto, constituunt differentiam individualem totius, eo modo, quo totum ipsum constituunt. Unde unitas totius aquæ, est unitas integra: unitas verò vniuersusque guttae, est unitas partialis: quia, licet singulæ, seorsim in se spectatae, sint quoddam totum; sumptæ tamen comparatiæ ad totam aquam, habent rationem partium: & ita in unitatis verum est dicere earum hæc cœtates esse unitas, in diuisis verò diuisas: atque adeò mutatur tantum unitas, & distinctio quantitatua, quâ dicuntur una, vel plures in quantitate discreta.

Et hæc sint satis, quæ ideo fusiùs prosecutus sum, quia hæc distinctio formalis in qua fundatur naturæ communitas, rejicitur nimis communiter, præterquam à Scotistis.

## SECTIO V.

*Soluuntur argumenta pro communitate naturæ allata.*

24. **S**i cui probabilior videatur Thomistarum sententia, negans communitatem naturæ ex parte rei, poterit videre solutiones argumentorum, quibus formalis Scoti distinctio probari solet, sectione octauâ quæstionis præcedentis: tali enim distinctione sublatâ, tollitur statim communitas naturæ ex parte rei, vt patet ex dictis iuxta Scoti fundamenta. Nihilominus, quia adhuc specialis difficultas eidem quæstioni accessisse videtur ex argumentis in tertia sectione præcedenti factis, eorum solutionem in sequentibus subjungam. pro clariori autem totius rei intelligentia.

Prænotandum est primò ex D. Thoma opusc. 48. tract. I. c. 4. (Si tamen eius est opusculum) & Thomistis, naturam quamlibet præsertim specificam, quamvis non habeat unitatem aliquam, quæ fine operatione intellectus dici possit multis communis, indiuisa, & realiter eadem, quia quidquid existit, est singulare, & ex natura rei numericè diuisum, & distinctum à quovis alio: habere tamen unitatem conformitatis, seu similitudinem, & conuenientiam realem, per quam individua realiter inter se conueniant.

Non enim potest rationabiliter negari, quin Petrus, & Paulus magis inter se conueniant, quam Petrus & Bucephalus, quia ille uterque, est animal rationale, non autem isti ambo: & ita rectè dicitur natura Petri esse conformis, & similis naturæ Pauli in prædicatis essentialibus: propter quam conformitatem, secundum communem usum loquendi, dicitur utrumque esse eadem natura humana. Quæ enim similia sunt in natura specifica, aut generica, siue alia quam germana similitudine, vocantur *vnum*: sic duo homines in vultu maxime similes, unam eandemque faciem habere dicuntur.

25. Prænotandum est secundò dari in rebus distinctionem quandam virtualem, seu fundamentalem, de qua egimus. q. 2. sect. 4. huius libri, & eam reperiri inter unitatem formalem, & individualem, quatenus idem individuum à parte rei conuenit simul, & differt ab alio eiusdem speciei per eandem re ipsa entitatem, ac si haberet duplimentem, ex natura rei distinctam, & diversam.

Quemadmodum enim in natura specifica, verbi gratia, humana intelligimus esse duas realitates, virtualiter, aut ratione ratiocinata distingitas; nimirum animalitatem, & rationalitatem, per quarum alteram conueniat cum equo, & per alteram ab eo differat: ita in eadem natura

intelligimus duplarem quasi entitatem, virtute distinctam: alteram quiditatuum, & formalem, in qua omnia individua conueniant; alteram particularem, & materialem, per quam inter se distinguantur: & quemadmodum natura specifica habet ex differentia specifica, ut non possit dividiri in alias naturas specificas: ita individuum habet à differentia individuali, vt sit individuabile in alia individua, tanquam in partes subjectivas, vt supra explicatum est.

Denique sicut differentia specifica contrahit genus, & simul cum eo constituit speciem: ita differentia individualis contrahit naturam totam specificam, tanquam quid potentiale; & cum ea constituit individuum. Ex qua comparatione satis intelligitur fundamentum distinctionis, quam facit intellectus inter naturam communem, seu unitatem formalem, & unitatem numericam. Et inde facilè posse solvi argumenta tertiae sectionis praecedentis: quia tamen specialis eorum solutio, egregiam satis doctrinam continet, operæ pretium est ea omnia sigillatim soluere. Itaque

26. Respondeo ad primum. Aristotelem, & Porphyrium, per unitatem, seu identitatem, intelligere unitatem conformitatis, hoc est realem conuenientiam, & similitudinem, quam individua eiusdem speciei habent inter se in praedictis quidditatibus. Quod si Porphyrius loquatur de unitate formaliter specifica, sensus est plures homines conuenire in conceptu hominis, qui quantum est de se, est indeterminatus, & idem ad omnes homines: & ita sola unitas rationis ibi intelligitur.

Respondeo ad secundum primum, Aristotelem non dicere similitudinem &c. fundari in unitate, sed ea esse similia, quorum qualitas una. Ex quo non potest inferri distinctio inter similitudinem, & unitatem; aut unitatem esse fundamentaliter similitudinis: sicut ex eo quod sic loquamur, illud est homo, quod est animal rationale, non bene infertur quod animal rationale, sit ab homine distinctum, sed potius oppositum.

Respondeo secundò, tales relationes fundari in unitate conformitatis, quatenus supponunt in extremis conformitatem in attributis, vel essentialibus, vt identitas; vel accidentalibus, vt similitudo, & æqualitas: non verò quod oporteat aliquid unum esse in utroque extremo: cum potius relatio exigat distinctionem realem extremorum: imo secundum multos, rationum fundandi: ideoque relationes similitudinis, & æqualitatis inter diuinam personas ratione essentia, sunt tantum relationes rationis, quia diuina essentia, quae est ratio fundandi illas, non est distincta. Ita docet D. Thom. I. p. q. 28. a. 4. ad 4. & q. 42. a. 1. ad 4. sufficit porro distinctio virtualis inter unitatem numericam, & formalem, vt tales relationes non dicantur fundari in numerica.

Respondeo ad tertium: generationem ignis ab igne, esse unituocam, & supponere unitatem formæ in generante & in genito, unitatem inquam, fundamentalem, & conformitatis, ex qua intellectus sumit occasionem

concipiendi multa ut vnum, vnde oritur denominatio vniuoci, quam intellectus facit formaliter, non fundamentaliter.

27. Respondeo ad quartum, vnitatem obiecti sensus esse similiter vnitatem conformitatis. Quia enim omnia visibilia, verbi gratia, conformitatem quandam habent inter se in ordine ad potentiam visuam, quatenus possunt eam mouere per species sensiles, ideo visus non tendit ad vnum potius, quam ad aliud; nec ad vnum numero, & in particulari, exclusis alijs, sed ad quodvis ex illis indefinite; & consequenter ad omnia ut vnum sunt, hoc est similia. Adde quod argumentum videtur supponere falsum. Nam sensus non attingit, nisi singularia: intellectus autem vniuersalia, & communia, ut patet ex Arift. 2. de anima, c. 5. vnde 1. Metaph. c. 2. vniuersalia dicuntur remotissima à sensibus.

Ad confirmationem respondeo ex D. Thom. 1. 2. q. 29. a. 6. Vniuersale posse sumi, vel pro intentione vniuersalitatis, vel pro natura, quæ tali intentioni subest, vniuersaliter sumpta. Sensus non est vniuersalis primo modo, bene autem secundo modo. Vnde dicimus, quod obiectum visus est color secundum genus: non quia visus cognoscit colorem vniuersalem, sed quia quod color sit cognoscibilis à visu, non conuenit colori, in quantum est hic color, sed in quantum est color simpliciter. Quare obiectum sensus est singulare, vniuersaliter sumptum, hoc est vagè, & indefinite, ut iam explicuimus, & ita intelligit Aristoteles citato loco.

Respondeo ad quintum primò, negando consequens esse falsum, scilicet omnem realem diuersitatem esse numeralem. Ad probationem falsitatis eius respondet Masius sect. 2. de rebus vniuersis q. 3. ad 5. distinctionem numericam habere latitudinem, ita ut quædam sit maior, quædam minor. Nam quo minus aliqua inter se conueniunt, eo maior est distinctio numerica inter illa; & eo minor, quo magis conueniunt: vnde fit, ut licet Petrus, & Bucephalus differant numero, sicut Petrus, & Paulus: major tamen sit distinctio numerica inter Bucephalum, & Petrum, quam inter Petrum & Paulum.

28. Verum hæc solutio, nisi ei aliquid aliud addatur, non videtur satisfacere, primò quia absurdum videtur dare latitudinem distinctioni numericæ: nam inter res singulares, cuiuscumque sint naturæ, & quomodo cumque inter se comparentur, nulla potest assignari, quæ sit magis individua in se, & magis individuabilis in plures partes subiectivas, quam alia; atque adeo quæ sit magis vna numero, quam alia, cum unitas numerica in illa individuacione consistat. Secundo, quia, dum dicitur, quod Petrus, & Bucephalus magis differunt numero, quam Petrus & Paulus, quia minus conueniunt inter se, quam Petrus & Paulus; vel intelligitur quod minus conueniant numero, & sic est petitio principij, vel quod inter ea quæ minus conueniunt in prædicatis quidditatibus naturæ, sit major distinctio numerica, & hoc non videtur appositiæ dictum,

quia prædicata quidditatia non icludunt in suo conceptu intrinseco vnitatem, vel distinctionem numeralem, & sic non possunt facere eam maiorem, vel minorem.

Deinde in sententia Masij ista propositio est falsa, *qua specie, & quiditatine differunt, numero differunt*, quia albedo, & dulcedo in lacte differunt specie, & tamen non differunt numero, cum sint in eodem subiecto. Ergo ista quoque erit falsa, *qua magis inter se differunt specie seu in prædicatis communibus, magis differunt numero*. Et ita non erit maior distinctione numerica inter Petrum, & Bucephalum, quam inter Petrum & Paulum.

Quapropter dicendum censeo secundò ad prædictum argumentum, quod omnis vnitatis realis, non est numeralis, vt sic; neque consequenter omnis diuersitas realis est numeralis, vt sic. Quamuis enim vnitatis numerica, & vnitatis formalis sint a parte rei eadem entitas: tamen sub proprio conceptu includunt rationes multum diuersas, quia numeralis includit omnimodam indiuisiōnē, & indiuisibilitatem in plura, ita vt per eam repugnet individuo communicari pluribus, quam repugnantiam non includit vnitatis formalis ex se, sed relinquit naturam ex se indifferentem, & indeterminatam.

Præterea formalis est fundamentū, & ratio per quam multa vniuntur, seu conueniunt, & similia sunt in natura: individualis autem dicit simpliciter fundamentum distinctionis, aut distinctionem ipsam. Quia igitur vnitatis formalis, est realis, vt probatum est sectione secundā præcedenti, & includit conditionem oppositam conditioni vnitatis numeralis: non est verum dicere absolute, quod omnis vnitatis realis est numeralis, quamvis identificetur cum numerali, quoad entitatem actualē: & consequenter omnis diuersitas realis non erit numeralis, quia poterit esse formalis, & in prædicatis quidditatibus, modo major, modo minor, vt diximus de vnitate formalis, sectione primā hujus quæstionis, numero 3.

Breuius responderi potest hoc modo. Omnis vnitatis realis est numeralis, realiter actualiter, concedo: realiter virtualiter, nego. Et hæc virtualis distinctione, quæ est inter vnitatem formalem, & numericam, sufficit vt idem individuum simul conueniat, & differat ab alio ejusdem speciei; & vt magis conueniat cum individuo sua speciei, quam cum individuo speciei diuersæ, vt patet ex sectione octaua quæstionis secundæ huius libri, numero 35.

29. Respondeo ad sextum eodem modo: quod scilicet omnis vnitatis, non est numeralis, simpliciter loquendo, seu omni modo: atque adeo quod quidquid est in Petro, non est unum numero realiter virtualiter: & sic Petrus, & Paulus non sunt primò diuersi secundum omne, quod in se habent, quouis modo, & adæquatè sumptum; sed præcisè, vt afficitur conditionibus vnitatis numeralis; vt autem afficitur conditionibus vnitatis formalis, est ratio conuenientiæ, & similitudinis inter illos,

Respondeo ad septimum ex Cajetano in libello de ente , & essentia c. 4. q. 5. circa medium , Petrus est magis vnum cum Paulo , quam cum Bucephalo , per aliquid utriusque commune positiuè , nego : per negationem diuisionis formalis , concedo. Non quod in utroque sit eadem negatio , quia sunt diuersa subjecta , sed quia negatio diuisionis , quæ est in Paulo eundem habet effectum cum negatione , quæ est in Petro , scilicet naturam non esse diuisam per principia formalia.

Ait igitur Cajetanus duo realiter distincta , posse esse vnum duobus modis : primo quando est in utroque aliquid indiuisum , quomodo Pater , & Filius , & Spiritus-sanctus adunantur in natura diuina. Nec aliud potest exemplum assignari. Secundo quando habent mutuam negationem inter se diuisionis formalis , hoc est quando attributa formalia , quæ de uno dicuntur , non negantur de alio , quomodo indiuidea vnius speciei sunt vnum formaliter. Nam Petrus à parte rci habet hanc negationem , quod non sit formaliter diuisus à Paulo : & ita Petrus & Paulus habent duas naturas , inter quas non cadit diuisionis formalis , quæ cadit inter Petrum , & Bucephalum , qui propterea sunt minus vnum.

30. Instabis hanc solutionem falso niti fundamento , quod scilicet unitas formalis sit negatio diuisionis formalis. Nam licet unitas secundario , & quoad nos , includat negationem diuisionis in se , & identitatis ad aliud , ut explicabitur in Metaphysica : tamen principaliter consistit in aliquo positivo , nimirum in eo quod natura sit integra secundum sua prædicata quidditatua , suisque proprijs gradibus terminata , completa , sibi cohærens : & ita natura Pauli , non tantum habet negationem diuisionis formalis , sed habet insuper prædicata quidditatua naturæ humanae , & formalē unitatem positivam , per quæ sibi repugnat diuidi formaliter , & in quibus fundatur talis negatio diuisionis : neque tantum de eo non negantur prædicata , quæ Petro conueniunt , sed etiam positivè affirmantur ; ut quod sit homo , quod sit animal.

Item nulla imperfectione repugnat alicui , nisi propter perfectionem positivam , in eo existentem , & tali imperfectioni oppositam : sed diuidi est imperfectio , & ideo repugnat diuinæ naturæ : ergo natura humana Pauli ideo habet negationem diuisionis à natura Petri , quia habet aliquid positivum in se , ratione cuius ei repugnat diuidi.

Præterea : datur distinctione formalis in re , ergo & unitas formalis in re , quia quot modis dicitur vnum oppositorum , tot modis dicitur & aliud ex I. topic. c. 13.

Quarto . perfecta unitas positiva , tantum requirit entitatem positivam cum negatione diuisionis ; sed hic reperitur entitas positiva cum negatione diuisionis formalis : ergo & unitas positiva.

Denique . Si non sit aliquid positivum in Petro , & Paulo , ratione cuius utriusque repugnet diuidi formaliter , sequitur totam entitatem positivam utriusque posse transire secundum se à negatione diuisionis ad

diuisionem; hoc est posse diuidi, quod falso esse constat. Igitur in eis est aliquid posituum, ratione cuius eis repugnat diuidi, & quod est fundamentum negationis huiusmodi diuisionis formalis: hoc autem non potest esse aliud, nisi unitas formalis, realis, & positiva, utriusque communis, & sic stat robur argumenti.

31. Respondeo primo: verum esse, naturam habere aliquid posituum, ratione cuius ei repugnet diuidi secundum se, hoc est secundum propria, & intrinseca sibi: sed non habet aliquid posituum, ratione cuius ei repugnet diuidi absolute, quia de facto diuiditur, dum numero multiplicatur. Quo sit, ut non inueniatur in natura contracta, & existente, etiam negotio diuisionis absolute, & omni modo, sed solum cum reduplicacione supra ipsa principia formalia: & hoc modo spectata manet indifferens ad pluralitatem, vel unitatem absolute, quam accipit simpliciter ab unitate, aut distinctione numerica. Et ita verum est dari unitatem formalis in re, sicut datur distinctio formalis in re, sed haec unitas est tantum negativa, modo explicato, vel fundamentalis. Quia unam solutionem praedictae omnes instantiae soluta manent, ut patet.

Respondeo secundo. Esto natura dicatur una formaliter unitate positiva, cum numerali identificata, non sequitur quod talis unitas sit positiva communis, cum de facto diuidatur per numericam: ubi enim est multitudo entitatum absolute, ut in individuis, ibi est diversa unitas absolute, quia plures unitates sunt multitudo.

Respondeo tertio breuius, & clarius. Petrus est magis unum cum paulo, quam cum Bucephalo, per unitatem realem, utriusque positivam communem, nego; per unitatem conformitatis, & similitudinis, in utroque distinctam, concedo; & sensus est. Petrus habet naturam magis similem naturae Pauli, quam naturae Bucephali, non autem magis unam, hoc est non minus distinctam, quia nihil Petri est idem in Paulo, sed tota entitas eius est alia à tota entitate alterius.

Instabis hanc ultimam responsionem esse contra doctrinam Aristot. 5. Metaph. c. 15. ubi docet relationem similitudinis fundari in qualitate, non autem in essentia, seu natura substantiae: at Petrus, & Paulus eandem habent essentiam: sunt igitur unum, seu idem in natura humana, & non tantum similes in qualitatibus.

Respondeo apud Aristot. illa dici similia, quae in se habent aliquid idem, sive sit substantia, sive accidentis. Nam i. topic. c. 14. sic loquitur, consideranda autem sunt ea, que sunt sub eodem genere, an quipiam insit omnibus idem, ut homini, & equo, & cani: nam si inest aliquid eis idem, in eo sunt similia. & 5. Metaph. c. 14. differentia substantiae vocatur qualitas: & ita similitudo vel dissimilitudo fundari potest in qualitate substanciali.

## SOLVUNTUR RELIQUA ARGUMENTA.

32. **R**E SPONDEO ad octauum, vnitatem, quæ est fundamen-  
tum hujusmodi mensuræ, esse realem, quia est vni-  
tas formalis, seu naturæ specificæ, quam supra diximus  
realem esse, saltem negatiè: & quando infertur quòd  
non est vnitas numerica, replicandum est esse numericam entitatiè, &  
actualiter, non autem virtualiter, quia non reperitur nisi in individu  
realiter, & actualiter, & numero multiplicata: virtualiter tamen distincta  
est, & ideo includit conditiones diuersas à conditionibus vnitati numé-  
rali proprijs, vt explicuimus ad quintum.

Vnde fit vt, cùm in genere animalis, homo dicatur cæterorum mensura,  
non intelligatur de aliquo homine in particuliari, quatenus est hic  
homo, & secundum suam vnitatem numeralem, verbi gratia de Petro,  
secundum petreitatem; sed prout est homo: & quia natura humana est  
in omnibus hominibus similis, & vna vnitate conformitatis, vt explicata  
est initio sectionis: consequenter potest esse mensura cæterarum spe-  
cierum animalis, in quocumque homine particulari spectetur: & sic non  
vnum individuum determinatum exclusis alijs, nec vnum potius quām  
aliud, sed quodcumque indefinitè erit mensura omnium, quæ sunt in  
genere uno, sicut diximus de obiecto sensus ad quartum.

Respondeo ad nonum, naturam posse spectari, vt sèpè diximus, vel  
prout est in intellectu, & de hoc non agimus in præsenti: vel prout est  
in individu, facta cuilibet propria: vel denique solitariè, & secundum  
se, prout natura est, & secundum prædicata sua intrinseca,

Præterea potest intelligi duplicitè quod natura sit communis, primò  
negatiè, secundò positivè. Negatiè quidem, quando non est appro-  
priata alicui supposito. & commune hoc modo, idem est quod non sin-  
gulare. Nam communitas negatiua, est communitas importans aliquam  
ægationem, quæ non est nisi conditionum contrahentium, & individu-  
quantum: & sic dicitur natura sumi solitariè, hoc est in se absque individu-  
orum confortio. Positiuè autem communis est natura quando individua  
manens reperitur in multis; individua, inquam, vel numericè, vt sola  
diuina; vel formaliter specificè, aut genericè: & de hac vnitate ultima  
procedit argumentum, & est controuersia inter Scotum, & Thomistas.  
his positis.

33. Satisfacio in forma dicto argumento. *Natura non est de se singularis,*  
*seu vna numero*, concedo antecedens, spectando naturam in tertio sta-  
tu iam explicato: quia, sicut homo non est de se albus, hoc est secundum  
sua prædicata intrinseca, ita neque natura est de se singularis, alioquin  
non posset intelligi nisi falso, sub modo opposito singularitati. *Ergo na-*

*tura secundum se, & de se est communis, negatiuè, concedo, positiuè, nego.* Negatiuè quidem, quia ista propositio *natura est communis negatiuè secundum se*, æquivalet illi, *natura secundum se non est singularis, non est alicui individualis, non includit ullam haccitatam*, quia hoc illi accidit, & est extra conceptum eius quidditatiuum, non secus ac vniuersalitas. Positiuè autem communis non est, quia ut existit à parte rei, est realiter diuisa per differentias individuales.

Instabis, ista propositio, *natura secundum se est communis negatiuè, æquivalet illi, natura secundum se non est singularis*, ergo ista vera erit, *natura secundum se est non singularis*, quia valet consequentia à negatiua de prædicato finito, ad affirmatiuam de prædicato infinito, ut expreſſe docet Aristoteles 2. de interpret. c. 1. sub finem.

Respondeo consequentiam illam non esse semper veram, præſertim quando apponitur aliqua limitatio, aut reduplicatio. Vnde si dicas, *homo secundum se non est albus*: ergo *secundum se est non albus*, non valet, quia secundum se, & quatenus homo est, non respicit albe linem, sed indifferenter se habet ad illam: ita &c.

Vrgebis adhuc. Scotus tantum vult naturam secundum se esse indiferentem ad vniuersalitatem, & singularitatem, & ad quanuus singulatatem; & ita esse communem per indifferentiam, quod est esse communem negatiuè: ergo talis communitas negatiua sufficit ad opinionem Scotti, quæ consequenter non erit diuersa ab opinione Thomistarum.

34. Respondeo esse diuersam, quia Thomistæ considerant naturam præcisè secundum se, & sua prædicta quidditatiua, quomodo est negatiuè communis, quia, ut sic, nihil habet, per quod ei repugnet communitas, ut explicatum est. At Scotus vult naturam in illo signo, quo prior est differentijs individualibus, esse communem negatiuè, quia ex naturâ rei distincta est ab illis: imò, etiam ut coniuncta est cum illis, de se communis est, quia secundum se est semper indifferens ob distinctionem illam formalem: sed quia Thomistæ negant talem distinctionem, ideo natura eo ipso quod ponitur existere, dejectur ab illa communitate negatiua, perdit suam solitudinem, fitque propria cuilibet individuali: vnde sicut ipsa natura multiplicatur numero, ita & negatio diuisionis formalis, quæ naturam comitatur, suo modo multiplicatur numero, & sic non manet vna negatio, ut ita possit denominare naturam vnam, negatiuè communem.

Neque obstat quod natura, etiam ut existit à parte rei, non sit ex se multiplicata, & diuisa in plura, sed hoc habeat ex singularitatibus adiunctis extrinsecè, non vero ex proprijs, & essentialibus: non enim ideo potest absolutè dici negatiuè communis dum existit, sed cum ista tantum reduplicatione, *quantum ex principijs formalibus*. Vnde, sicut non conuenit aeris ex proprijs, quod sit lucidus; & tamen quando actu illuminatur, non potest dici absolutè quod non sit lucidus: ita, cum natu-

ra sit actu multiplicata, & singularisata, non potest dici absolutè quod in re sit communis negatiuè, licet ex proprijs non habeat singularitatem, & multiplicationem.

Respondeo ad decimum. Quando genus diuiditur in suas species, diuisio non est alicuius singularis, concedo; ergo est alicuius naturæ communis, negatiuè, & communitate indifferentiæ concedo: communitate positiuè, nego. Et similiter id, in quod diuiditur, est commune non positiuè, sed negatiuè: aut, si positiuè, tantum hoc habet ab intellectu.

Quando enim animal diuiditur in rationale, & irrationalis; id quod diuiditur, est natura sensitua secundum se spectata, cum prædicatis quiditatiis, quo nōodo non est singularis, nec positiuè communis, sed indifferentis ad utrumque: à quā indifferentia paulatim deiecit per contradictionem differentiarum, cū quibus coniungitur. Nam animal brutum, vt sic consideratum, nondum est commune positiuè, quia non intelligitur esse in multis, nec potius in equo, quām in leone: similiter animal rationale, vt sic, non intelligitur esse in Petro, vel Paulo.

Quod si spectetur huiusmodi diuisio, prout fit à parte rei, animal non est aliquid reale, existens ante singula, quia esset idea Platonis: atque adeo id, in quod diuiditur, non potest esse realiter commune, ne quidem communitate indifferentiæ; sed singulare, non hoc in particulari, sed indefinitè hoc, vel illud, & quocumque aliud.



## Q V A E S T I O I V.

An detur vniuersale à parte rei.

VÆSTIONE primâ hujus libri sect. 3. ostendimus contra Heraclitum, & Cratylum, atque veteres nominales, admittendas esse à parte rei naturas, quæ possent verè denominari vniuersales, quæque communiter vocari solent materiales, seu substratum vniuersalis. Nunc, vbi de vnitatibus, & distinctionibus, quod ad plenam vniuersalis intelligentiam necessarium esse videbatur, fusè satis disseruimus, operæ pretium est in sequentibus examinare, an admittendum sit à parte rei ipsum vniuersale completem: ita vt nullo modo ab intellectu suam accipiat existiam, ne quidem quoad formale, quod dicitur vniuersalitas. Et primò quidem de vniuersali Platonis; deinde vero de vniuersali Aristotelis nobis erit ineunda disceptatio. Sit itaque.



## SECTIO PRIMA.

*An detur vniuersale, seu idea Platonis.*

**P**LATO, vt initio huius libri retulimus, admisit naturam, præcertim specificam, à singularibus separatam, & per se existentem, aternam, & incorruptibilem, ita vt esset in se realiter vna, & omnibus suis inferioribus, seu singularibus proprium esse tribueret, tanquam eorum essentia; atque adeo per se esset vniuersalis.

Aristoteles 1. Metaph. c. 6. & lib. 7. c. 8. & sequentibus, duo assert motiva, quibus adductus est Plato ad admittendas huiusmodi ideas, seu naturas à singularibus rebus auctis. Primum est vt rem scientias, & definitiones astrueret. Quia enim singulae res sensibiles corruptioni, & mutationi subiectæ sunt, pereuntque assidue, eas neque definiri, neque scribi posse credidit. ( Scientia enim est de vniuersalibus, perpetuis, & inuariabilibus) ideoque ab eis formas illas ideales sciunxit, vt pereuntibus singulis, ipsæ incorruptibles perseuerarent.

Secundum motuum petebatur à productione rerum. Sapè enim videmus ignem à non igne generari. Item mures, ranas, & alia, id genus animalia ex putrescente oriri materia, quorum nulla causa particularis vniuoca assignari potest, ideo secundum Platone in admitti debet aliqua causa vniuersalis, nempe ignis, animal aliquod &c. cuiusque speciei, separatum à singularibus, quod huiusmodi animalia producat, vt causa efficiens, aut vt exemplaris, ad hoc vt vnaquaque res producatur à simili: & hoc est vniuersale quod vocatur in essendo, seu idea Platonis. nihilominus.

2. Dicendum est impossibile esse huiusmodi vniuersale in essendo. Ita communiter Philosophi. Probatur primò, quia, si natura aliqua, verbi gratia humana, sic existeret separata à singulis hominibus: vel esset simul in Petro, & Paulo, vel in nullo: si in nullo: ergo non esset vniuersalis, vt vult Plato: nam de ratione vniuersalis est vt sit, aut esse possit in multis. Si vero dicatur esse simul in utroque: vel est eadem individua relliter, vel diuisa in duas numero distinctas? si eadem individua: ergo Petrus, & Paulus sunt unus, & idem numero homo, & idem numero simul erit in diuersis locis, quod est ridiculum. Si sit diuisa: ergo tot sunt ideæ naturæ humanæ, quot sunt homines contra Platonem, statucentem vnicam ideam pro quauis specie.

Probatur secundò. Quidquid in se, & per se existit, est determinatum, & singulare: ergo talis idea, existens in se, & per se, independenter ab individuis, esset determinata, & singularis, Plato autem voluit esse per se vniuersalem: ergo per se esset simul vniuersalis, & singularis: quod est absurdum. Probatur maior, quia quicquid existit, est productum à

Deo: productio verò terminatur ad rem singularem; quia, cùm ipsa sit determinata, & singularis, effectus qui per eam fit, non potest esse minus determinatus, & singularis. Quicquid ergo immediatè existit, à quo quis alio separatum, singulare est.

Probatur tertio. Nulla quidditas est separata ab eo, cuius est quidditas ( nihil enim est magis intrinsecum rei cuilibet, quam sua essentia, & natura ) sed huiusmodi Platonis idea est quidditas singularium, ergo non potest esse ab illis separata: & si dicatur esse coniuncta; erit simul coniuncta, & separata: quod intuluit contradictionem.

Probatur quartò. Essentialia sunt magis intrinseca rei, quam accidentalia, vt constat: sed accidentalia inhærent in ipsa re: ergo multò magis essentialia: sed talis idea est essentialis singularibus; ergo debet esse in illis, & cum illis coniuncta.

Probatur quintò. Quod est separatum ab alio, non potest esse idem cum illo, nec de illo verè prædicari: albedo quippe non prædicatur de subiecto, in quo non est: sed talis natura communis, ponitur separata à singularibus, ergo non potest de illis prædicari. Falsum enim est dicere, quod Petrus sit illa idea, vel ille homo, à quo reipsa separatus est: & tamen verum est dicere absolute, quod sit homo; igitur habet in se natum humanam, non verò extrà se: & sic fictitia est idea illa separata.

Probatur sextò. Natura illa separata, est eiusdem rationis cum singularibus, quandoquidem ponitur esse essentia, & quidditas eorum: at contrariū sequitur in sententia Platonis, quia singularia sunt corruptibilia, illa verò natura est incorruptibilis: corruptibile autem, & incorruptibile differunt generē.

3. Probatur denique, quia vt benè ait Aristot. I. Metaph. c. 7. post medium, ideæ Platonis nihil conferunt rebus sensibilibus, siue ad motum, siue ad generationem, siue ad scientiam, siue ad esse: ergo frustra ponuntur. *Nam in phædone*, inquit, *dicitur quod tum ipsius esse, tum ipsius fieri, ideæ causæ sint*. Probatur antecedens. Non enim conferunt ad motum, & generationem singularium, vt causæ efficientes, quia quod singulare non est, & determinatum, non potest producere aliquod singulare, & determinatum. Deinde patet, quod ad quemlibet effectum particularem sufficit causa particularis, vt ignis ad ignem. Tertiò multa fiunt, quorum ideas non ponit Plato, vt domus, annulus: eodem ergo modo poterunt cetera fieri sine ideis.

Quod autem nihil etiam conferant ad scientiam singularium, patet, quia non sunt in illis, vt quidditas, & interna eorum principia: nec consequenter ad esse, quia sunt separatae: dicere verò exemplaria eas esse, quæ ab agentibus respiciantur, vt ad eorum similitudinem res sensibiles fiant, nugari est, inquit, quia nullum agens naturale cùm agit, ad eas respicit, vt ad eorum imitationem, & similitudinem producat effectum. Lege Arist. I. 7. c. 14. & sequentibus, vbi Platonem ex professo refutat.

Motiva autem seu fundamenta Platonis , nullius sunt momenti: non primum , quia ad hoc ut dentur scientiae & definitiones sufficit ut vniuersalia sint in rebus ipsis , vel in eis esse possint , quæ licet pereant pereuntibus singularibus , quoad esse actuale ; illæsa tamen , & inuariabilis manet eorum essentia , super qua fundatur definitio , & scientia , non vero super existentia . Siue enim existat homo , siue non , semper verum est dicere quod homo est animal rationale; adeo ut nec esse nec concipi possit , quin sit , aut concipiatur esse animal rationale : & in hoc sita est perpetuitas , & inuariabilitas objecti scientiæ . Imo posito quod daretur homo idealis Platonis , definitio aut scientia de homine , non penderet ab existentia reali talis ideæ ; sed simpliciter à conceptibus essentialibus ; adeo ut ante illius existentiam , verum esset dicere hominem esse animal rationale .

Secundum etiam fundamentum nullum est , quia inter causam , & effectum non est necessaria semper similitudo formalis , & vniuoca : sed sufficit virtualis , aut eminentialis , vt patet in Deo , qui est causa omnium creaturarum : & in alijs causis æquiuocis , quæ perfectiori quodam gradu vim causarum vniuocarum continent , vt sol vim ignis , &c.

## SECTIO II.

*An detur vniuersale Aristotelis formaliter ex parte rei.*

**P**RÆTER opinionem Platonis circa vniuersale modò refutatam , & opinionem nominalium , de qua egimus q. i. huius libri , duæ sunt aliae præcipuae , de quibus oportet in sequentibus disputare ,

Prima est Thomistarum communis , existimantium nullum dari vniuersale à parte rei formaliter , sed tantum fundamentaliter , quatenus natura , quæ in multis singularibus est similis , præbet fundamentum intellectui , vt possit eam abstrahere , hoc est concipere eam in se , non conceptis differentijs individuantibus . Tunc enim natura , sic concepta , non intelligitur contracta , nec vlli individuo propria ; sed indeterminata , & indifferens ad omnia , atque adeo vniuersalis , vel proximè , vel remotè , secundum diuersos modos explicandi , de quibus infra . Secundum hanc ergo sententiam vniuersale , formaliter sumptum , fit ab intellectu , sic abstrahente naturam .

Ab hac Thomistarum sententia non dissentit Scotus , licet enim , vi supra visum est , existimet ipse dari naturam communem in multis existentem , præter operationem intellectus , non vult tamén eam esse vniuersalem formaliter , & complete , nisi beneficio intellectus , eam præ-

cidentis & abstrahentis à differentijs individuantibus , tum eandem comparantis ad inferiora , in quibus est , & à quibus eam abstraxit . ejus fundamentum est , quia vniuersale est , quod est vnum in multis & de multis prædicabile potentia proximā , prædicatione dicente , hoc est hoc : nihil autem est tale à parte rei , quia licet alicui existenti in re , non repugnet esse in alia singularitate ab illa , in qua est : non tamen illud verè dici potest de quolibet inferiori , quod quolibet est ipsum : hoc est enim solum possibile de obiecto eodem indifferenti actu , considerato ab intellectu : quod quidem ut intellectum , habet unitatem , etiam numeralem obiecti , secundum quam ipsum idem est prædicabile de omni singulari , dicendo , quod hoc est hoc . sicut hæc propria ipsius verba in 2. d. 3. q. 1. n. 8. deinde num. 9. sic ait . Est ergo in re commune , quod non est de se hoc & per consequens ei de se non repugnat esse non hoc : sed tale commune non est vniuersale in actu quia deficit ei indifferentia , secundum quam vniuersale completum est vniuersale , secundum quam scilicet ipsum idem ali quā identitate , est prædicabile de quolibet individuo , ita quod quodlibet sit ipsum .

Hac citanda existimari ad ostendendum , quam male aliqui recentiores assertant Scotum posuisse vniuersale positivè commune à parte rei , cùm se ipse ab hac opinione expressis verbis defendat quæst. citatā & l. 6. Metaph. q. 18. & alibi ; de quo vide Lychetum , Tataretum , Cauellum loco citato lentent . & alios Scotistas . Fortè dici posset Scotum negare tantum vniuersale Logicum ex parte rei , non autem Physicum , aut Metaphysicum . Sed hoc non videtur appositi dictum , quia , sicut naturæ communi ex mente Scotti deficit ratio vniuersalis logici , quia non est proximè prædicabilis de multis : ita deficit ei ratio vniuersalis absolute , quia non conuenit ei esse proximè idem in multis : nisi quis velit dicere vniueriale Metaphysicum esse idem cum natura , quam ipse communem vocat .

Secunda opinio est Ioannis Monlorij in tractatu speciali de vniuersis , Vallesij in controversijs ad Tyrone , Iulij Scaligeri de subtil. exercit. 307. n. 22. Pauli Veneti c. 2. Metaph. conclus. 1. & 2. Camerarij. p. 1. q. 6. Balforej & aliorum recentiorum , dari vniuersale formaliter , & completem à parte rei & citra operationem intellectus . Vtraque hæc sententia probabilis est , & quia ex explicatione istius postremæ , facile innotescet , quam probabilitatem habeat prima , ideo postremam hanc prius expendimus .

5. Quod itaque detur vniuersale completem , & formaliter ex parte rei . Probatur primò auctoritate Aristot. qui innumeris in locis expressè assertit vniuersalia esse in rebus , & ne leuiter quidem insinuat fieri ab intellectu , ut patebit dum respondebimus ad textus , qui ex ipso citantur in contrarium . 1. itaque Metaph. c. 6. 1. 3. c. 4. & 1. 4. c. 5. reprehendit Heraclitum , Cratylum & alios afferentes nihil esse in rebus præter singularia : vnde dicto l. 3. sic ai . singulare dicimus , quod vnum numero est : vniuersale vero quod in his . & 1. post. c. 8. oportet igitur aliquid

vnum, & idem in pluribus esse, non homonymum: & l. i. de interp. c. 5. cum autem rerum aliae sint vniuersales, aliae singulares: vniuersale dico, quod de pluribus aptum est praedicari, quale est homo: singulare vero, quod non potest, vt Callias. Denique, vt cætera omittam, 7. Metaph. c. 13. vniuersale dicitur quod natum est inesse multis, & c. 16. vniuersalia non esse à rebus separata. Peto an clarioribus verbis vti potuisset Aristoteles, si voluisset afferere vniuersale esse à parte rei? Item quod verbum in his notari potest, quod vel minimam ingerat suspicione vniuersale fieri ab intellectu? Dicere igitur, quod vniuersalia sunt in rebus ratione fundamenti & quoad materiale tantum, autoritatem certè Aristotelis eludere est.

Confirmatur primò, quia materiale illud, & fundamentum vniuersalis; vt aduersarij intelligunt, est reuerâ aliquid singulare, & determinatum; ergo non potest esse principium conuenientiarum, & communitatis. Vnde ipsi non discrepant ab opinione Heracliti, Cratyli, & nominalium, quos tantoperè insequantur; & cum illis afferunt nihil esse in rerum natura, quod singulare non sit: & vniuersitatem tantum esse in vocibus, & conceptibus; in rebus vero tantum extrinsecè, & per denominationem ab aliqua operatione intellectus. Quod quām alienum sit à verbis Aristotelis, clarius est, quām vt egeat longiori inculcatione.

Confirmatur tamen secundò. Rerum aliae sunt vniuersales, aliae singulares, inquit Arist. ergo sicut dantur singulares ante intellectum, ita & vniuersales, alioquin esset ridiculus loquendi modus, & æquiuocatio in verbis, quia membra diuidentia non sumarentur eodem modo. Item quod naturā suā tale est, non habet ab intellectu vt sit tale, sed vniuersale habet à naturā, vt sit in multis, vt patet ex 7. Metaph. c. 13. ὅτι οὐ πάρεστι πάρεντες, nam πάρεντες idem est quod natum, seu naturā aptum est.

6. Probatur secundò, quia ante quancunque operationem intellectus verum est, multas esse species animalium, omnes homines esse eiusdem speciei, omnia animalia eiusdem generis. Quando enim Deus primò mundum condidit, verum fuit dicere creatas esse rerum species, & genera, vt de facto dicitur gen. 1. & absurdum est dicere quod dormientibus omnibus hominibus, nullæ sunt rerum species, nulla genera. Ergo, cùm species & genera sint vniuersalia, dabitur à parte rei vniuersale. Probatur antecedens, quia si Petrus, & Paulus non sunt eiusdem speciei, nisi per operationem intellectus, non erit verum dicere Petrum & Paulum à parte rei participare eandem naturam, essentiam, & definitionem, quod est absurdum: ergo absque operatione intellectus, sunt eiusdem speciei, non ratione entitatis singularis, quia per eam discrunt, ergo per entitatem realem communem: & hæc est natura humana, à parte rei vniuersalis.

Probatur tertio. Scientia est verum ens reale, & consequenter debet

esse de objecto reali : sed non est de singularibus , benè de vniuersalibus , ex i. post. c. 2. & 11. & l. 6. eth. c. 6. ergo vniuersalia debent esse aliquid reale citra mentis operam.

Dices scientiam esse de singularibus, non ut singularia sunt, sed ut vniuersitatem ab intellectu accipiunt.

Contra , quia huiusmodi vniuersalitas , facta ab intellectu , nihil omnino rebus addit , nec facit naturam aptam , vt de illa , scientia habeatur , vt constat . Nam siue natura humana concipiatur in communione , & vt abstracta ; siue in particulari , & vt est in Petro , semper habet eosdem conceptus essentiales : & quamuis solus Petrus existeret ; imò solus crederetur possibilis ab aliquo Physico , semper cognosceretur esse animal rationale , & idem omnino conceptus essentialis haberetur de naturâ humana in ipso solo existente.

Igitur frustra diceretur scientia esse de vniuersalibus , nisi de facto à parte rei esset aliqua natura communis , & vniuersalis , independenter ab intellectu . Imò scientiae essent pura figura , quia in singularibus considerarent id , quod nihil , & nusquam est . Vnde , cum non habeatur scientia de Petro , & Paulo , quatenus sunt hoc , hic & nunc , seu singulares , & plures , sed vt sunt quid vnum , tale vnum debet necessariò esse in reipsa , non autem extrinsecus aduenire per intellectum.

7. Probatur quarto . Quod multis communicabile est , vniuersale est , ex definitione vniuersalis : sed dantur multæ naturæ , quæ multis communicabiles sunt à parte rei , ergo dantur vniuersalia à parte rej. Probatur minor : natura enim humana , verbi gratia , non est de se multis incomunicabilis , cum de facto multis sit communicata : ergo est de se multis communicabilis , hæc enim duo contradiectoriè opponuntur , nec ullum habent medium : vnde sicut valet ista consequentia , *binarius numerus non est impar , ergo est par* , quia non datur medium : ita bona erit ista consequentia , *natura humana non est incomunicabilis , ergo est communicabilis* , quia inter communicabile , & incomunicabile non datur medium.

Confirmatur primò ista consequentia . Natura humana non est de se individua , quandoquidem numericè dividitur in multa singularia , ergo de se apta est ut per differentias individuales contrahatur , & dividatur : sed non est adæquatè contrahibilis per unicum , imò hoc illi repugnat ; ergo est contrahibilis per plures ; ergo apta est ex se pluribus communicari : quia eo ipso quod illi repugnat per unam solam contrahi , nata est ex se contrahi à multis : talis quippe repugnantia non potest aliunde nasci , nec in alio fundari , nisi in naturali aptitudine , quam habet , ut multis inesse possit .

Confirmatur secundò , quia unitas formalis non est ex se individua , ut concedunt etiam aduersarij , ergo relinquunt naturam indifferentem ex se , ut possit multis communicari . Tota enim ratio incomunicabilitatis , prouenit

uenit in illa ex differentia individuali, extrinsecè adiuncta: & ideo non repugnat illi secundum se multis communicari; ergo secundum se nata est, & positivè apta inesse multis, quia illa non repugnantia fundari debet in aliquo positivo.

Confirmatur tertio, quia quod multa individualia possint in eadem specie multiplicari, non dependet ab intellectu, sed fundatum est in ipsa rei natura, ut patet à contrario. Nam quod natura diuina non sit numero multiplicabilis, nec etiam natura Angelica ex Thomistis, hoc prouenit ex reali, & intrinseca aliqua proprietate: ergo quod natura humana apta sit existendi in multis individualibus, non prouenit ex fictione intellectus, sed ex reali, & intrinseca proprietate naturæ. Idem enim est multa individualia posse in eadem specie multiplicari, & eandem naturam specificam posse multis individualibus communicari.

*L* Relinquitur ergo evidens naturam humanam (idemque de cæteris sit iudicium) in illo signo naturæ, quo prior est multis, seu differentijs individualibus, habere ex se aptitudinem realem, & positivam ad existendum in multis: quod enim existit actu in multis, oportet ut in aliqua prioritate naturæ aptum fuerit existendi in multis: & ita est verè à parte rei vniuersalis.

8. Probatur quintò. Quod est unum in multis à parte rei, est vniuersale à parte rei: sed natura humana verbi gratia, est una in multis à parte rei; ergo à parte rei est vniuersalis. Major constat ex definitione vniuersalis. Minor est evidens quoad istam partem quod natura humana sit realiter in multis. Tota ergo difficultas consistit in hoc: quod sit una, & individualia ex parte rei.

Hoc autem probatur primò ex Aristot. 5. metaph. c. 6. vbi textu 8. & 12. expressè ait ea esse unum per se, & non per accidens, quorum unum est genus, ut homo, canis, equus; & quorum una est individualis, seu infima, & specifica definitio. Igitur unitas genericæ, & specificæ, est unitas per se: ergo natura humana est una unitate specificâ, reali, & independenti ab intellectu. Patet hæc ultima consequentia, quia si fieret una specificè per intellectum, iam non esset una per se, quia talis unitas ei conueniret accidentaliter, & secundò intentionaliter; essetque ens rationis, aut denominatio extrinseca: ideoque ex natura, & tali unitate fieret unum per accidens.

Probatur secundò eadem pars minoris, quod scilicet natura humana sit una, & individualia formaliter, ut existit in multis. Unitas enim formalis, est individualis naturæ, & essentiæ, ut supra explicatum est; essentia autem naturæ humanae in omnibus individualibus omnino eadem est, & intrinsecè individualis; quia quantumlibet numero multiplicetur, non dividitur tamen formaliter; alioquin Petrus, & Paulus haberent naturas essentialiter, & specificè diversas; quod apertè falsum est: & hoc ultra fatentur aduersarij, inter quos, Complutenses disp. 3. de vniuersalibus q. 3. n. 29. ad 4. sic.

inquiunt, licet unitas formalis à parte rei multiplicetur in individuis ut explicatum est: tamen unitas formalis unius non distinguitur formaliter ab unitate formalis alterius, sed tantum materialiter, & numerice.

Et verò quid facit unitas formalis in individuis? nam si facit ut Paulus verbi gratia, sit unus numero, ergo est unitas numerica, quod nullus admittet: si verò facit, ut sit unus specie, habetur intentum. Vnde Aristot.

8. Metaph.c. 6. sic loquitur. *Definitio vero; oratio est una, non coniunctio ne, ut Ilias; sed eoque unus est.* Quando ergo definitur homo, eius definitio una est, quia est unus naturæ; non singularis, quia singulare non definitur; ergo universalis antequam definiatur; & consequenter non dependet ab intellectu. Quod autem haec unitas ad universalis sufficiat, ostendemus specialiter in sequenti Appendice, parte 2.

9. Probatur sextò. Si animal verbi gratia, non esset verum genus à parte rei, & natura universalis, multis communis, non posset verè de fihiri substantia, corporea, animata, sensitiva. Quod enim definitur, universalis est ex communi consensu: ergo, si non est universalis, nisi per intellectum, illud quod sic definitur, est ens rationis: & ita passio animalis, nempe sensituum, erit passio entis rationis; vel, si sit entis realis, erit passio huius individui, & singularis propria, quia nihil est reale nisi singulare; quod est absurdum, quia quæ sunt propria enti particulari, non possunt competere pluribus.

Deinde omnes fatentur proprias passiones conuenire priùs naturæ cōmuni, quam singularibus: accidentia verò communia competere priùs particularibus, quam naturæ communis; vnde rectè dicitur, *ideo Petrus est risibilis, quia est homo;* contra verò, *ideo homo est albus, quia Petrus est albus;* ergo debet esse in Petro à parte rei, natura communis, & universalis, distincta à petreitate, ratione cuius illi conueniat risibilitas.

Probatur septimò. Universalis ut universalis, est obiectum intellectus ex 2. de anima, c. 5. sed obiectum præcedit actum potentiarum, circa ipsum versantis; ut color est prior visione, & sonus auditu; nam obiectum est causa, & mensura potentiarum, actuunque illius; causa autem supponitur ad effectum: ergo universalis præcedit actum intellectus abstractuum; & præcissimum: atque adeo non fit ab intellectu, sed supponitur à parte rei.

10. Porro hic prætereundum non est aliquos ex his, qui universalis ex parte rei admittunt, conformiter ad argumenta iam facta; assertere tamen universalis logicum, non esse à parte rei: per illud autem intelligunt prædicabile, formaliter sumptum. Quamvis enim initio huius libri dixerimus universalis esse obiectum istius tractatus, non verò prædicabile: semper tamen in eo spectatur secunda intentio prædicabilitatis; quandoquidem refertur ad syllogismum, qui sine prædicatione, hoc est, sine propositionibus non constat, ut ibi explicatum est: & ita vocari potest universalis Logicum, factum ab intellectu per abstractionem naturæ communis à differentiis individuantibus.

Prædicabile itaque , formaliter sumptum , fiet ab intellectu , quia esse prædicabile est posse affirmari , vel negari de subiecto in propositione : affirmatio autem , & negatio sunt operationes intellectus , vt patet . Deinde esse prædicabile de multis , dicit ordinem ad multa , de quibus est prædicabile : ideoque intellectus debet illud concipere , vt relatum ad illa multa , & vt illis conueniens , ad hoc vt possit illud affirmare , & prædicare de ipsis ; ergo dependet hoc modo ab intellectu . Dixi *formaliter sumptum* , quia , si sumatur radicaliter , & fundamentaliter , idem est cum essentia , & cum vniuersali , de quo probationes iam antea allatae debent intelligi . Sed de hoc sicut . 3. ad 6. numero 28.

---

## APPENDIX.

*Pro clariori intelligentia prædictorum.*

### PRIMA PARS DE APTITUDINE VNIIVERSALIS.

II. **A** NTEquam progrediamur vltius , operæ pretium est ad stabiliendam opinionem hanc de vniuersali à parte rei , quæ sequuntur , annotare . In primis quidem vniuersale ab Arist. definiri modo per aptitudinem ad existendum in multis ; modo per actum ipsum inexistentiæ in pluribus , vt patet ex dictis q. 1. huius libri . Vnde non male diuidi potest vniuersale in actuale , & potentiale . Actuale est natura existens actu in multis : potentiale vero , natura præcisa à multis , & apta illis inesse ; præcisa , inquam , non intellectu solùm , sed formaliter ex natura rei , vt in superioribus explicatum est .

Aduertendum est secundò , naturam , ex parte rei præcisam ab inferioribus , posse considerari vel in uno solùm singulari , vel in multis simul : & vtroque modo est vniuersalis . Nam spectata in uno solo singulari , potest intelligi apta esse in multis dupliciter , primò per indifferentiam , quatenus in illo priori naturæ , quo non est contracta , indifferens est vt contrahatur per quamlibet singularitatem , vt explicatum est in calce sectionis tertiae q. 3. præcedentis : sed vt sic , quamvis dicatur communis per indifferentiam ex doctrina scoti , non potest tamen eà ratione dici vniuersalis in potentia , ad actum reducibili , quia non potest , vt sic , esse vñquam , nec simul , nec successivè in multis : sed solùm in uno , quia tunc consideratur materialiter secundum vnicam sui partem , seu entitatem , hic & nunc existentem , & ab una sola differentia individuali , iam iam in secundo signo naturæ atuabilem .

Secundò vero potest intelligi apta esse in multis , quatenus spectatur specificatiuè . & in se formaliter , absque ullam restrictione , & ordine ad

vnum solum, quamvis in uno solo existere supponatur: vt sic enim potest dici apta esse in multis, quia per multiplicem entitatem, seu per plures sui partes, in quas entitatiuē diuisibilis est; potest existere in multis: vt natura humana per vnam entitatem partiacem potest existere in petro, per aliam in Paulo, & sic de ceteris. Licet enim tota sit in Petro, & tota in Paulo; non est tamen totaliter, quia potest esse in multis aliis: & ita singulae naturae humanae, existentes in singulis individuis, possunt disci partes totius naturae humanae, specificè, & quidditatiuē consideratae.

Neque aliter Philosophandum est de natura, vt in multis simul existit, quatenus est prior naturaliter differentiis individualibus: in illo enim signo est proximè potens, vt contrahatur, & ideo est apta esse in multis actu peractualem contractionem.

12. Potest autem dubitari quid sit huiusmodi aptitudo naturae ad existendum in multis: ad quod responderi potest primò, non esse necessarium talis aptitudinem esse realem, seu Physicam, ita vt possit naturaliter ad actum reuocari, sicut aptitudo hominis ad ridendum: sed sufficere Logicam, hoc est non repugnantiam, per quam natura ipsa vniuersalis, intelligitur posse communicari multis inferioribus: vnde quamvis natura solis nullam dicatur habere Physicam aptitudinem, vt multis solibus communicetur; est tamen vniuersalis, quia non habet ad hoc repugnantiam. Posset enim Deus, si vellet, plures soles producere. Huiusmodi tamen non repugnantia debet habere fundamentum posituum in re ipsa quod non est aliud, quam ipsiusmet rei natura, & essentia, quæ talis est, vt possit multis communicari.

Responseri potest secundò, tales aptitudinem naturae ad existendum in multis, esse quid reale, & posituum in illa, vt probatur in quarto superiori argumento: & esse quemdam respectum, seu ordinem transcendentalis ad ea, quibus potest communicari, hoc est ad differentias, à quibus apta est contrahi in illo priori, quo eas antecedere concipitur: ab eisque perfici; quidditatiuē quidem à specificis; entitatiuē autem ab individualibus, vt à gradibus, & realitatibus proprijs: & sic habet rationem cuiusdam potentiae, habentis ordinem trancendentalem ad tales differentias indistincte, seu non potius ad vnam, quam ad aliam, tanquam ad proprios actus, & ad propria perfectiua, quibus coniungi, & communicari potest.

Aliter quoque possumus hoc explicare ex Aristot. 2. de anima c. 4. vbi ait maximè naturale esse omnibus viuentibus (quod & de ceteris intelligi debet) producere sibi simile, vt æternitatem participant. Cum igitur quaelibet natura specifica inclinationem habeat, & appetitum ad immortalitatem, & æternitatem, quod non potest consequi, nisi continuatione individualium, sibi succedentium: necesse est eam habere naturalem aptitudinem, vt communicetur pluribus, & in multis existat secundum unitatem specificam.

## SECUNDA PARS APPENDICIS.

*De vnitate vniuersalis.*

13. **E**XPLICATA vniuersalis aptitudine, de eius vnitate pauca dicenda sunt. Et quidem vnitatem formalem, & vniuersalem, esse eandem realiter vnitatem, solaque differre connotatione, iam supra explicatum est q. 3. sect. 1. ideoque frustra queritur alia ad perfectam completamque rationem vniuersalis, quod quidem.

Probatur primò ex Aristotele 5. Metaph. c. 6. vbi inter vnitates per se, vnit genericam, & specificam, quæ sunt vnitates propriæ vniuersales: & de his loquitur quatenus sunt vnitates reales, quia ibi est sermo de vnitate, quæ est passio entis, non verò de intentionibus rationis. Cùm igitur vnitas formalis, sit passio entis, eademque sit generica, & specifica, consequens est vnitatem ad vniuersale requisitam, esse idem cum formalis, ex mente Aristotelis.

Præterea. In definitionibus vniuersalis nulla alia exprimitur vnitas, nisi formalis, seu essentia: ergo frustra queritur alia vnitas pro vniuersali: definitio quippe comprehendere debet, quicquid essentiale est rei definitæ.

Probatur tertio. Vnitas vniuersalis, quam vocant præcisionis, tributa ab intellectu ipsi naturæ, non est maior, quam ea, quæ naturæ per se conuenit, hoc est quam formalis; ergo sola formalis sufficit. Probatur antecedens. Intellectus enim talem vnitatem naturæ tribuit, quia eam suâ operatione à differentiis liberam facit; sed natura in illo priori quo antecedit differentias contrahentes, libera ab illis est, & multò magis quam per intellectum, quia ex parte rei, vt ostensum est in superioribus: imò etiam, vt coniuncta intelligitur cum huiusmodi differentiis, semper suam vnitatem formalem seruat, quia tantum extrinsecè, materialiter, & accidentaliter diuiditur, atque adeò semper sua est vnitate sufficienti ad vniuersale.

14. Quattuor. Si quid impediret, quominus vnitas formalis ad vniuersale sufficeret, hoc maximè, quia talis vnitas numericè diuiditur, & ita fit multiplex, propriaque singulis individuis; ac proinde communis non remanet. Verum in hoc contingere videtur aliqua deceptio. Si enim vnitas vniuersalis, & natura, cui conuenit, non diuideretur numero, vniuersalis non esset, quia vniuersale inducit vnitatem simul & multitudinem, quæ multitudo sine diuisione numerica non constat.

Et hoc patet in natura diuina, quæ existens in tribus personis, realiter distinctis, non est vniuersalis: nec Corpus Christi existens in multis hostiis;

nec albedo eadem numero, posita diuinitus in decem subiectis : & hoc vltro fatentur authores oppositi. Ergo , ad hoc vt natura sit vniuersalis , oportet quod multiplicetur numero cum sua unitate formalis : sed quia hoc fit tantum extrinsecè , per differentiam sibi extraneam , semper manet in se indiuisa formaliter , & vna essentialiter , seu in prædicatis quidditatiuis: at que adeo ex parte rei vtramque conditionem ad vniuersale requisitam obtinet , scilicet vnum , & multa.

Quintò. Si unitas vniuersalis non esset in natura , sed deponderet ab intellectu , vniuersale non posset definiri vnum in multis : natura quippe non esset in multis vna , sed vna in intellectu , & multiplex in multis. Si autem definitio ita intelligeretur , quis non videt magnam in ea fore æquiuocationem ? Melius ergo dicitur , quod sit vna , & indiuisa formaliter , numero vero multiples , propter quod dicatur esse in multis.

15. Sextò. Illa unitas est vniuersalis propria , quæ relinquit naturam communicabilem , sicut illa est propria individui , quæ reddit subiectum indiuisibile , & incomunicabile : sed sola unitas formalis relinquit naturam communicabilem : ergo ea sola est propria vniuersalis. Probatur minor: unitas enim formalis multiplicatur numero , & communicatur individui , sicut ipsa natura , & ideo semper illam relinquit communicabilem : at unitas , quam vocant præcisionis , tollit à natura communicabilitatem : nam quandiu aspicitur tali unitate , nunquam potest actus communicari , & diuidi in multa: vnde quandiu hæc unitate est vna ; non est in multis : quandiu est in multis , non est vna , quia per communicationem , unitatem illam amittit ; & ita nunquam rectè poterit definiri vniuersale , quod *vnum est in multis*, contra Aristotelem 2. post. c. vltimò & 1. post c. 8.

Quod autem ita sit , videri potest in authoribus contraria sententiæ , qui ideo nolunt unitatem formalem esse vniuersalem , quia in singulis individuis reperitur : vnde talis unitas præcisionis debet amitti in contradictione naturæ , alioquin quodlibet individuum esset vnum vniuersaliter & ita quandiu natura est vna , nunquam est communicata ; igitur vniuersale non habebit simul suas duas conditiones , nimisrum esse vnum , & in multis.

16. Septimò. Quæritur quis actus respondeat huiusmodi unitati , & aptitudini vniuersalis ? non actus realis , hoc est realis diuisio , & actualis communicatio ; quia potentia , & aptitudini rationis , qualis est huiusmodi unitas , & aptitudo præcisionis , respondere non potest actus realis ; siéut potentia , & aptitudini reali non potest respondere actus rationis , tanquam actus proportionatus. Neque etiam dici potest , quod ei respondeat actus rationis , hoc est diuisio , & communicatio , facta per intellectum , concipientem naturam in multis , aut eam de illis actualiter prædicantem : quia tunc falsum esset , quod unitas vniuersalis non admitteret actualem communicationem , non secùs ac formalis : vnde multi ex aduersarijs asserunt , naturam vniuersalem conseruare vniuersalitatem in actuali prædicatione.

Probatur octauo: quia talis vnitatis præcisionis, tribura naturæ ab intellectu, vel est quid reale vel rationis, hoc est, fictum ab intellectu non primum: quia ex communione consenserunt intellectus non producunt aliquid reale in obiecto cognito: unde, sicut intelligendo Petrum, & Paulum per modum vnius, non facit ut ex parte rei sint vnum, ita intelligendo naturam humanam per modum vnius, & ut præcisam à singularibus, non dat illi vnitatem realem, per quam sit in multis, aut possit prædicari de multis.

Secundum vero dici non potest, quia vnitatis ficta non potest constitutere naturam, verbi gratia humanam, aptam inesse Petro, & Paulo per modum vnius; & de illis vere prædicabilem; alioquin sequeretur, quod si quis fingeret Aethiopem esse album, posset albedo vere prædicari de Aethiopo.

Probatur nono. Vel natura per intellectum prædicto modo præcisa, & in eo existens obiectuè; vere, & posituè est in omnibus, de quibus prædicatur, vel non? si non est: ergo non potest de illis vere prædicari, & consequenter non habet vnitatem vniuersalem ab intellectu: si est in illis; ergo ex parte rei potest de illis prædicari, & sic una est vnitate vniuersali ex parte rei.

17. Probatur decimo: quia etiam concessio, quod natura fiat una per intellectum, sive denominatione extrinsecâ, sive alio quous modo, eo quod per præcisionem abstrahitur à singularitatibus, à quibus solis efficitur multiplex, & cuilibet propria singulari; atque adeo sine illis considerata, habeat aptitudinem quantum est ex se, ut indifferenter insit cuilibet individuali. Hoc, inquam, gratis concessio, non sequitur, quod possit prædicari de multis: ergo non habet per hoc, quod sit vniuersalis.

Minor ostenditur; quia, ut natura possit actu prædicari de multis, ita ut quodlibet eorum sit hoc ipsum, quod prædicatur; debet actu esse in illis: sed natura per illam vnitatem, & aptitudinem, acceptam ab intellectu, non habet ut sit actu in multis, cum ab illis abstrahatur; ergo per illam non habet ut possit prædicari de multis, neque quod sit vniuersalis.

Probatur undecimo. Vel conceptus obiectiuus naturæ, sic præcisa, & sine differentijs singularibus concepta, est in se vnum, vel non? si non: ergo non potest vere dici vnum denominatione extrinsecâ ab uno conceptu formalis: alioquin Petrus, & Paulus essent vnum, si conciperentur per modum vnius; & possent ut vnum quid vere prædicari de multis quod est ridiculum. Si autem est in se vnum: Ergo non accipit vnitatem, ab intellectu. Item natura sic concepta, non potest prædicari de Petro, prædicatione dicente hoc est hoc, ut loquitur Scotus, nisi sit in Petro: sed non est in Petro, ex eo quod concipiatur sine Pauleitate, & alijs differentijs individualibus, ergo ex illo conceptu non habet vnitatem vniuersalem, seu per quam possit prædicari de Petro.

## TERTIA PARS APPENDICIS.

*Sublatâ distinctione formalis dari vniuersale ex parte rei*

18. **P**ro maior confirmatione superioris sententiae, vniuersale ex parte rei admittentis, examinandum supereft, vtrum, posito quod non detur distinctione formalis Scoti inter naturam communem, & unitatem numericam, dici possit dari vniuersale ex parte rei pro quo.

Dicendum censeo iuxta mentem Aristotelis, sublatâ etiam distinctione formalis, esse reuerâ vniuersale ex parte rei. Ratio est, quia etiam talis distinctione sublatâ, saluari, & explicari facilè possunt, quæcumque vniuersali tribuit Aristoteles: ergo multò magis rationi consentaneum est hanc viam sequi, quam recurrere ad intentiones, aut entia rationis, quæ, vt in primo libro tanquam probabilius ostendimus, à nulla scientia per se considerantur, sed solum per accidens, tanquam umbræ veri entis. Nec satis mirari possum Philosophos quamplurimos, qui cum idem sentiant de ente rationis, longas tamen adeo disputationes texunt, vt probent vniuersale (quod ingentem, aut Logicæ, aut Metaphysicæ tractatum implet, quodque ad scientias omnino necessarium est) non esse ex parte rei, sed esse ens rationis, & figuratum intellectus.

19. Quod igitur omnia ad vniuersale requisita, hoc est aptitudo, & unitas, reperiantur ex parte rei sine illâ distinctione formalis, breuiter sic ostendo primò: quia, vt diximus in prima huius Appendicis parte, natura solis in unico individuo existens, habet aptitudinem, saltem Logicam, hoc est non repugnantiam, vt multis solibus communicetur: & haec non repugnativa conuenit ei independenter ab intellectu, eo modo quo negationes possunt realiter conuenire rebus.

Et quatinus tales non repugnantiam non habeat quoad entitatem hanc, numericè consideratam, & vt affecta est differentia individuali, quia unitas numerica reddit naturam adeò incomunicabilem, & individualib[er]em, vt non possit, vt sic, ne per intellectum quidem, consequi vniuersalitatem; tamen ipsa natura solis, spectata quidditatiè, & prout habet unitatem formalem, ratione, aut virtute distinctam à numerica, eique ex parte rei conuenientem, vt supra ostendimus; habet non repugnantiam, vt pluribus insit per sui divisionem entitativam: hoc est, naturæ solis non repugnat habere aliam naturam sibi omnino similem, & conformem in prædicatis quidditatiis.

Vnde verum erit dicere: datur à parte rei natura, cui non repugnat multis comunicari secundum eandem rationem formalem: ergo datur à parte

à parte rei natura, cui conuenit unitas, & aptitudo existendi in multis: & consequenter à parte rei est universalis. Et si hoc negaretur, tolleretur è medio fundamentum omne universalis, quod in sententia contraria debet in rebus ipsis reperiri: nam ita daretur sola unitas numeralis, quæ ad universalitatem inepta est: & consequenter incurreretur in opinionem nominalium. Neque enim diuinæ naturæ ob aliam rationem negatur aptitudo, ad universalis requisita, nisi quia non potest dari alia natura, ipsis omnino similis. Quo fit, ut talis non repugnantia ad existendum in multis, fundari debeat in aliquo positivo.

20. Probatur secundò: quia sicut ob solam virtualem distinctionem, quæ inter personam, & naturam Diuinam reperitur, verum est ex parte rei naturam esse communicabilem, non vero personam: & ob eamdem distinctionem, proportione seruatâ, inter animalitatem, & rationalitatem, verum est hominem differre ex parte rei ab equo, & simul cum eodem ex parte rei conuenire: ita verum erit à parte rei, naturam solis ob unitatem formalem, esse communicabilem multis, per sui numerum divisionem entitatiuam, ne Trinitatem in creatis constituamus; & simul incommunicabilem, ratione unitatis numericæ; ergo à parte rei erit natura apta inesse in multis, una & eadem formaliter; & ita ex parte rei erit universalis.

Confirmatur ex D. Thom. i. p. q. ii. art. 3. vbi ita loquitur. *Manifestum est enim, quod illud, unde aliquid singulare, est hoc aliquid, nullo modo est multis communicabile. illud enim unde sortes est homo multis communicari potest sed id, unde est hic homo, non potest communicari, nisi unius tantum. si ergo sortes per id esset homo, per quod est hic homo: sicut non possunt esse plures sortes, ita non possent esse plures homines.* In quibus verbis debent fateri aduersarij, aut adimiti à D. Thomâ distinctionem ex naturâ rei inter naturam communem & differentiationem individualis; aut distinctionem virtualem sufficere ad hoc, ut natura dicatur à parte rei simpliciter communicabilis multis, & differentiationem individualis unius tantum.

21. Probatu: tertio euidentius, si spectetur natura ut in pluribus simul existens; verbi gratia natura humana in Petro, & Paulo. Ipsa enim est una formaliter, quia semper individualis manet in sua essentia, & prædicatis quidditatibus: & simul est multiplex numero. Neque potest ostendti aliud voluisse Aristotelem, dum definiuit universalis, *vnum in multis*, aut *vnum aptum inesse multis*. Sensus enim germanus est iste. *Natura;* illa est universalis, quæ secundum eandem essentiam, & quidditatem seu rationem formalem, potest multis communicari, aut multis communicata est.

Præterea optimè possumus asserere mentem Aristot. hanc esse: natura illa universalis est, quæ est una in multis: hoc est quæ est una unitate conformitatis in multis: quæ est una unitate fundamentali, seu unitate

repræsentabilitatis per eundem conceptum formalem : quæ habet vnum , seu vniuocum conceptum objectiuum : quæ denique est realiter similis in multis secundum essentiam , & quidditatem .

Nam si huiusmodi vnitas fundamentalis , &c. sufficit aduersarijs ad soluenda tot Aristotelis loca , quæ pro ista sententia toties in superioribus citauimus , vt dum ait relationes similitudinis , æqualitatis , & identitatis fundari in unitate . Et ea esse vnum , quorum substantia est vna . Et unitatem genericam , & specificam esse unitates per se . Et quæ definitur esse vnum , &c. quare eadem vnitas fundamentalis , &c. non sufficiet in definitione vniuersalis , dum dicitur *esse vnum in multis* ?

Ex his omnibus manifestum relinquitur quantum probabilius sit dari vniuersale completum ex parte rei : & quam facile soluantur tam multæ , & intricatae quæstiones , quæ de vniuersalibus proponi solent longissimis disputationibus .

### S E C T I O III.

#### *Soluuntur argumenta contra vniuersale à parte rei.*

22. **P**RIMVM argumentum contra doctrinam sectione præcedenti traditam , petitur ex autoritate Aristotelis , qui videtur affere re multis in locis vniuersale fieri ab intellectu . Præcipua loca sunt tria , primus est in 1. lib. de anima , c. 1. text. 8. hoc modo , *animal vniuersale aut nihil est , aut posterius est . similiter autem & si quod commune aliud prædicetur* . Id est , animal , vt vniuersale , nihil est prius quam operâ intellectus abstrahatur , & præscindatur à singularibus . Secundus locus est in 2. lib. de anima , cap. 5. text. 60. his verbis , *scientia est vniuersalium : hac autem in ipsa quodammodo sunt anima* . Tertius est in 2. lib. post. cap. vltimo , vbi definitur vniuersale , *vnum in multis , & præter multa* . Sed natura vniuersalis non est à parte rei præter multa , quia esset idea Platonis , ergo non erit vniuersale à parte rei , sed per intellectum .

Respondeo hæc loca potius nostræ fauere sententia . In primo enim loquitur Aristot. contra Platonem , ponentem ideam animalis ante singularia , & a singularibus separatam , per se existentem . Et ait talem ideam nihil esse , vel si quid sit , esse posteriorem singularibus , quia nimirum formatur ab intellectu ex singularium animalium inspectione . Et ita non loquitur de animali vniuersali in essendo , sed de animalis vniuersalis notione , & imagine . Vel si mauis , loquitur de vniuersali Logico , quod de multis prædicatur ; modo tamen inferius explicando .

Ad secundum locum etiam patet responsio. Illud enim, *quodammodo*, indicat Aristotelem tantum velle vniuersalia esse in anima per sui speciem, & imaginein: seu, vt ibi monet simplicius, vniuersalia esse in animo, non quæ dicuntur de singulis, quia hæc sunt in rebus ipsis: sed quæ sunt post multa, de quibus quæst. huius libri primâ dissertum est. Si enim vniuersalia non essent nisi in intellectu, & ab intellectu, non dicearet Aristoteles, *quodammodo*, sed simpliciter esse in anima.

Nec valet instantia Masi, lect. 2. q. 4. quod Aristoteles voluerit proponere discrimen inter obiectum sensus, & objectum intellectus, in eo consistens, quod objectum sensus, nempe singulare, sit extra sensum; objectum vero intellectus, nempe vniuersale, sit in intellectu: Et ita non posse ipsum intelligi de specie vniuersalis; tūm quia species non est objectum; tum quia objectum sensus esset etiam hoc modo intra sensum, videlicet per speciem sensibilem, impressam sensui. Non valet, inquam, nam, vt partet in textu, tantum in hoc ponit discrimen Aristoteles, quod objectum sensus, nimirum externi, non sit in sensu per speciem permanenter, & ideo debeat esse præfens, vt moueat sensum: at obiectum intellectus, scilicet vniuersale, est in intellectu per speciem permanentem: idcirco in ipsis potestate est, vt intelligat, quando volet. *Sentire autem, inquit, non est in ipsis potestate: necessarium est, enim adesse rem sensibilem.*

Tertius denique locus fert nobis præsidium; sic enim habet. *Vniuersale vnum præter multa, quod in omnibus illis inest vnum, & idem.* Si in omnibus illis inest, ergo non est extra, in intellectu. Dicitur autem vnum præter multa, quia vniuersale vtrumque includit, scilicet unitatem naturæ, & illius existentiam in pluribus. Denique hoc indicat distinctionem inter naturam communem, & differentias individuales, vel formalem actualēm, vel virtualem, vt dictum est in ultima superioris Appendix parte. Mitto quod ex multis Aristoteles ibi loquitur de vniuersali complexo, seu de propositione vniuersali, quæ est aliquid præter propositiones singulares, sub se contentas, vt patet in inductione.

23. Secundum argumentum. Vniuersale debet esse vnum, & individuum, vt patet ex definitione; sed nulla datur natura, existens in singularibus, quæ sit vna, & individua: ergo nullum datur vniuersale à parte rei. Probatur minor de natura, verbi gratiâ, humana, quæ si esset vna individua in Petro & Paulo, ipsis non essent duo homines. Et deinde adesset contradictione, quia natura esset diuisa, & individua: individua quia vna: diuisa quia in pluribus.

Respondeo negando minorem. Ad probationem dico naturam humanam esse vnam, & multiplicem; diuisam, & individuam: vnam quidem, & individuam in se, & secundum se: multiplicem vero, & diuisam in singularibus. Seu esse vnam unitate formalis, & specifica; multiplicem vero unitate numericâ. Et sic ait Porphyrius cap. de specie, plures

homines, participatione speciei esse vnum hominem. Dicit, participatione speciei, quia species reuerat in illis inest: vnde non minus verum est Petrum, & Paulum esse vnum hominem specie, quam esse duos numero.

Tertium argumentum. Quicquid est circumspectum proprietatibus singularibus, & conditionibus individuantibus, non potest multis conuenire, nec consequenter esse vniuersale: sed quicquid existit in rerum natura, est circumspectum proprietatibus singularibus: ergo non potest esse commune, & vniuersale. Maior est clara: & minor etiam constat, quia nihil existit, quod singulare non sit, vel in singularibus.

Respondeo primò: quidquid est circumspectum proprietatibus singularibus, non est vniuersale; vt est circumspectum reduplicatiū, concedo; secundū se, nego. Natura enim communis, est circumspecta tantum extrinsecè, & i leō in se, & secundū se manet communis, & vniuersalis.

Respondeo secundò: quod est circumspectum proprietatibus singularibus non est vniuersale, & commune: si sit circumspectum in uno tantum singulari, transeat: si sit circumspectum in multis simul, nego. Natura quippe humana, existens simul in Petro, & Paulo, aliquo in dividuis, est illis communis, alioquin omnes non essent homines; & est sufficienter una, vt dictum est suprà. Sicut enim natura humana est in singulis hominibus eiusdem rationis, ita est simul in omnibus eiusdem rationis, quia omnia simul sumpta, sunt eiusdem speciei, & in illis omnibus natura humana habet negationem divisionis heterogeneæ, quamvis in singulis homogeneè diuisa sit. Et hæc responsio habet fundatum, tum in textu Porphyrii, proximè citato; tum in D. Thoma, 3. p. q. 2. a. 5. ad 2. vbi ait, *humana natura non habet rationem communis speciei, secundum quod est in uno solo individuo: sed secundum quod est abstracta ab omni individuo, vel secundum quod est in omnibus.*

24. Quartum argumentum. Omnis res existens in rerum natura, est res particularis: nulla natura vniuersalis, est res particularis: ergo nulla talis natura existit extra intellectum. Major est certa, & expressa in Aristotle, 1. Metaph. c. 1. Minor probatur, quia res particularis, est alicui vni supposito propria, aliter non esset particularis: res autem vniuersalis, seu communis, nulli est particularis, vt nomen ipsum indicat.

Respondeo, distinguendo maiorem. Omnis res existens, est res particularis; vel per se primò, vel per se tantum, vel denominatiū, concedo: per se primò, vel per se tantum, nego. Differentia enim, seu unitas numerica, est per se primò particularis, seu particularitas ipsa: quodlibet autem individuum est particularē per se, quia per differentiam individualē, sibi intrinsecam: at natura communis, est tantum particularis extrinsecè, & denominatiū, per eandem differentiam particularē.

fibi extrinsecè adiunctam; secundum se autem semper inanet communis, & vniuersalis, vt diximus, q. 3. sect. 4. ad primum argumentum, quod est huic simile; & ita rectè dicitur in minori, quod nulla natura communis, sit res particularis, videlicet intrinsecè, & ex se; ideoque melius dicitur singularisata, & singularis effecta, quam simpliciter particularis.

Instabis: ista duo sunt opposita, *esse de se*, & *intrinsecè communis*, & *extrinsecè particulare*, seu *singulare*: ergo non possunt eidem rei conuenire. Antecedens patet. Quando enim res aliqua postularit intrinsecè aliquid, vt sibi proprium; quicquid illud proprium ab illa re aufert, non potest non esse contrarium, & oppositum illi rei: sed natura est de se, & intrinsecè communis, & hanc communitatem amittit per differentiam extrinsecè adiunctam: ergo hæc duo sunt opposita.

Respondeo negando antecedens. Hæc enim se habent ut actus, & potentia, vt determinans, & determinabile; & sic postulant naturaliter in eodem vniuersitate, quod potest declarari à simili. Nam materia prima, est intrinsecè indifferens, & indeterminata ad omnes formas; & extrinsecè determinata per eam, quam actu habet. Ad probationem vero illius antecedentis, negandum est, communitatem naturæ amitti per differentias individuales: imo potius fit actualiter communis per eas, quia per eas reperiatur actu in multis, vt explicatum est ad tertium. Et tantum censenda est amittere communitatem extrinsecè, dum in uno solo individuo spectatur, vt coniuncta cum differentia individuali.

25. Instabis secundo: omne quod diuidit, tollit aliquam unitatem a eo, quod diuidit: sed differentia individualis diuidit naturam communem, vt patet: ergo tollit ab ea aliquam unitatem: non numerum, ergo communem, & vniuersalem. Cum igitur illud omne, quod existit, reperiatur diuisum per differentias individuales, necessario reperiatur absque unitate communis: & ita nullum est vniuersale à parte rei.

Respondeo concedendo omne quod diuidit, cæ ratione, quæ diuidit tollere ab eo quod diuidit, aliquam unitatem. Vnde quia differentiae individuales diuidunt naturam communem, tantum extrinsecè, vt toties explicatum est, tollunt ab ea tantum unitatem extrinsecam, non autem intrinsecam. Est autem unitas intrinseca naturæ, unitas formalis, quatenus est individualis essentia, & naturæ secundum prædicata quidditativa: & hæc semper naturam comitatur, & ubique. Unitas autem extrinseca est eadem unitas formalis, non præcisè ut formalis, sed propter connotat, sive habet annexam negationem differentiarum individualium; & hæc, vt sic, tollitur per differentias numericas, remanente semper primâ, quæ est vera unitas, quam vniuersale requirit, vt ostensum est supra. Imo eo ipso quod destruitur secundum illud connotatum, acquirit rationem communis, & vniuersalis actualis, vt iam dicebamus ad primam instantiam.

26. Quintum argumentum. Ista prædicatio, *homo est vniuersalis*, non est prædicatio essentialis; ergo accidentalis; ergo importat pro formali

aliquid accideas; non reale; ergo rationis: & sic vniuersale non est à parte rei, sed dependet ab intellectu. Major patet: quia si esset prædicatio essentialis, prædicatum conueniret omni contento sub subjecto, & ita verè diceretur *Petrus est vniuersalis*, *Paulus est vniuersalis*. quod falso est. Quòd autem talis prædicatio non importet accidentis aliquod reale, probatur, quia non potest assignari prædicamentum, sub quo continetur, nam vniuersale reperitur in quois prædicamento, cùm relatio, qualitas, quantitas, &c. sit vniuersalis, restat ergo, vt sit accidentis rationis.

Respondeo illam prædicationem esse accidentalem. Natura enim humana, non dicitur vniuersalis nisi quatenus est vna in multis, est autem vna per unitatem formalem, quæ est passio ejus, & consequenter accidentis, saltem secundo modo; hoc est, quod non est de primario rei conceptu, etiamsi cum re ipsa identificetur. Nam essentialis hominis sita in hoc, quòd sit animal rationale: cæteri autem conceptus sunt extranei ab isto, & consequenter non nisi denominatiuè, & accidentaliter de eo prædicantur: similiter esse actu in multis, est ei accidentale, vt per se patet. Si tamen vniuersale definiatur per aptitudinem radicalem, talis prædicatio erit fundamentaliter essentialis, quia natura est ex se apta ab intrinsecō, vt possit inesse multis, vt patet ex dictis sectione præcedenti, & in ejus appendice.

27. Ad instantiam autem quæ contra hoc ponitur in probatione majoris, dici potest, quòd licet natura communicando se, communicet omnia sua prædicata absoluta: non est tamen opus vt communicet, saltem quoad denominationem, prædicata relativa, vt est esse vniuersale, dicens ordinem ad multa. & hoc patet multis exemplis: nam albedo non communicat parieti esse informatum subjecti, quod tamen conuenit albedini intrinsecè. Item non communicat ei esse simile alteri, posito quòd nullus alius sit albus: quamuis similitudo ponatur esse idem ex natura rei cum albedine: & anima rationalis non communicat Petro esse immortale.

Deinde dici potest non omnia; quæ superiori per se conueniunt, conuenire inferiori: nam esse *ingenerabile*, *incorruptibile*, *eternum*, *immutabile*, conuenit vniuersali, non vero singularibus.

Denique responderi potest, vt supra q. 3. sct. 4. ad 5. scilicet Petrum esse vniuersalem vt *quo*, & secundum formam, seu naturam humanam: non vero vt *quod*. & eodem recidit responsio, dum queritur an natura Petri sit vniuersalis. Rechè enim respondeatur: natura humana, quæ est in Petro, est vniuersalis; vt est in Petro, est particularis, & incommunicabilis, quia secundum se spectata, est semper communis, & tantum extrinsecè determinatur ad Petrum per petreitatem.

28. Nec valet quod contra hoc tanquam absurdum inferunt *Conimbricenses* q. 3. a. 3. nimirum hinc se quis donatum non esse grammaticum,

quia licet eius artis peritissimus esset; ex se tamen grammaticam non callebat: similiter aquam actu calidam, indifferentem esse ad calorem, & frigus, quia de se non est calida, sed per impressionem extrinsecam. Non valet, inquam; etenim licet absolutè verum sit donatum esse grammaticum, & aquam esse calidam: falsum tamen est donatum esse grammaticum, quatenus homo est: aut aquam esse calidam, quatenus est aqua: & hoc à parte rei, & citra mentis operam. Vnde Aristoteles 7. Metaph. c. 4. ait. *Etenim tibi esse non est musico esse: non enim secundum teipsum musicus es.* Ergo similiter Petrus, quatenus homo, non est particularis, & incomunicabilis, sed quatenus hic homo: vt etiam ex D. Thomâ ostendimus in fine præcedentis appendicis.

Quapropter rectè dicitur natura, quæ est in Petro, est vniuersalis, vt est in Petro, est particularis. Neque hoc magis absurdum reputari debet eam materiam primam esse secundum se, & intrinsecè indifferentem, & indeterminatam ad omnes formas; determinatam autem per eam, quam actu habet: ita vt non possit aliam recipere, quatenus eam habet: sicut paries albus, est indifferens ex se à parte rei ad albedinem, & nigredinem: tamen vt albus est, non potest recipere nigredinem, quia habet formam nigredini repugnantem.

## SOLVVNTVR RELIQUA ARGUMENTA.

29. **S**EXTVM argumentum. vniuersale est, quod aptum est inesse multis: sed nihil tale datur ex parte rei: ergo &c. probatur minor primò, quia aptitudo ad effendum in multis, non potest esse in aliqua natura absque indifferentia, & indeterminatione eius ad plura individua; sed nulla datur à parte rei natura, quæ sit hoc modo indifferens: cum enim in individuo existat, ita est determinata ad illud, vt non possit eadem secundum rem ad aliud determinari: ergo in nullo est indeterminata ad plura; atque adeo in nullo habet aptitudinem effendi in multis.

Probatur secundò eadem minor, quia natura vniuersalis, verbi gratia humana, existit in individuis per realem identitatem cum ipsis, quamvis ponatur distingui formaliter ab hæcceptatibus. Ergo prout existit identificata vni individuo, non potest eadem secundum rem, & existentiam realem, identificari alijs: ergo neque habere aptitudinem reali ad effendum in multis. Quod si apta non est inesse multis, neque apta erit, vt de multis prædicetur.

Confirmatur specialiter respectu prædicabilitatis. Nam dum fit ista prædictio. *Petrus est homo.* Quæro quid prædicetur? non humanitas Petri, quia sic non prædicaretur homo, vt quid superiorius de inferiori, & species de individuo, contra Aristot. I. Phys. c. 1. vbi ait vniuersale esse

quoddam totum comprehendens sub se multas partes subjectivas. Neque etiam prædicatur humanitas Pauli , aut cuiusque alterius indiuidui , aut omnium simul , quia nihil dici potest de Petro , nisi quod in ipso est . & similiter nihil quod identificatur realiter cum Petro , potest realiter prædicari de alijs indiuiduis humanis : igitur nihil est à parte rei , quod sit de multis prædicabile.

30. Responso negando minorem , ad cuius probationem in primis dico quilibet naturam indiuiduam , in illa prioritate naturæ , quæ antecedit differentias indiuiduales , esse indeterminatam , & indifferentem ad quilibet singularitatem , vt diximus multoties in superioribus : esse præterea aptam in illo priori ad existendum in multis per contractionem actualem in secundo signo faciendam per hæcceitates , vt ibidem fusè explicatur est.

Dico deinde naturam communem , iam contractam , & existentem in indiuiduis , aptam esse existendi in multis , in quibus nondum est ; non per easdem numero entites , per quas iam existit ; sed per alias numero diuersas , quæ habent rationem partium respectu naturæ formaliter , & specificatiæ sumptæ , vt in Appendice præcedenti declarauimus.

Dico insuper naturam , vt existentem iam contractam , non esse opus habere aptitudinem existendi in multis , quia non est necesse vt sub eodem statu , & conditione natura maneat post contractionem , seu vt contracta , sub quo erat in illo priori , quo nondum intelligebatur contracta . Nam vt contracta est in multis , intelligitur illius aptitudo , & potentia ad actum reducta ; & non remanere amplius , saltem sub ratione potentiae , appetitus , aut aptitudinis ; sed sub ratione complacentiae , vt in simili dici solet de potentia materia ad formam , quam in se habet.

Potest etiam declarari exemplo , quod pro se afferunt aduersarij , dum loquentur de sua vnitate , & aptitudine præcisionis . Nimirum tabula bipalmaris , quæ tandem seruat potentiam ad divisionem in duos palmos , quandiu non secatur , seu quandiu seruat vnitatem quantitatis bipalmaris : accidente vero divisionis actu , amittit aptitudinem vt diuidatur . Natura itaque tunc est actu in multis , & consequenter est vere actu vniuersalis , vt responsum est ad tertium : etiam si supponatur non distingui nisi virtualiter à differentijs : vt in fine appendicis superioris explicavimus . Quod si est actu vniuersalis , & existens in multis , erit consequenter de multis prædicabilis .

31. Quia tamen specialis videtur esse difficultas de prædicabilitate , vt tangitur in confirmatione argumenti , fusiū istud declarare libet . Itaque prædicatione , & prædicabilitas dicunt ordinem ad intellectum , vt patet , & insinuauimus in fine sectionis secundæ : vnde quamvis vniuersale Metaphysicum , vel Physicum à parte rei esse ostenderimus : Logicum tamen ab intellectu dependere , potest probabiliter sustineri : & ita nihil contra nos concludit argumentum : quia natura in multis singularibus existens ,

existens, dum per intellectum ab eisdem abstrahitur, fit indifferens, & indeterminata ad omnia, non respiciens unum potius, quam aliud: & ideo si de aliquo in particulari prædicetur, prædicabitur ut quid superius, & communius, quia multa alia præter ipsum respicit: cumque nulli tunc sit propria, non potest dici quod humanitas Petri, ut sic, prædictetur de Petro: sed quod natura humana communis, aut proxime indifferens ad omnia humana individua, fiat propria Petro per actualem prædicationem, aut in eo esse iudicetur, & adhuc remaneat indifferens, ut de multis alijs enunciatur.

Verum, si hoc alicui non placeat, poterit sustinere vniuersale, etiam Logicum, esse à parte rei, nec pendere ab intellectu: ut Logicum enim est, postulat tantummodo prædicabilitatem: at quis non videt eam esse proprietatem vniuersalis Metaphysici, necessariò illud comitnatum? Eo cum ipso quod Metaphysicum multis inest per identitatem, aut inexistentiam est enunciabile de ipsis: & licet enunciari non possit, nisi per intellectum: non ideo censeri debet constitui in esse enunciabilis, ab intellectu: sicut, licet color non sit visibilis, nisi ab oculo, non ideo constituitur ab oculo in esse visibilis; sed ab intrinseca proprietate, ob quam habet proportionem cum potentia visiva, ita ut ab ea percipi possit.

Vnde non est opus ad hoc ut intellectus naturam communem enunciatur de inferioribus, ut eam abstrahat ab illis: sed sufficit ut intelligat eam esse reuerā in illis, sicut ad faciendam istam prædicationem *paries est albus*: Sufficit ut cognoscat albedinem inesse parieti. Quod a simili patet in Deo. Quando enim dicitur immensus, omnipotens. Nulla fit abstractione alicuius prædicati communis, ut notum est. Et Deus ipse prædicat naturam humanam de Petro, & Paulo; & tamen illi non tribuit unitatem illam fictam: ergo neque opus est ut nos ita cognoscamus, ad hoc ut eam de illis prædicemus.

32 Quando ergo queritur quid prædicetur in ista propositione, *Petrus est homo*, respondendum est prædicari naturam humanam, quæ reuera est in Petro per contractionem, & determinationem factam à Petrestate: sed quia natura humana est in multis alijs individuali actu, vel possibliter: ideo habet rationem superioris respectu Petri: & ita de eo prædictatur, ut quid commune, & vniuersale, & ut totum, dicens in suo conceptu obiectuo habitudinem transcendentalem, non solum ad differentias individuales, ut ad proprios actus, sed & ad ipsa individua, tanquam ad propria inferiora, quibus inesse potest, & de quibus potest prædicari, etiam ut quid sufficenter ab ipsis distinctum distinctione excedentis & excessi, siue includentis & inclusi. Quo fit ut non sit prædicatio identica, nec æqualis de æquali, quia non prædicatur ut hæc natura reduplicatiæ; sed simpliciter ut natura, cum sua unitate formalis, & specificatiuæ sumpta: quæ per prædicationem fit propria Petro, remanens semper in se indifferens ad alia individualia, non secundum hanc entitatem Petri,

sed secundum alias numero diuisas, in quas est entitatiè diuisibilis, ut  
sepius inculcauimus.

Verum nihilominus est quòd respectu intellectus non prædicatur ut species, aut ut quid vniuersale, vel commune multis, nisi ab eo intelligatur ut communis multis: hoc autem fit ab eo per abstractionem eius à differentijs indiuiduantibus, per quas fit cuilibet propria: & ita vniuersale Logicum actuale, seu ut prædicabile formaliter, & proximè, potest dici dependere ab intellectus operatione, apprehendente, & comparante naturam ad multa. Huc refertur quod diximus q. i. de vniuersali post multa.

33. Instabis contra duas primas responsiones. Nullum totum est sine suis partibus, sed vniuersale est quoddam totum i. Phys. c. i. ergo non potest esse sine inferioribus, quæ sunt ipsius partes: at in illo priori, quo natura antecedit differentias, non sunt inferiora, quia inferiora contiuntur per tales differentias, & per contractionem naturæ, quæ in illo priori nondum facta supponitur. Item dum natura est in uno solo indiuiduo, ut natura solis in sole, non dantur multa inferiora, quæ possit respicere, & continere, sicut totum partes suas: ergo non potest esse vniuersalis, ut toties in superioribus assertum est.

Respondeo. Quando natura est de facto in multis, est vniuersale actu, & totum actuale, quod definitur unum in multis & præter multa in quibus inest unum, & idem. Quando vero non est actu in multis, ut natura solis, aut quævis alia, in illo priori quo antecedit differentias contrahentes, est etiam vniuersale actu, quia est apta inesse multis, vel per non repugnantiam, vel per aptitudinem posituam, ut in præcedenti appendice declarauimus. Vnde etiam ab Aristotele definitur, *unum aptum inesse multis*: quamvis vocari possit vniuersale tantum potentiale, seu in potentia, ut ibidem initio tetigimus; sicut & totum potentiale, quatenus in se cohibet naturam communicabilem multis inferioribus, & diuisibilem entitatiè in multa, tanquam in partes, quæ possunt illam participare. Vnde patet eam ut totum actuale, habere partes actu; ut totum verò potentiale, habere partes in potentia: & ita hanc instantiam esse parui momenti.

34. Septimum argumentum. Si detur à parte rei vniuersale, dabitur una natura existens in multis indiuiduis, sed hoc est absurdum, quia sequeretur unum, & idem esse naturaliter in duobus locis: nam si Petrus, & Paulus sint unum quid in natura humana, & Petrus sit in cælo, Paulusque in inferis, tunc eadem natura erit in duobus locis. Imò idem poterit destrui, & non destrui, si Petrus moriatur, & Paulus sit superstes. Quo nihil absurdius.

Respondeo hoc argumentum nihil valere. Sequela enim tantum vera esset, si Petrus & Paulus essent quid unum numero. Vnde sicut gutta aquæ in duas diuisa, potest esse realiter in duobus locis, ita natura huma-

na, diuisa numero in duas humanitates, potest esse simul in duobus locis: atque ita Petrus interire poterit salvo Paulo, quia humanitas Petri non est humanitas Pauli, quamvis vna sit species hominis in utroque.

Octauum argumentum. Si detur natura vna in multis, ut in Petro, & Paulo: sequitur eos esse idem inter se, est enim commune axioma, *quaे sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se.* Igitur si Petrus & Paulus sint idem in natura humana, utrique communis, erit Petrus idem quod Paulus.

Respondeo, neque hoc argumentum esse alicuius momenti. Illud enim axioma tantum valet, quando illud tertium est singulare, vel incommunicabile: non vero quando est vniuersale, aut communicabile multis: vnde non valet in diuinis: nam Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, sunt idem naturae diuinæ; & tamen non sunt idem realiter inter se, quia natura diuina est communis tribus personis. Vide infra ubi de principijs syllogismorum agitur.

Multa alia afferri possunt argumenta contra vniuersale à parte rei, sed vel coincidunt cum præcedentibus, solis terminis discrepantia, vel faciem solutionem ex dictis habere possunt.

## S E C T I O I V.

*Soluuntur argumenta pro vniuersali à parte rei allata.*

35. **N**E nimis facile desceramus viam communem, quam tot, tanti que Philosophi, Auerroes, Aphrodīsus, Themistius, Diuus Thomas, Scotus, Durandus, Capreolus, Cajetanus, Sotus, aliquę tum antiqui, tum recentiores tenuerunt, soluere placet argumenta sectionis secundæ, quae probant vniuersale admittendum esse ex parte rei, ut ita probabilis maneat altera sententia, quae illud ab intellectu fieri contendit, quæque sufficienter præcedenti sectione comprobata est.

Ad primum igitur argumentum, quod ex authoritate Arist. petitur, respondendum est, Aristotelis sententiam oppositam esse opinioni Platonis, quem ipse vbique insectatur, & probat vniuersale, non esse existens extra singularia, sed esse solum in singularibus, non completem quidem, sed fundamentaliter tantum, quatenus in his reperitur natura, in omnibus similis, seu vna unitate conformitatis, ob quam potest unam definitione explicari, uno conceptu apprehendi, & ita esse objectum commune scientiae, & habitus circa illud versantis. Vnde quando Aristoteles ait, aliqua esse vnum ratione formalis, seu essentia, illam unitatem

explicat per ordinem ad intellectum, quia nimirum vna intellectione, seu definitione comprehenduntur: ita expresse s. Metaph. c. 6. & lib. 10. cap. 1.

Ad primam confirmationem, quae est explicatio argumenti; respondeo fundamentum vniuersalitatis esse à parte rei aliquid singulare: sed quia est distinctio virtualis inter naturam, seu vnitatem eius formalem; & singularitatem, seu vnitatem numericam: ideo recte potest esse simile principium conuenientiae, & disconuenientiae: vt fusè explicui. q. 2. lectio vltimâ. Nec propterea dici debet hanc opinionem ab opinione Nominalium non discrepare, quia ipsi, saltem veteres, existimatur nisi esse in rebus ipsis quod respondeat terminis communibus, & conceptibus earum formalibus, nisi ipsa singularia: & ideo non dari scientiam nisi de vocibus, aut de conceptibus formalibus, cuius contrarium assertit ista sententia.

Ad secundam confirmationem respondeo cum D. Thoma super illum locum, lect. 10. Aristot. ibi diuidere res, non absolute, sed vt significantur per nomina communia, aut propria; & consequenter per ordinem ad intellectum, qui nominibus significationem imponit, quique distinguere potest ea, quae in rebus indentificantur, & vnum concipere, vt communis multis, & aliud, vt incommunicabile: & huius sensus signum affert D. Thomas, quia Aristoteles ibi definit vniuersale, & singulare secundum aliquid pertinens ad intellectum; scilicet per praedicari de multis, vel de uno solùm. Quomodo vniuersale, & singulare sumuntur formaliter, & sunt opposita; neque sunt à parte rei, sed per intellectum: & sic nulla est æquiuocatio in verbis.

Potest etiam dici Aristotelem loqui de rebus secundum se: sed tunc intelligit de vniuersali fundamentaliter. Nam omne quod est, potest affici intentione vniuersalitatis, vel singularitatis. Quomodo in cap. de substantia diuisit substantiam in primam, & secundam, ita vt dicatur prima, dum afficitur intentione singularitatis; secunda vero, dum concipiatur in communis, sicut ibi explicant multi.

36. Respondeo ad secundum argumentum cum Soto q. 2. vniuersalium in fine: ad hoc vt verè dicatur esse multas rerum species, & genera, omnesque homines esse eiusdem speciei, & alia similia: sufficere quod habeant naturam, quae potest esse fundamentum vniuersalitatis. Sicut enim color non tantum dicitur esse obiectum visus, quando actu videtur, & visum de facto mouet, sed quia mouere potest: ita non tantum dicuntur species, & genera, dum actu abstrahuntur, sed quia possunt abstrahi. Licet ad hoc vt dicantur vniuersalia, requiratur, quod actu abstrahantur, quia vniuersale videtur designare intentionem actualem vniuersalitatis.

Verum, si Sotus intelligat dari ex parte rei species, & genera formaliter, non videtur apposite dictum, quia ubi est genus formaliter, ibi est formaliter vniuersitas generica, multis communis, & consequenter vniuer-

fale. Quapropter dantur genera, & species tantum fundamentaliter, hoc est naturæ genericæ, & specificæ, non autem notiones, seu intentiones generis, & speciei, quæ sunt formale vniuersalis, & hoc sufficit ad veritatem propositionum, quæ in argumendo ponuntur.

Respondeo ad tertium, responsonem ibi assignatam optimam esse: & ad instantiam dico vniuersalitatem nihil addere rebus intrinsecum, nec eas facere aptas fundamentaliter, vt de eis detur definitio, vel scientia: nec denique variari conceptum essentialē naturæ humanæ, aut alterius cuiuscumque, siue concipiatur in particulari, & in individuo; siue in communali, & in abstracto.

Necessarium tamen est ad quālibet scientiam naturalem, vt objectum illius concipiatur in abstracto, & in vniuersalj, ad hoc vt habeat immaterialitatem, & actualitatem necessariam ad terminandos actus illius, quia vt scientia certa sit, necesse est objectum illius certum esse, & immutabile. Quālibet enim natura, spectata in singulari, & in individuo, mutationi subjecta est: & ideo abstractio, & vniuersalitas est conditio communis, & circumstantia necessaria ad objectum cujusque scientiæ: quamvis formaliter sumpta pro secunda intentione, propria sit Logica, aut Metaphysica. Denique sufficit vnitatis formalis, & fundamentalis objecti, ad hoc vt scientiæ non dicantur esse, aut considerare figura.

37. Respondeo ad quartum, negando primam minorem: ad cuius confirmationem, nego consequentiam. Licet enim natura humana, non sit de se, hoc est ab intrinseco, incomunicabilis, non sequitur quod de se, hoc est ab intrinseco, sit communicabilis, quia fieri potest vt neutrum per se illi conueniat, sicut de facto ei non conuenit: nam si ab intrinseco ei conueniret esse communicabile multis: conueniret ei semper, & ita prout existit in individuali, apta esset inesse multis: quod non est concedendum: quia ita est intrinsecè individua, vt ei repugnet communicari multis. Non est item ab intrinseco incomunicabilis, quia tunc ei repugnaret communicari, vt recte docet D. Thomas c. 4. de ente, & essentia.

Quapropter inter incomunicabile de se, & communicabile de se, datur medium, videlicet indifferentia, seu non repugnantia, merè negativa: quod addo, quia non conuenit naturæ de se, hoc est ex vi sua vnitatis formalis, & intrinseca proprietate, alioquin ei conueniret in individuali, quod falsum est, cum ei tunc conueniat repugnantia vt multis communicetur: sed ei conuenit de se negativa, quia secundum se sumpta, ex vi sua vnitatis formalis non est individua, & singularis: & consequenter non est ex se incomunicabilis: nec item est communicabilis, quia in individuali habet suam vnitatem formalem, & tamen ei repugnat multis communicari.

Est ergo indifferens negativa ex se, quia ex vi sua neutrum ei repugnat: sed unum ei conuenit per differentiam individualis, nimirum in-

communicabilitas & vniuersalitas formalis: conuenit ei per intellectum.

38. Ex quibus concludendum est eiusmodi indifferentiam, & non repugnantiam negatiuam fundari in ipsa rei natura, seu naturali rei condizione, ratione cuius non repugnat illi multis indiuiduis communicari. Cum enim quaelibet natura creata, limitata sit, & finita, consequenter nihil intrinsecè includit in sua entitate, quod impedit, quominus repertiri possit in multis, aut habere res alias sibi in perfectione & quales; & quā ratione non repugnat naturae secundūm se, communicari multis; eadem non repugnat ipsis indiuiduis multiplicari, seu habere alia indiuidua, sibi in eadem specie similia: & consequenter hoc non dependet ab intellectu, sed ex ipsa rei condizione, & limitatione consequitur: & cùm talis conditio naturam vbiique comitetur, ideo etiam vt existit in indiuiduis, hanc habet indifferentiam, quia licet vt in indiuiduis est, non possit esse in multis, id tamen non habet ex vi intrinseca suę vnitatis formalis, sed ex vnitate numerica, vt dictum iam est.

Et per hoc solutæ manent tres sequentes hujus argumenti confirmationes, & euidens relinquitur naturam non habere posituam, & reali aptitudinem, vt multis infit. Hanc enim habere non potest, nisi dum ipsa natura realis, & positiva est: non est autem realis positiva, nisi dum existit in indiuiduis: at in ijs est simpliciter determinata ad unum, vbi-cumque existit, ergo non est indifferens simpliciter ad multa, nec habet non repugnantiam ad existendum in multis, nisi negatiuam, vt dictum est: igitur multò minus habebit aptitudinem posituam ad existendum in multis, & consequenter nunquam erit vniuersalis, nisi fundamentaliter.

Quando verò dicitur quòd actus supponit potentiam: & consequenter, cum natura sit actu in multis, debuerit in aliquo priori apta fuisse existendi in multis. Respondendum est talem potentiam hic esse logicam, hoc est meram non repugnantiam, quia datur causa realis, quæ potest producere naturam in multis, antequam actu in eis existat.

39. Respondeo ad quintum, negando minorem. Natura enim humana existit quidem in multis, at non vna, sed multiplex: & licet sit vna formaliter, hoc est in diuisa in sua essentia, & prædicatis quidditatibus: hæc tamen vnitatis formalis non sufficit vt dicatur vniuersalis: cuius ratio est, quia cum vniuersale, & singulare opponantur in ratione communicabilis, & incomunicabilis, vnitatis vniuersalis debet esse ita propria naturæ vniuersali, vt non possit conuenire naturæ singulari. At vnitatis formalis conuenit naturæ singulari, etiam vt contractæ; ergo non potest esse propria naturæ vniuersali. Deinde vnitatis formalis multiplicatur numero in indiuiduis, vt concedunt authores alterius sententiae: at vnitatis vniuersalis non potest multiplicari in inferioribus, quia sic plures homines essent plures species: & sicut quilibet est unus formaliter, esset quoque unus vniuersaliter, vt superius argumentabamur. Quod est absurdum.

Deinde licet vnitatis formalis dicatur diuidi in indiuiduis, tantum

materialiter , & non formaliter : & consequenter omnes homines dicantur esse ejusdem naturæ , & eandem sortiri definitionem : hoc tantum indicat similitudinem , aut unitatem fundamentalarem , aut conformitatem , quæ reuerā non est unitas , sed potius divisionem , & distinctionem supponit , quia simile est alicui distincto simile . Aristoteles autem inter unitates per se , ponit genericam , & specificam ratione fundamenti , quia nimirum sunt in rebus ipsis fundamentaliter : aut ratione unitatis formalis , & similitudinis , quam res habent inter se : unitas autem formalis est unitas per se , ut notum est .

40. Respondeo ad sextum : id quod definitur , esse universalē à parte rei fundamentaliter ; & ideo abstrahitur ab intellectu , & in communi concipitur , atque ita definitur . Vnde si sit natura realis , habet proprietates reales , conuenientes sibi , non quia abstrahitur ab intellectu , et quia existit in individuis : sed quia est talis essentiae , & naturalis conditionis : quo fit ut ei conueniant secundum se , independenter à singularibus , & ab existentia . Secūs se res habet in accidentibus communib⁹ , quia cūm non conueniant naturæ ab intrinseco , & secundum se spectatae , non possunt ei tribui , nisi prout conueniunt aliquibus singularibus , in quibus ipsa reperitur ; & consequenter secundariō , & accidentaliter .

Respondeo ad septimum , & ultimum , universalē ut universalē , esse objectum intellectus , quia ab eo solo fieri , & cognosci potest . Objectum autem præcedit potentiam , secundum rem , quæ objectum dicitur , non verò secundum modum , quem recipit dum potentia versatur circa objectum : hic autem modus est universalitas ; res verò est natura ipsa , quæ universalitate per intellectum afficitur .

Respondent alij ut Sotus , Masius : obiectum præcedere potentiam contemplatiām sui , sed non actuām . Et ita universalē præcedere intellectum possibilem , qui illud cognoscit , & contemplatur , non verò intellectum agentem , qui illud efficit , abstrahendo species à phantasmati . Sed prima responsio legitima est . Nam vel illi duo intellectus non distinguuntur ex parte rei : & ita si universalē est prius patibili , erit prius agenti : vel si distinguantur ut volunt Thomistæ , universalē non fit per agentem , sed per possibilem . De hoc tamen tum in sequenti quæstione , tum in libris de anima .

41. Ex his sufficienter soluta manent , quæcumque in appendice superiori afferuntur pro vniuersali ex parte rei . Ostendimus enim in solutione quarti quomodo nulla natura possit habere realem aptitudinem ad existendum in multis , quia non habet eam antequam existat , dum verò actu existit , ita determinata est ad quolibet , in quo existit , ut in alio esse nequeat . Ostendimus item in solutione quinti , quomodo natura existens , non sit vna unitate sufficienti ad universalē , sed tantum unitate formalis , seu fundamentali , de qua intelligitur definitio universalis , dum dicitur vnum in multis : & sic in ea , nulla est æquiuocatio .



Quando verò consideratur natura prout est in omnibus inferioribus simul, & semel, in quo statu singuli actus videntur esse velut partes vnius actus totalis, & adæquati, quo natura est in omnibus inferioribus: non potest etiam hoc modo esse ex parte rei vniuersalis, quia non est vna. Aggregat umerum enim omnium vnitatum formalium non facit vnum simpliciter, sed simpliciter multa: illæ quippe omnes vnitates, etiam simul sumptæ, relinquunt naturam multiplicatam, & multiplicem, distinctam, & diuisam in multis: at vniuersale dicitur simpliciter vnum.

Dum autem Diuus Thomas usurpat nomen speciei pro tota natura humana, loquitur secundum vulgi sensum: vel intelligit habere rationem speciei, ut existit in omnibus individuis, eo modo quo vniuersale dicitur esse vnum in illis, nimirum fundamentaliter, quia ab illis abstracti potest, & accipere aptitudinem ad essendum in illis sub una ratione communi per intellectum, abstractentem, & praedicantem illam. Et quando queritur in praedicta appendice quis actus respondeat aptitudini vniuersalis. Rectè ibi respondet, actum illum non esse realem existentiam naturæ in pluribus, sed praedicationem eius, & contractionem ad plura, factam ab intellectu; & sic esse aliquid rationis: realis verò existentia in pluribus, est fundamentum talis abstractionis, & praedicationis.

Neque ob id vnitas vniuersalis communicatur singularibus, aut in actuali praedicatione deperditur, quia natura praedicata, semper remanet indifferens, ut de pluribus alijs praedicetur, licet per actualem praedicationem amittat indifferentiam respectu individui, de quo praedicatur, & ad quod sic contrahitur.

Verum denique est naturam, quæ praedicatur, esse vel posse esse realiter in illis, de quibus praedicatur: neque accipere ab intellectu, vt sit realiter in illis; sed solum ut sit apta proximè, praedicari de illis per modum vnius, & communis, vnitate, & communitate vniuersalis; atque ita vniuersale fieri proximè, & formaliter ab intellectu, quod quomodo fiat statim dicendum est.

2V AESTIO





## Q V A E S T I O V.

De Vniuersali per intellectum.

---

### S E C T I O I.

*Quomodo vniuersale fiat per intellectum?*

ONSTA T inter omnes authores, qui postremam istam sententiam tueruntur, vniuersale fieri ab intellectu per præcificationem, seu abstractionem naturæ communis ab inferioribus, sive à differentijs, & conditionibus individuantibus.

Quia enim quicquid existit singulare est, sicut unque proprium cuilibet individuo per differentias individuantes: ideo ut natura al. qua fiat communis, & vniuersalis, debet præscindi, & concipi absque huiusmodi differentijs, vt ita maneat in se libera, & indifferens ad omnia.

Præscindere autem, & abstrahere, secundum quod ad præsens institutum attinet, nihil aliud est, nisi in re aliqua, in qua multa coniuncta sunt, sive distinguuntur ex natura rei, sive non; vnum sine alio concipere: vt dum intellectus concipit naturam humanam, quæ est in Petro, non concepta Petreitate; aut animalitatem non concepta rationalitate; aut dum naturam animalis in se considerat, non concipiendo expressè diuersas animalium species. Tunc enim dicitur abstrahere naturam communem animalis à suis inferioribus, & à differentijs.

Hic autem modus loquendi deducitur ex modo operandi intellectus, quem diximus in quæstione de ente rationis, esse per quandam attrationem obiectivam, quâ res fiunt illi præsentes: ideoque dum vnum sine alio intelligit, videtur illud præscindere, seu abiungere ab alio, & illud ad se attrahere. Quod fit sine mendacio, vt bene docet D. Thomas, I. p. q. 85. a. 1. ad 1. ynde *abstrahentium non est mendacium*, inquit Aristot. 2. Phys. c. 2. textu 18. tunc enim intellectus non denegat rei quod habet, nec tribuit quod non habet; sed cognoscit id quod habet, licet non cognoscat omnia, quæ habet, aut non sub omni modo, quo habet: quemadmodum visus, dum percipit colorem in pomo, non percepto eius odore, nullo modo fallitur, nec aliquid fingit.

Hæc autem abstractio vocatur præcisiva, & dicitur fieri per modum

simplicitatis: quod si accedit iudicium intellectus, intelligentis unum non esse in alio, vel separatum esse ab alio; ut dum dicit, *homo non est agens*. Talis abstractio vocatur negativa, & dicitur à D. Thoma citato, fieri per modum diuisionis: in eaque reperitur falsitas, si ea, quæ sic separantur, reuera separata non sint.

Quoniam autem vniuersale debet prædicari de multis, hoc est de ijs, à quibus abstrahitur, consequenter debet abstrahi abstractione conuenienti, vt prædicari possit, pro quo.

Nota duplarem esse abstractionem, partialem scilicet & totalem. Abstractionis partialis est, quando id, quod abstrahitur, explicatur nomine abstracto, & abstrahitur per modum partis, & formæ, vt *humanitas*. Totalis verò est, quando explicatur nomine concreto, & abstrahitur per modum totius, vt *album*, *animal*, *homo*. Nam homo significat humanitatem, & id, in quo est humanitas: & ideo habet rationem totius respectu Petri, Pauli, &c. à quibus abstrahitur: ita tamen vt non concipiuntur expressè Petrus, & Paulus, quatenus differunt, sed quatenus conueniunt in natura abstracta, & sunt id, quod habet humanitatem. Vnde *homo*, tantum confusè, & indistinctè continet totum hoc, quod est in individuis, quia si totum expressè contineret, non fieret abstractio.

Hæc igitur ultima abstractio, seu totalis, propria est vniuersali, vt possit prædicari. Nam ex communi Logicorum régula, *subiectum*, & *prædicatum supponunt pro eodem*: ita vt subiectum non debeat plus continere quam prædicatum: si autem fieret tantum abstractionis partialis, subiectum plus contineret: vnde istæ prædicationes non sunt bona, *Petrus est humanitas*, *est animalitas*: sicut nec ista, *Petrus est anima*: istæ autem sunt bona, *Petrus est homo*, *Petrus est animal*.

## S E C T I O II.

*Per quem actum intellectus fiat vniuersale.*

3. **C**IRCA hoc Triplex est sententia, prima est, vniuersale fieri formaliter per abstractionem intellectus agètis, cuius munus est abstrahere species intellectiles à phantasmatis, & eas producere in intellectu patibili, quod quomodo fiat, dicitur in libris de anima. Ita Masius scđt. 2, q. 5. & pro hac citatur ab eo D. Thomas Opusculo 55. & 6. & 1. p. q. 85. a. 1. ad 1. ubi ait, ea quæ pertinent ad rationem speciei cuiuslibet rei materialis, possunt considerari sine principijs individualibus, quæ non sunt de ratione speciei: & hoc est abstrahere vniuersale à particulari, sive speciem intelligibilem à phantasmib⁹. Cajetanus

item c. 4. de ente, & essentia q. 6. & 7. Sotus q. 3. de vniuersalibus, & alij. Sed D. Thomas in contrarium etiam à multis citatur: & reuerā noui potest clare ex ipso deduci, quid senserit.

Secunda sententia est, vniuersale formaliter fieri per primam cognitionem intellectus possibilis, per quam ipse vtendo speciebus intellectualibus, in se ab agente productis, cognoscit naturam in communī, non cognitis individuis expresse, & clare. Pro hac sententia citatur Durandus in i. d. 3. p. 2. q. 5. ad 2. item D. Thomas q. citatā a. 2. ad 2. vbi sic ait, *sed quod humanitas apprehendatur sine individualibus conditionibus quod est ipsum abstracti, ad quod sequitur intentio vniuersalitatis, accedit humanitati, secundum quod percipitur ab intellectu, in quo est similitudo naturae speciei, & non individualium principiorum.*

4. Tertia sententia est, vniuersale fieri per secundum actum intellectus possibilis, qui dicitur simplex comparatio, per quam intellectus cognoscit naturam iam abstractam per primam operationem, in ordine ad inferiora, à quibus eam abstractit, nihil affirmando, aut negando; sed simpliciter apprehendendo conuenientiam eorum in vna natura abstracta, & communī; sicut sensus communis cognoscit sonum, non esse sensibile visus, nec colorem auditus, comparando vnum cum alio absque affirmatione, aut negatione: & ouis cognoscit hanc matrem, suam esse, non illam: quod facit comparando vnam cum altera. Ita Scotus in 2. d. 3. q. 1. n. 9. & Cajetanus cap. 4. de ente, & essentia q. 7. § responso autem, vbi expresse docet relationem generis, & similes, fieri per cognitionem comparatiuam, & per cognitionem reflexam, quā natura cognoscitur in ordine ad inferiora, & q. illā saepē repetitvniuersalitatem esse relationem rationis, factam ab intellectu possibili.

Ita etiam D. Thomas, in i. d. 2. q. 1. a. 3. his verbis. *Ex hoc quod intellectus intelligit animal, ut in pluribus speciebus attribuit ei intentionem generis, & huiusmodi intentionis, licet proximum fundamentum non sit in re, sed in intellectu, tamen remotum fundamentum est res ipsa. & q. 7. de potentia. a. ii. huiusmodi sunt relationes quae attribuntur ab intellectu rebus intellectis prout sunt intellecta, sicut ratio generis, & speciei. Has enim relationes ratio adinuenit considerando ordinem eius quod est in intellectu, adres quae sunt extra. Item adiunc expressius Opusīc. 48. cap. 1. vbi querit quid sit vniuersale: sic enim loquitur. Quia intellectus reflectitur supra seipsum, & supra ea quae in eo sunt, sive subjectiuē, sive objectiuē considerat iterum hominem, sic à se intellectum sine conditionibus materia: & videt quod talis natura cum tali vniuersalitate, seu abstractione, intellecta potest attribui huic, & illi individuo, & quod realiter est in hoc, & illo individuo: ideo format secundam intentionem de tali natura, & hanc vocat vniuersale, seu prædicabile.*

Porro quæ ex his opinionibus sit probabilior, quilibet poterit iudica-

re, si argumenta quibus fulciuntur expenderimus, quod ut distinctius fiat,  
scorsim proponemus singula.

### SECTIO III.

#### *Vniuersale fieri per intellectum agentem.*

5. **P**OTIORES ad sententiam istam confirmandam rationes sunt  
istæ, pîma. Tunc natura fit singularis quando coniungitur cùm  
differentijs individualibj, ergo fit vniuersalis quando abstrahi-  
tur ab illis: sed ab illis abstrahit per intellectum agentem; ergo per  
eum fit vniuersalis. Minor ostenditur in libris de anima, quia intellectus  
agens abstrahendo species intellectiles à phantasmatis, denudat natu-  
ram per tales species repræsentataæ, ab individuis & differentijs parti-  
cularibus.

Respondeo negando minorem. Natura enim non abstrahitur per in-  
tellectum agentem à conditionibz individuantibz: sed solum abstrahi-  
tur species intelligibilis à phantasmatis: quæ species non est imago ex-  
prefia, naturæ repræsentatiua; sed tantum virtualis, vt dicitur in libris  
de anima.

Deinde. Hæc ratio supponit intellectum agentem non abstrahere à  
phantasmatis species repræsentantes individua, sed tantum naturas com-  
munes, vt docet D. Thomas 1. p. q. 86. a. 1. hoc tamen multi negant,  
de quo in libris de anima.

Tertiò. Hoc etiam supposito, non est vera de omni vniuersali abso-  
lutè. Nam etiam ex authoribus huius sententiaz, intellectus agens non  
exercet actionem suam, nisi in phantasmata, quæ illi à phantasia propo-  
nuntur: at phantasia non potest illi proponere res spiritales: ergo dum  
vniuersale fit in rebus spiritualibus, vt in natura Angelica; in natura  
animæ rationalis, tunc non fit ab intellectu agente.

Quarto. Ad hoc vt intellectus agens faciat vniuersale genericum, non  
tantum debet abstrahere naturam à differentijs individuantibz, sed  
etiam à specificis, quia hæ multiplicant illam, & in varias species dividunt:  
at non potest illam abstrahere ab huiusmodi differentijs specificis, nam  
phantasma non repræsentat aliquid per modum differentiæ, seu formæ,  
sed per modum totius individui: ergo intellectus agens non potest elicere  
speciem repræsentantem solam differentiam, vt differentia est; sed so-  
lum repræsentantem totam naturam specificam individui per modum to-  
tius. Neque enim liber est, aut cognoscitius, vt possit modò elicere  
speciem repræsentantem solam differentiam, modo aliam repræsentan-

tem gradum genericum , modò aliam repræsentantem totam speciem: quia de se operatur quantum potest, & ideo debet imprimere speciem conformem propositioni phantasmatis. Igitur vniuersale genericum non fiet ab intellectu agente, saltem quando phantasma imbecille non est, vt contingit cum animal ita à longe cernitur, vt discerni non possit cuius sit speciei.

6. Secunda ratio. Vniuersale est obiectum intellectus possibilis, qui est potentia contemplativa: ergo illum præcedit: & ita fit ab intellectu agente, qui est prior patibili, saltem quoad actionem.

Respondeo, intellectum possibilem, non solum esse potentiam contemplatiuam respectu vniuersalis; sed etiam actiuam.

Tertia ratio. Esse vniuersale in actu, est esse intelligibile in actu: nam vniuersale est obiectum intellectus, vt sæpe dictum est: sed natura fit intelligibilis in actu per abstractionem intellectus agentis, vt docet Arist. 3. de anima. cap. 6. ergo per eundem fit vniuersalis.

Respondeo, vniuersale quidem in actu, esse intelligibile in actu, sed non contra, illud esse vniuersale in actu, quod est actu intelligibile. Nam quodvis immateriale singulare, vt anima hæc singularis, hic Angelus, dicuntur actu intelligibilia; & tamen vniuersalia non sunt.

Deinde esse intelligibile actu, & esse obiectum intellectus, habet natura ab intrinseca, & reali entitate, siue perfectione: esse autem vniuersale, habet à secunda intentione.

Tertiò, nihil obstat, quominus individuum materiale repræsentetur directè per speciem spiritalem productam ab intellectu agente in patibili, nam materialia singulata, proportionaliter cognoscuntur à Deo, & ab Angelis.

7. Quarta ratiō. Vniuersale est, quod est vnum in multis, & aptum prædicari de illis potentia proximâ: sed natura abstracta per intellectum agentem, est vna in multis, cum vnicā specie intelligibili repræsentetur, habeatque uniformitatem, & indifferentiam ad plura, quia nulli tunc est propria; est etiam proximè apta prædicari de multis, quia potest intellectus patibilis vti naturâ hoc modo abstracta, ad actualem prædicationem, absque eo quod medium yllum intercedat: igitur est apta ad hoc potentia proximâ.

Respondeo, in minori supponi falsum. Non enim propriè abstractur natura ab intellectu agente, sed tantum abstractur species eius à phantasmati: neque illa species repræsentat actu naturam ipsam, sed tantum virtualiter, & in potentia, quatenus intellectus patibilis potest vti illâ ad naturam intelligendam; & ideo non potest naturam prædicare de inferioribus, quin prius illam abstracterit, & cognoverit.

Adde, quod licet concederetur speciem à phantasmati eritam, repræsentare formaliter naturam; non posset tamen illam repræsentare, nisi secundum conditionem eius realem, quia repræsentaret naturaliter: at

vniuersalitas est ens rationis, aut denominatio extrinseca, quæ non potest exprimi ab specie illa, ut patet: igitur vniuersale dici tantum potest fieri ab intellectu agente in actu primo, virtualiter, & remotè. Neque hanc opinionem existimo veram, nisi in hoc sensu, in quo potest intelligi, & explicari D. Thomas.

---

## SECTIO IV.

*Vniuersale fieri per primam operationem intellectus possibilis.*

8. **S**E C V N D A hæc sententia his fulcitur rationibus. Prima esse potest ea, quæ pro altera sententia primo, & quarto loco allata est: licet enim vim non habeat pro abstractione, facta per intellectum agentem, ob rationes ibi datas: tamen valida videtur pro abstractione facta per intellectum possibilem: per eum enim natura cognoscitur in se, & libera fit ab omnibus conditionibus contrahentibus; atque adeò fit vna, & proximè apta, ut prædicetur de quolibet inferiori, quia, ut sic, est ratio communis, nulli propria, & uniformiter se habens ad omnia; atque adeò vniuersalis.

Secunda ratio. Quicquid est, vel vniuersale est, vel singulare: sed natura abstracta per primam operationem intellectus possibilis, non est singularis, alioquin non esset abstracta à conditionibus individuantibus; ergo est vniuersalis.

Tertia ratio. Si natura sic existeret extra individua, ut obiicitur cognitioni intellectus possibilis, esset vniuersale in essendo Platonicum: ergo nunc est vniuersalis per denominationem ab intellectu.

Quarta ratio. Si intellectus reflectatur supra actum suum directum, & supra naturam, per eum sic apprehensam, cognoscit eam non esse singularem, nec alicui propriam, sed quid commune, & communicabile multis: ergo ante talem actum reflexum, est reuerâ communis, & vniuersalis.

9. Ad has rationes potest uno verbo responderi, naturam sic abstractam, esse vniuersalem Metaphysicè, non Logicè; seu negatiuè, non positiuè; seu remotè, non proximè: Metaphysicè quidem, quia ad Metaphysicum spectat considerare naturas secundum se, à singularitatibus abstractas, nec à secundis intentionibus denominatas: ad Logicum vero, quatenus subjiciuntur, aut prædicantur: quod requirit comparationem, ut patet. Negatiuè autem vniuersalis dici potest, quia nihil ei repugnat, quin intellectus statim possit eam ad inferiora comparare, & sic

afficere formā quasi positiuā, & propriā vniuersitatis, hoc est relationis rationis ad inferiora; atque constituere proximē, & actu vniuersalem.

Ex quibus in particulari fit satis rationi tertiae, quæ specialem solutionem postulare videbatur. Nam vniuersale Platonicum, & natura illa realiter separata, haberet in se relationem realem, quā vniiformiter respi-  
ceret multa inferiora, & per eam constitueretur formaliter vniuersalis.  
Cum igitur natura, ex eo præcisè quod abstracta est per intellectum possi-  
bilem, non referatur actu ad multa, nec concipiatur ut relata ad illa,  
non potest, ut sic, esse actu, positiuē, & formaliter vniuersalis. Verum  
est tamen, quod ad huiusmodi abstractionem proximē sequitur inten-  
tio vniuersitatis, sicut relatio ad suum fundamentum, quia natura sic  
proximē disponitur, ut fiat vniuersalis per sequentem comparationem.  
Et sic intelligendus est D. Thomas, pro secunda illa sententia citatus.

## S E C T I O V.

*Vniuersale fieri per cognitionem comparatiuam.*

ro. P R O B A T U R primò hæc sententia. Vniuersale, ut vniuersale,  
est aliquid relatiuum, ut patet ex eius definitione, quā dici-  
tur *vnum in multis, & de multis prædicabile*, & ex defini-  
tionibus generis, & speciei traditis à Porphyrio, in quibus genus expli-  
catur per ordinem ad speciem, & species per ordinem ad individua: ergo  
intellectus non potest dare actuale vniuersali, nisi concipiatur naturam,  
ut relatam ad multa, tanquam totum ad partes, & superius ad inferiora  
( Relata enim sunt simul naturā, & cognitione ) hoc autem non fit per  
primam operationem intellectus possibilis: ergo fieri debet per secundam,  
quæ est actus comparatiuus.

Respondeo, vniuersale, secundum essentiam non definiri per actuū  
seu *vnum in multis, & quod prædicatur actu de multis*: sed per  
aptitudinem, ut scilicet aptum sit inesse multis, & prædicari de multis.  
Et ideo, ut natura sit vniuersalis, non est opus, ut actu referatur, seu  
comparetur ad multa, sed sufficit, ut referatur, & comparetur potestate,  
hoc est ut sit apta, & in proxima dispositione, ut comparetur ad multa,  
& prædicetur de multis. Hoc autem habet per primam, & directam  
operationem intellectus possibilis, ut probabiliter ostenditur per rationes  
secundæ sententiae.

ii. Probatur secundò. Vniuersalitas non est forma realis, ut conce-  
dunt aduersarij; ergo est rationis: ergo non fit per actuū directum intel-  
lectus possibilis. Probatur hæc ultima consequentia, quia ex rationis

est, quod habet esse obiectum in intellectu: ergo tantum est, quando ipsi obijcitur, sed non obijcitur primae operationi intellectus possibilis: per eam enim tantum concipitur natura in communi, abstrahendo à differentijs individuantibus: quod non est concipere ens rationis. Ergo &c.

Respondeo primò, negando ultimam illam consequentiam: ad cuius probationem dicunt aliqui, ens rationis non tantum habere esse quando cognoscitur, licet supponat cognitionem: & ideo volunt illud esse proprietatem, consequentem naturam, ut habet esse in intellectu. Ita Masius sect. 2. q. 5. ad 3. vnde ex hac opinione, *parietem esse cognitum, est formaliter ens rationis.*

Verum hæc solutio falsa videtur, vt patet ex his quæ diximus, agendo de denominationibus extrinsecis in quæstione de ente rationis. Et confirmatur: nam, posito quod vniuersalitas sit relatio; vel natura refertur realiter, vel fingitur referri? non fugitur autem referri, dum non comparatur ad inferiora, vt patet ex ratione facta; seu dum non cognoscitur relatio eius ad illa. Si enim existeret relatio naturæ abstractæ ad inferiora, quamvis non cognosceretur, esset reuerâ relatio realis, quia non datur medium inter ens reale, & ens fictum.

Deinde *parietem esse visum*, est verum ante operationem intellectus, sicut & Deum esse creatorem: ergo si paries haberet relationem ad visum, aut Deus ad creaturam, antequam intellectus actualiter ea compararet, tales relationes essent reales, quod patet esse falsum. Requiritur ergo vt intellectus actu fingat ens rationis, alioquin existere non potest, quia existeret extra intellectum, & sic reale esset, quare.

12. Respondeo secundò, verum esse, relationem vniuersalitatis non existere in natura, nisi cum apprehenditur per actum comparativum: ei tamen conuenire dum apprehenditur per actum directum absque differentijs contrahentibus: quia quotiescumque in aliquo subiecto dantur omnia necessaria ad aliquam formam, & solum deest eius productio, talis forma debetur subiecto, & consequenter potest de illo prædicari, esto talis forma non producatur, aut non resultet, subtrahente Deo concursum: at natura abstracta habet omnia necessaria ad relationem vniuersalis, præter eius productionem: ergo relatio vniuersalitatis ei conuenit. Ita Comimbricensis q. 6. a. 3. ad tertiam sententiam.

Sed hæc quoque solutio falsa videtur. Quamvis enim in formis realibus verum sit, positis omnibus dispositionibus necessarijs in subiecto, formam subiecto deberi, verbi gratia cygno albedinem: si tamen impediatur albedinis productio, subtrahente Deo concursum, falsa erit ista prædicatio. *cgnus est formaliter albus*: ergo similiter falsa erit ista propositio *natura per primam operationem intellectus possibilis abstracta, est formaliter vniuersalis*, quia de facto non habet in se talem formam, & relationem; quamvis sit in proxima potentia, vt habeat: sicut recte docet Caietanus i. p. q. 28. a. 1. paulò ante finem.

Dicendum ergo existimo, vel relationem actualē, non esse de ratione vniuersalis, sed tantum relationem, aut comparationem potestate, ut in solutione primi dictum est; vel vniuersalitatem non esse relationem rationis, sed in denominatione extrinseca sitam esse, ut explicabitur sectione sequenti.

13. Probatur tertio. Natura non dicitur vniuersalis ex eo praeceps quod est vna in se, quia etiam considerata in uno individuo, est sic una, & individualis: neque etiam ut est communis negatiū, hoc est, ut in se spectatur, abstrahendo a ceteris, quia tunc ei solum conueniunt praedicta quidditatua, ut multoties in superioribus explicatum est ex D. Thoma, & alijs: ergo cum haec solum habeat per primam operationem intellectus possibilis, non potest per eam fieri vniuersalis: fiet ergo vniuersalis quando fiet vna multorum, seu vna in multis, & multis communis, quod habet per cognitionem comparatiuam.

Respondeo naturam, eo ipso quod in se spectatur, abstracta a conditionibus individualibus, esse unam, & aptam ut multis insit, deque multis praedicitur, quia, ut sic, nulli est propria, neque in uno contracta: atque adeo communis est, indifferenter ad omnia se habens: unde non eget comparatione, nisi ut actum recipiat, qui ei est accidentalis.

Probatur quartò. Si vniuersale fieret per primam operationem intellectus possibilis, genus, species &c. non distinguerentur inter se in ratione vniuersalis, ergo non possunt fieri nisi per secundam. Consequencia est clara, quia eadem sunt principia distinctiuā, & constitutiua. Antecedens ostenditur. Quando enim natura animalis concipiatur in abstracto, intelligitur tantum ut principium sentiendi; & natura hominis, ut principium ratiocinandi: an vero sit vna genericè, vel vna specificè, non intelligitur, nisi intelligantur, & cognoscantur illa multa, in quibus inest, quod fieri nequit, nisi per comparationem.

Respondeo negando antecedens. Si enim natura abstracta, sit vniuersalis, ut probant rationes pro secunda sententia allatae: necessè est ut contineatur sub aliqua specie vniuersalis: quia quod est sub genere aliquo, debet esse sub aliqua illius specie. Verum quidem est naturam non agnoscit genus, aut speciem, &c. nisi dum comparatur ad ea, in quibus inest, aut inesse potest; sed tamen, ut sit genus, vel species, &c. non indiget illa comparatione.

Ratio est, quia, dum natura aliqua abstrahitur, debet abstrahi secundum proprium suum, & naturalem conceptum; & consequenter secum defert propriam habitudinem, & conditionem naturalem: unde si talis conditio faciat eam multis specie differentibus communicabilem, erit genus: si vero communicabilem multis solo numero diuersis, erit species: & ita de ceteris.

## S E C T I O V I .

*Declaratur opinio rationabilior in hac materia.*

14. **E**x dictis evidens relinquitur, probabilem esse vtramque hanc de vniuersali sententiam, & posse rationabiliter sustineri: vt tamen inter se aliquā ratione concilientur, & quod sentio apertejam, dico postremam sententiam merito requirere relationem, & comparisonem quandam naturae abstractae ad sua inferiora, vt completam habeat vniuersalis rationem. Aliam vero, talem relationem recte excludere, si de relatione rationis facta, & propriè sumpta intelligatur. Quod ex sequentibus planum fiet.

Vniuersale igitur fieri existimo, suamque vnitatem, & aptitudinem existendi in multis accipere ab intellectu per actum, quo abstractur natura à singularibus, ipsis singularibus tantum confusè cognitis. Ita mihi planè videtur sentire Diuus Thomas cap. 3. & 4. de ente, & essentia, & Opusc. 55. si illius sit.

Ratio est primum, quia actus ille, quo cognoscitur natura, verbi gratia humana, in communi, cognitis tantum confusè singularibus, à quibus abstracta est, habet pro obiecto verum ens reale, & consequenter tale obiectum, vt sic, est vnum, quia vnitas sequitur ens: sed non est vnum unitate singulari, quia actus ille non repräsentat expressè aliquod singulare in particulari: neque etiam est vnum vnitate simpliciter formalis, seu naturae secundum se, quia cognitionis talis vnitatis non terminatur ad singularia; ergo est vnum vnitate vniuersali, & consequenter aptum existendi in multis, & prædicari de multis proximâ aptitudine. Eo enim ipso quod intellectus concipit naturam humanam in communi, concipiendo tantum confusè singularia, prout participant talem naturam, hoc ipso redditur proximè potens ad enunciandam talem naturam de quocumque individuo, in quo essentiam, & proprietates naturae humanae in particula-re repererit.

Præterea. Actus, quo concipitur natura aliqua in abstracto, ipsis singularibus confusè cognitis, prout in tali natura conueniunt, est formaliter vniuersalis in repræsentando, & consequenter obiectum est vniuersaliter repræsentatum: ergo obiectum ipsum constituitur formaliter vniuersale per talem actum. Probatur consequentia, quia per illum actum constituitur aptum ut sit in multis, & prædicetur de multis; concipitur quippe commune multis, eo quod non concipitur Petrus, vel Paulus in singulari, & expressè, sed honio; & consequenter aliquid vtrique commune: atque adeo de ipsis prædicabile. Vnde S. Thomas dicto

Opusculo aliquanto post initium sic loquitur de illo actu, siue specie expressa naturæ. *E*s enim illa in solo intellectu singularis. & sit vniuersalis in quantum habet rationem uniformem ad omnia individua, quæ sunt extra animam, prout æqualiter est similitudo omnium, ducens in omnium cognitionem.

15. Ex quibus patet primò, ad hoc ut natura aliqua fiat vniuersalis, non sufficere ut ipsa concipiatur tantum in se, & secundum se in abstracto cum sua unitate formalis, ut volebat prior opinio, quia ut sic est tantum proximum fundamentum unitatis vniuersalis: sed requiritur insuper, ut singularia confusè concipientur secundum quoddam similia sunt in tali natura abstracta.

Secundò patet vniuersale non esse formaliter ens rationis, seu relationem superioris ad inferiora, ut vult ultima opinio: quia vniuersale sic esset figuratum intellectus. Quorsum autem tam longæ disputationes de figmento, quod fundamentum omnium scientiarum est? Deinde antequam resultet talis relatio rationis in natura ex comparatione eius ad inferiora, iam ipsa vniuersalis est, quia iam representatur intellectui. ut una in multis: & consequenter tale ens rationis non constituit formaliter vniuersale, sed supponit iam constitutum.

Quare esse vniuersale, est vera, & realis denominatio extrinseca petitæ ab actu intellectus, representante naturam unam in multis. Sic enim natura ipsa fit una extrinsecè; & ipse met actus habet, ut sit vniuersalis in representando, licet entitatiuè, seu in essendo, singularis sit: quemadmodum, si esset aliqua forma, seu statua lapidea, representans multos homines similes, ipsa haberet esse singulare, quatenus existeret in tali materia; sed tamen haberet rationem vniuersalis, secundum quod esset communis per representationem plurium, seu potius secundum quod esset representatio formæ in multis existentis: quæ est comparatio D. Thomæ citato Opusculo.

Tertiò denique patet vniuersale ita formatum, dicere ordinem ad inferiora, ut asserit ultima sententia: sed non ordinem rationis; at veluti transcendentalis, seu essentialis, qui formaliter consistit in denominatione extrinseca, & in apprehensione directa naturæ, per quam constituitur veluti superior, & apta inesse multis. Cum enim apprehendatur ut una in multis, denominatur extrinsecè à tali apprehensione, una, & apta inesse multis; atque adeò habens ordinem ad multa: quo fit ut unitas, & aptitudo, atque ordo ille naturæ ad inferiora, sint materialiter, & subiectivè, & effectivè in intellectu: extrinsecè vero in natura: sicut ratio visi, & ratio cogniti in obiecto.

Neque aliter de vniuersali, ut est praedicabile, Philosophari debemus. Praedicari enim actu, & esse praedicabile, sunt denominations extrinsecæ, petitæ ab actu intellectus, enunciante unum de alio, absque ullâ fictione, aut relatione rationis.

16. Hunc porro seruat processum intellectus in vniuersali formando. Animaduertit verbi gratia Petrum , Paulum , Ioannem , aliosque homines , edere similes operationes , vt audire , videre , &c. vnde colligit in ijs esse principia talium operationum similia : similes enim effectus similes arguunt causas. Idem præterea animaduertit in equo , leone , boe : unde consequenter colligit esse simile principium talium operationum in ipsis ; & quia quæ sunt similia , possunt concipi vt vnum , secundum id , in quo sunt similia ; inde concipit principium talium operationum , quasi esset vnum in Petro , Paulo , equo , leone , abstrahens conceptum communem repræsentantem id , in quo hæc omnia conueniunt , non conciendo clare id , in quo differunt : & ita format vniuersale , quod exprimit hac voce , *animal*.

Tum contemplando illam communem rationem abstractam , & eam cum inferioribus , a quibus abstracta est , comparando , & percipiendo conuenientiam eius cum illis ; tribuit illi quamdam quasi formam positivam , per quam , vt vult ultima sententia , constituitur in esse vniuersalis Logici completi: & secundum eandem sententiam hæc forma est ratio rationis , quæ concipitur ad modum entis realis , & positivi. Vnde natura sic abstracta , & è relatione , seu comparatione affecta , est vniuersalis obiectuè : adeo vt si animal realiter existeret , prout intellectui obijicitur , esset vniuersale in effendo , quale Platoni tribuitur. Siautem intellectus per talem comparationem animaduertat , ea , quibus conuenit talis ratio communis abstracta , differre specie ; tribuit illi denominacionem generis ; si solo numero differre intelligat , tribuit illi rationem speciei : & sic de cæteris vniuersalibus , de quorum numero , & proprietatis quæstione sequenti agemus.



## QVAESTIO VI.

### De Proprietatibus , & numero vniuersalium.



V M haec tenus de essentia vniuersalis , & quantum ad materiale , & quantum ad formale , sufficienter differuerimus ; ratio ipsa postulat , & doctrinæ ordo , vt explicemus quasdam veluti passiones , & proprietates illius. Nihil autem in particulari dicendum censui de illis quibusdam à Porphyrio excitatis quæstionibus in sua præfatione . An vide licet genera , & species sint in rerum natura : an in solis conceptibus collocentur : utrum sint corporea , vel experientia corporis : utrum sint separa-

bilia à rebus sensibilibus, vel tantum in illis subsistant. Huiusmodi enim, & similes questiones satis superque resolutæ manent ex supradictis. Solum ergo hic inquiremus, an vniuersalia sint ingenerabilia, & incorruptibilia; an sint perpetua, & æterna; an peremptis singularibus ipsa pereant; quomodo denique propositiones de ipsiis dicantur esse æternæ veritatis. Quæ omnia habentur veluti passiones, & proprietates, non secùs ac prædicabilitas, de qua in questione de genere.

---

## S E C T I O I.

*An vniuersalia sint ingenerabilia, æterna, &c.*

**Q**UIA vniuersalia sunt obiecta scientiarum, consequenter ingenerabilia, immutabilia, & æterna esse debent, ut scientiae possint esse certæ, & immutabiles: sed quia ratione hoc attributum eis competit, non vna est omnium explicatio. Plato propter hoc posuit suas ideas, per se subsistentes: sed eas supra claram refutauimus; & contrarium est fide sanctum, quia quicquid existit, dependet à Deo, vt à primo efficiente, iuxta illud Ioan. I. *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Constat autem genes. I. nihil à Deo factum esse ab æterno, sed in tempore, & ideo vniuersalia quoad existentiam, neque ingenerabilia esse possunt, neque æterna.

Aliqui apud Soncinnatem 9. Metaph. q. 4. dixerunt vniuersalia esse ab æterno secundum esse essentiæ extra Deum, ita ut essentiæ rerum sint ab æterno verè, & secundum aliquam entitatem realem, quam à Deo non acciperint, vt ab efficiente: quæ deinde in tempore existentiam recipient per productionem. Hanc sententiam sequuntur etiam recentiores aliqui, inter quos est de Raonis tractatu I. de vniuersalibus q. 2. & in Metaph. disput. de principijs complexis sect. 3. Camerarius p. 3. q. 4. conclus. 2. & alij. Sed questionem istam in hoc sensu, remittendam censeo in Metaphysicam, vbi de esse essentiæ, & existentiæ rerum, deque earum distinctione disputari solet. Impræsentiarum autem suppono tales essentiæ non habere veram entitatem extra Deum, nisi quando auctu producuntur, & ideo querendus hic est aliis modis, quo vniuersalia dici possint æterna, ingenerabilia, & incorruptibilia.

2. Hunc autem optimè omnium tradidisse mihi videtur D. Thomas, I. p. q. 16. a. 7. ad 2. & q. 1. de veritate, a. 5. ad 13. & 14. videlicet vniuersalia esse æterna, & perpetua secundum essentiam; non quidem positivæ, vt vult secunda sententia; sed negatiæ: quia nimis sunt negatiæ ingenerabilia, & incorruptibilia, eo quod non generantur secundum se.

neque corrumpuntur, sed tantum per accidens, ad generationem, vel corruptionem singularium.

Illud enim cenciri debet incorruptibile, & ingenerabile negatiū, quod ex se nullum habet principium, quo corrumpatur, vel generetur, quia sic negat à se omne principium corruptionis, & generationis: vniuersalia autem sic se habent, quia cùm nihil possit generari, nisi in singulari, vt sāpe iam in superioribus inculcatum est: nihil quoque potest corrupti, nisi quod singulare est, seu ratione singularium. Et ita vniuersalia non accipiunt existentiam, nisi quia singularia producuntur; neque amittunt, nisi quia singularia corrumpuntur: & ideo producuntur & corrumpuntur secundariò; singularia verò primariò. Licet enim generans, per se primò tendat in naturam specificam, quia intendit simile: ipsa tamen non generatur primariò, ordine executionis: sed tantum ordine intentionis: unde vniuersalia ex se perpetua sunt, & æterna negatiū.

Alia etiam ratione, perpetua dici possunt, quia nihil habent in se, quo determinentur ad aliquam temporis differentiam, in qua existant: sed secundum se indifferenter se habent ad omne, & quodvis tempus: & hoc etiam modo dicuntur esse immensa, & vbiique negatiū, quia abstrahuntur ab hic, & nunc, vt loquitur D. Thom. q. 16. citatà. Licet ergo vniuersalia generentur, & corrumpantur: licet existant in loco, & tempore determinato; imò dicuntur simpliciter generabilia, & corruptibilia; hoc tamen non habent, nisi ratione singularium, quibus hæ passiones per se competit.

Denique cùm vniuersale dicat aptitudinem existendi in multis, poterunt vniuersalia dici æterna, quia talis aptitudo, saltem fundamentaliter, eis perpetuò conuenit, etiam si non existant: eo modo, quo proprietates conueniunt subiectis, vt risibilitas homini, ob necessariam utriusque connexionem: absoluto verbo est, ab omni differentia temporis.

Ex his colligitur, destructis singularibus, destrui vniuersalia: quod pronuntiauit Aristoteles sub initium capituli de substantia in prædicamentis, hoc modo, *non existentibus igitur primis substantijs, impossibile est aliquid aliorum esse.* Possunt tamen dici remanere in virtute iuarum caularum, & in ideis diuinis, & in intellectu Angelico, & huinano per species intelligibiles.

3. Quod spectat ad veritatem propositionum, quæ fiunt de vniuersalibus, quæque dicuntur æternæ veritatis. Aduertendum est, veritatem propositionum aliam esse formalem, aliam obiectuam, seu fundamentalē. Formalis est in intellectu, & consistit in vera rei comprehensione: itaut res apprehendatur, seu enunciatur vt est à parte rei; fundamentalis vero est in rebus ipsis, quia ex eo quod res est, vel non est, oratio est vera, vel falsa, ex Aristot. in categorijs cap. de substantia circa finem.

Huiusmodi autem veritas fundamentalis, posita est in connexione, seu identitate extremonrum, quæ potest esse vel positiva, vel negativa:

positiva quidem, quando extrema realiter existunt inter se connexa: negativa autem consistit in negatione diuersitatis, seu disconuenientiae, & disproportionis inter aliqua extrema: vnde quamdiu diuersitas aberit ab extremis, tandem erit negatio diuersitatis inter ipsa. Nam haec est natura negationis, vt tandem adsit suo modo, hoc est suâ existentiâ negatiâ, quamdiu abest forma negata: quo fit vt si inter aliquid prædicatum, & subiectum absit ab æterno diuersitas, & semper abfutura sit; ab æterno quoque, & in æternum erit negatio diuersitatis, seu erit identitas negativa inter illa. His prænotatis.

4. Dicendum est primò admittendas esse propositiones sempiternæ veritatis; eas nimurum, in quibus prædicatum est de essentia subiecti: ita ut semper, & ab æterno veræ fuerint, non tantum potestate, sed etiam actu. Contrarium tenuit Diuus Bonaventura in 3. d. 22. Gabriel ibidem, quæst. vnicâ. Heruæus quodlib. 1. q. 10. vbi ait, propositiones, quæ dicuntur æternæ veritatis, verbi gratia istam, *homo est animal*, non esse veras absolutè, sed conditionatè, uno ex his tribus modis, *si quid est homo, est animal*: vel, *homo quamdiu est, animal est*: vel denique, *homo est animal potestate, seu potest esse animal*: quo fit ut propositiones illæ non sint actu veræ, nisi quando extrema existunt actu: ab æterno verò tantum potestate. Nihilominus.

Probatur primò nostra sententia ex Aristot. 1. post. cap. 7. vbi ait non solum scientiam esse sempiternorum, & incorruptibilium; sed etiam demonstrationem ipsam, illiusque propositiones æternas esse, & necessarias, hoc est infallibiles, æternæque veritatis: ita vt eodem modo se semper habeant, nec falsæ esse possint: quomodo differunt à contingentibus, quæ possunt mutari quoad veritatem, & de veris in falsas transire. At si veræ essent tantum potestate ab æterno, & actu tantum in tempore, quando res existunt, non essent necessaria, sed contingentes, quia existentia conuenit cuilibet creaturæ contingenter, cùm possit esse, & non esse pro libito authoris: & ita propositio, quæ vera esset existentibus extremis, ijsdem corruptis falsa euaderet: atque adeo contingens esset.

Probatur secundò, quia vel ista propositio *homo est animal*, vera est ab æterno, vel non? si est vera, habetur intentum: si non est vera: ergo verum fuit ab æterno dicere eam esse falsam: & ita velis, nolis, dabitur aliqua propositio vera ab æterno, ea nimurum, quæ enunciabatur, alteram esse falsam.

5. Probatur tertio, quia è duabus contradictorijs altera est semper vera, & altera falsa, ex cap. de oppositis sub finem, in postcategorij, siue extrema existant, siue non, vt ibi expressè dicit Aristoteles; ergo licet ab æterno non fuerit homo, nec an mal, necessè est, alteram ex his contradictorijs, *homo est animal*, *homo non est animal*, esse ab æterno veram.

Probatur quartò. Id quod est verum in præsenti, semper fuit verum

esse futurum: sed nunc verum est hominem esse animal rationale; ergo ab æterno verum fuit hominem futurum animal rationale.

Probatur quintò. Omnis propositio hypothetica, semper vera, inititur alicui categoricæ, & simplici, semper veræ: vt ista *si Petrus currit, mouetur*: quæ est semper vera, inititur isti, *omne quod currit mouetur*. At ita secundum aduersarios est semper vera *si homo est, est animal*. ergo innititur isti semper veræ, *omnis homo est animal*. Igit ut admitti debat propositiones æternæ veritatis acta, & non solum potestate.

Probatur sextò à priori, quia connexiones, & identitates necessariæ, non consistunt in reali, & Physica extremorum coniunctione, sed in proportione, & conuenientia unius extremi cum alio: fieri autem non potest vt animal non habeat proportionem cum homine, aut risibile cum rationali: & ideo verum semper fuit essentiam hominis ex duobus his conceptibus, animali nempe, & rationali constare; nec posse aut concipi, aut produci, quin producatur animal rationale. Et in hoc sita est certitudo, & infallibilitas scientiæ; cuius consequenter veritas pendere non potest per se ab existentia extremorum. Vnde eius obiectum aliam debet sortiri veritatem, quam quæ ab aduersariis assignatur.

6. Obijcies primò. Ex eo quod res est, vel non est, oratio dicitur vera, vel falsa, cap. de substantia in prædicamentis: sed ab æterno nulla res fuit, præter Deum, ergo nec veritas in propositione.

Respondeo, Aristoteli non loqui de esse existentiæ extremorum, sed de eorum connexione, vel identitate positiva, aut negativa: qualibet autem ex his sufficit ad veritatem æternam propositionum, vt patet ex rationibus allatis.

Obijcies secundò. Ista propositio, *homo est viuens*, necessaria est, & essentialis; at non est perpetuæ veritatis: ergo nec aliæ. Probatur minor quia vt homo sit viuens, requiritur unio animæ, & corporis, quæ non fuit ab æterno: & insuper homo aliquando moritur: ergo non est semper viuens.

Respondeo negando minorem; ad eius probationem dico, *vieuens* posse sumi, aut Physicè pro composito ex anima, & corpore; aut Metaphysicè pro attributo, & gradu essentiali, qui rei viuentis naturam declarat. Si sumatur primo modo, illa propositio non est perpetuæ veritatis, ob rationes factas: si vero sumatur secundo modo, est æternæ veritatis, quia inter hominem, & hoc attributum, est identitas ab æterno negativa, vt explicatum est in prima parte sectionis. Quare.

7. Dieendum est secundò, huiusmodi propositiones non esse ab æterno veras ex parte rei significatae, veritate positivâ, sed tantum negatiuâ. Prima pars patet ex dictis, quia ab æterno nulla fuere extrema, inter quæ realis, & positiva connexio, vel identitas extiterit.

Secunda pars patet etiam ex prænotatis. Nam inter extrema propositionum

tionum necessariarum, in quibus prædicatum est de essentia subiecti, vel proprietas quarto modo illius: nec fuit, nec est, nec erit, nec esse potest diuersitas, & disproportio: & consequenter ab æterno fuit inter illa negatio talis diuersitatis, quæ est identitas negatiua, in qua consistit veritas fundamentalis negatiua, ut explicatur est.

Dicendum est tertio: supradictas propositiones esse ab æterno veras actuali, & formaliter veritate, quatenus sunt commensuratae diuino intellectui. Ratio est, quia veritas formalis est in intellectu, cognoscente connexionem prædicati, & subiecti: sed intellectus diuinus ab æterno cognovit connexionem, conuenientiam, & proportionem, quæ est inter extrema propositionum necessariarum: ergo ipsæ fuerunt ab æterno veræ veritate propriæ formaliter, ut rectè docet D. Thomas i. p. q. 10. a. 3 ad 3. & q. 16. a. 7. & alibi.

Dices: propositiones contingentes, sunt etiam veræ formaliter in intellectu diuino: ergo non est discrimen inter veritatem propositionum necessariarum, & contingentium.

Respondeo, ex hac parte, contingentes, esse etiam æternæ veritatis; sed magnum esse discrimen inter utramque ex parte rei significatae; seu ex parte extremitatum: quia in necessariis extrema sunt necessariæ connexa ab æterno, saltem negatiæ; non autem in contingentibus: unde huiusmodi enunciationes conueniunt in veritate extrinseca, quæ petitur ex hoc, quod propositio sit in hoc, vel illo intellectu: differunt autem in intrinseca, quæ petitur ex habitudine, & connexione terminorum: & ita contingentes, possunt dici æternæ veritatis extrinsecæ, non autem intrinsecae, necessariae, & essentialis.

## SECTIO II.

*De numero vniuersalium.*

8. **A** DEO celebris est diuisio illa vniuersalis in quinque species, genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens; quam assignauit Porphyrius initio sui operis, & quinque primis capitibus exposuit: ut non solum veteres ante eum Philosophi suâ authoritate illam confirmauerint: sed posteriores omnes amplexati fuerint. Ioannem Maiorem primum excipio, qui tractatu de accidente, numero 11. non tantum quinque; sed vel plura, vel pauciora & quæ facile astrui posse existimauit. Eum aliqui recentiores sequuntur, inter quos est de Racionis tract. 1. disput. 1. sect. 2. quæst. 3. de vniuersalibus in communi, vbi octo vniuersalia esse contendit. Balforeius q. 2. de genere sect. 1.

insinuat, vt probabilem, opinione in unam, quæ duo tantum vniuersalia constituant, genus nempe, & speciem. Eam amplectitur Raphael de Auera q. 8. de vniuersali in communi, sect. 16. conclusione 1. tanquam probabilem, in eamque trahit Auerroem cap. 2. in anteprædicamenta, Animonium cap. 3. Boëtium in prædicamentis comm. 6; Simplicium comm. 6. & 9. aliosque antiquos.

Denique posset & alia referri, quæ decem, quot nimurum prædicamenta sunt, stabilitat: Et alia, quæ pauciora, sed plura quam duo, nimurum quatuor, ex genere, & specie vnicum efficiens, ob rationes quas afferemus hic, & soluemus. Inter has omnes probabilitatem suam habere mihi videntur tres priores, quarum ideo referam argumenta, soluamque; ut eam, quam voluerit lector amplectatur.

### QVINQVE TANTVM ESSE VNIIVERSALIA.

9. **P**RIMVM argumentum ad probandum quinque esse vniuersalia, nec plura, nec pauciora, petitur ex definitione vniuersalis, quâ dicitur *vnum aptum inesse multis*. Ex ea enim concluditur tot esse vniuersalia, quot sunt diuersi modi essendi in multis: sed hi sunt tantum quinque; ergo tantum quinque vniuersalia. Minor ostenditur. Nam quicquid inest alteri: aut inest essentialiter, aut accidentaliter: si essentialiter: constituuntur tria priora vniuersalia, nempe genus, species, & differentia: genus quidem, si insit ut pars materialis, potentialis, & determinabilis, ut animal in homine; differentia vero, si insit ut pars formalis, actualis, & determinativa, ut rationale in eodem homine: species denique, si insit ut tota essentia, omnibus individuis communis, ut ipse totus homo in Petro.

Si vero inest accidentaliter; constituentur duo posteriora vniuersalia; proprium scilicet, & commune accidentis: proprium quidem, si inest reciprocè, & ut quid fluens ab essentia, sicut risibile in homine: commune vero, si non inest reciprocè, nec à principijs essentialibus dimanet, ut albedo respectu eiusdem hominis. Nec potest aliis modus essendi exceptari, qui sub uno ex his quinque non comprehendantur.

10. Secundum argumentum petitur ex diuersis modis prædicandi, qui sunt tantum quinque, & proponitur à Porphyrio c. de genere, aliosque interpretibus, hoc modo. Quicquid prædicatur de aliquo, vel prædicatur *in quid*, vel *in quale*, hoc est, in questione *quid res sit*, vel *qualis sit*. Si prædicetur *in quid*, & de specie differentiis, erit genus, ut animal; si vero de solo numero differentiis, erit species, ut homo. Si autem prædicetur *in quale*, vel prædicatur essentialiter; & est differentia, ut rationale de homine: vel accidentaliter, necessariò tamen, & reciprocè,

vt risibile de homine , & est proprium: vel accidentaliter contingenter, non necessariò, nec reciprocè , & est accidens commune , vt albedo.

Tertium argumentum desumi potest ex comparatione compositi Metaphysici ad compositum Physicum: & eo vtitur Sotus q. 5. vniuersalium , conclusione ynicā. Nam in composito Physico , verbi gratia , in homine , distinguere tantum possumus quinque diuersa , ad eius constitutionem spectantia , scilicet materialē , quæ respondet generi , formam , nempe animam , quæ respondet differentiæ ; & compositum ex utroque , quod respondet speciei. Deinde accidens proprium , quod ei competit ratione formæ , à qua fluit reciprocè , vt est risibile ; & accidens commune , ei competens ratione conditionum materialium , vt aiunt , hoc est , ratione talis , vel talis dispositionis corporis ; talis , vel talis complexionis quatuor primarum qualitatum ; vt esse album , nigrum , &c. nec aliquid aliud diuersum excogitari potest. Ergo quinque tantum vniuersalia admitti debent , nec pauciora.

## OCTO ESSE VNIIVERSALIA.

**I.** Ec vndā sententia , octo statuens vniuersalia , his fulcitur argumentis. Primum est , tot sunt vniuersalia , quot sunt diuersi modi prædicandi de multis : hi autem sunt octo. In primis enim sunt duo in genere , & specie , supra enumerati in secundo argumento: deinde vero sex alij in differentia , proprio , & accidente : quia alia est differentia , quæ prædicatur de specie diuersis , vt sensibile de equo , leone : alia de solo numero differentibus , vt rationale. Item aliud est proprium genericum , quod de multis specie diuersis dicitur , vt esse quantum , de lapide , de ligno ; aliud specificum , quod de solo numero differentibus enunciatur , vt risibile.

Denique aliud est accidens commune genericum , quod de multis specie differentibus prædicatur , vt album de Cygno , de homine ; & aliud , quod de solo numero diuersis , vt esse grammaticum , de solis hominibus. Et ita erunt octo diuersi modi prædicandi de multis , nimis genericis , & speciei ; differentiæ genericæ , & specificæ ; proprij genericis , & specifici ; accidentis genericis , & specifici .

Secundum argumentum , quod est veluti confirmatio præcedentis. Prædicari in quid de multis specie diuersis , & prædicari in quid de multis solo numero diuersis ; constituant duo diuersa vniuersalia , nimis genericus , & speciem : ergo prædicari in quale quid de specie differentibus , & in quale quid de differentibus solo numero , quod sibi vendicat differentia , constituet quoque duo vniuersalia distincta : at in proprio , & in accidente idem quoque prædicationis modus cernitur , ergo octo erunt diuersalia .

E e i j

12. Tertium argumentum. Differentia generica, & specifica ( idemque de proprio, & accidente generico, & specifico proportionaliter est dicendum ) differunt inter se specificè, & essentialiter: ergo duplēcē vniuersalis speciem constituere debent. Probatur antecedens primò, quia habent diuersas definitiones essentiales. Nam generica dicitur, *qua prædicari potest de genere, & de speciebus generi subiectis.* Specifica vero dicitur *qua de sola infima specie, & indiuiduis ei subiectis, prædicabilis est.*

Probatur secundò idem antecedens, quia generica incompletè prædicatur de multis *in quale quid:* specifica vero completere. Nam specifica ita adæquatè completet indiuiduum, ut per eam adæquatè differat ab omnibus indiuiduis alterius speciei: non ita vero generica. Nam Petrus non differt per sensibile à Bucephalo, &c. at eadem ratione genus, & species duo constituant diuersa vniuersalia, quia nimirū genus incompletè, species uero completere prædicatur.

Probatur tertio idem antecedens, quia species dicitur *qua de multis numero distinctis prædicatur:* sed differentia generica, & specifica prædicantur de multis, numero diuersis, ut sensibile de hoc sensibili, quod est in equo, quod est in leone, &c. rationale de hoc rationali, quod est in Petro, quod est in Paulo, &c. ergo sunt veræ species vniuersalis, inter se distinctæ: quod erat probandum. Et eadem rationes valent in proprio, & in accidente. Atque adeo erunt octo vniuersalia.

### DVO TANTVM ESSE VNIVERSALIA.

13. **P**O RRO duo tantum esse vniuersalia, his potest confirmari argumentis. Primum est. Relatiua distinguntur per sua correlativa: omne enim relatum debet habere terminum, sibi correspondentem, cui commensuretur, & à quo distinctionem, vnitatemque habeat, in ratione relatiui: sed sunt tantum duo inferiora, species scilicet & indiuiduum: ergo duo tantum erunt superiora, seu vniuersalia: nempe genus, quod prædicatur de multis specie differentibus, ut animal de equo, leone, homine: & species, *qua prædicatur de solo numero diuersis, ut homo, leo, &c.*

Secundum argumentum, quod est veluti confirmatio præcedentis, petitur ex dicto communi apud Aristotelem. r. top. cap. 13. quo habetur, *tot modis dici unum oppositorum, quot dicitur alterum:* sed vniuersale, & particulare, seu superioris, & inferioris, sunt opposita: ergo cum inferioris dicatur tantum duobus modis, nempe species, & indiuiduum: superioris quoque duplex solummodo erit, genus scilicet, & species.

Tertium argumentum probat intentum à priori. Quia nimis distin-

Quo propria cuiusque rei sumi debet ab intinseca eius differentia; non autem ab extrinsecis, & quæ non afficiunt ipsam secundum se. Nemo autem non videt tria posteriora vniuersalia secundum alias sententias constitui, & distingui per ordinem ad sua subiecta, quæ sunt ipsis plane extrinseca: unde hæc distinctio similis est distinctioni prædicamentorum.

Itaque ut aliquid sit verè, & propriè vniuersale, debet considerari in ordine ad sua inferiora: differentia autem, proprium, & accidens, si prædicentur de suis inferioribus, habebunt semper rationem speciei, vel generis. Nam color est genus respectu albedinis, & nigredinis. Rationale est species respectu huius, & illius rationalis, formaliter sumpti: item rifibile respectu huius, & huius risibilis: & ita intrinsecè constituentur per proprias differentias vniuersalis, quæ positæ sunt in hoc, quod sint vel tota essentia, vel pars essentiæ inferiorum.

### ARGUMENTA TRIBVS SVPRADICTIS sententij opposita.

14. **C**ONTRA superiores omnes sententias sic potest aliquis argu-  
mentari. Tot sunt vniuersalia, quot sunt diuersi modi præ-  
dicandi de multis: hi autem sunt decem, vt patet ex collectio-  
ne decem prædicamentorum, ergo sunt decem vniuersalia. Vnde Aristoteles 4. Metaph. c. 2. ait tot esse partes vniuersalis, quot sunt partes entis,  
hoc est prædicamenta.

Secundò. Non minus differunt modi prædicandi, aut essendi intrinsecè, extrinsecè; separabiliter, & inseparabiliter; pluresque alij, quam necessariò, contingenter, & similes: ergo vniuersalium numerus non erit determinatus.

Tertiò. Prædicabile, & prædicatum se habent, vt actus, & potentia: sed sunt tantum quatuor prædicata: tot enim solum enumerat Aristoteles 1. top. c. 4. nempe definitionem, genus, proprium, & accidens; ergo quatuor erunt tantum prædicabilia, seu vniuersalia.

Quartò. Genus, & species non sunt vniuersalia distincta: ergo sunt tantum quatuor. Antecedens probatur, quia utrumque prædicatur in quid incompletè: sicut enim genus, verbi gratia animal, non dicit formaliter totam naturam, & essentiam hominis: ita species, vt homo, non dicit formaliter totam naturam, seu essentiam Petri, quia non dicit Perfectatem, quæ non minus est ipsis essentialiis in ratione individui, quam rationale homini in ratione hominis. Quod si satis est ut homo e comple-  
tè prædicetur, quod dicat totam naturam communem Petri: satis quoque erit, vt animal completere prædicari censeatur de homine, quod dicat totam naturam communem homiis, sibi immediatè subiecti.

Quintò. Enī est prædicatum vniuersale , cùm de rebus omnibus dicatur: at non est genus ex communi sententia : nec species quia non habet genus supra se: nec differentia , vt patet : neque enim prædicatur *in quale*, sed *in quid*: nec etiam est proprium , vel accidens , quia non est extra rei essentiam : igitur est sexta species vniuersalis.

Denique. Individuum vagum , vt *quidam homo* , prædicatur de multis , vt de Petro , Paulo , &c. & non continetur sibi aliquo vniuersali ex prædictis.

Afferri quoque potest vniuersale , quod aliqui Theologi nuncupant prædicabile assumptium , quo natura substantialis , assumpta à verbo , dicitur de personā assumente : nam verè dicitur , *Deus est homo* , *Verbum Dei* , *Filius Dei est homo* : & hoc de pluribus dici potest , si Pater , & Spiritus-Sanctus assumerent alias naturas , aut humanitates .

### SECTIO III.

#### *Responsiones ad Allata argumenta.*

15. **N**TER relatas modo sententias , tres priores mihi probabiles videri , jam insinuauit initio sectionis præcedentis : quæ autem præceteris maiorem probabilitatem habeat , non tantum ex argumentis allatis , sed & ex eorum solutione colligi posse nemo non vider , ideo quæ sequuntur , subijcio .

#### SOLVUNTUR ARGUMENTA PRIMAE SENTENTIAE.

**A**D primum argumentum primæ sententiaz , quinque tantum vniuersalia admittentis : Respondeo , negando minorem . Ut enim in primo argumento secundæ sententiaz probabiliter ostenditur , sunt octo modi diuersi essendi , & prædicandi: vnde probatio illius minoris est diminuta in eo , quod non distinguit in tribus posterioribus vniuersalibus modum essendi in multis , specie differentibus , à modo essendi in multis , solo numero diuersis . Cum enim vniuersale duo necessariò requirat , scilicet modum essendi , & esse in multis: non minus ad eius distinctionem facit , esse in multis specie , vel numero diuersis , quam modulus , secundum quem inest in illis multis : & ex hoc patet responsio ad secundum .

Luxta tertiam verò sententiam patet quid ad hoc argumentum , & ad

cætera omnia supra posita , responderi debeat: nimurum vniuersale prædicari debere de inferioribus , & sic duos tantum esse modos essendi vniuersalis.

Ad tertium argumentum respondeo , esse disparitatem inter compositum Physicum , & Metaphysicum , quia in Physico considerantur res in se secundum distinctionem realem ; in Metaphysico autem secundum distinctionem rationis , aut formalem ex natura rei . Vnde licet in homine sit vniqa anima rationalis : in re tamen illa , quæ ei respondet in composito Metaphysico , scilicet in rationali , & sensitivo , potest intellectus distinguere duas rationes diuersas ; nimurum quod sensituum prædicetur de multis specie differentibus ; rationale vero de differentibus solo numero . Quod sufficit ad distinguenda vniuersalia : idemque dic de proprio , & accidente .

---

### SOLVVNTVR ARGVMENTA II. SENTENTIAE.

16. **A**D primum argumentum secundæ sententiaz , quæ octo vniuersalia probat , Respondeo , negando minorem ; ad cuius probationem dico prædicari de multis specie vel solo numero differentibus , non efficere per se diuersa vniuersalia ; esse tamen indicium diuersorum vniuersalium , quando coniungitur cum modo prædicandi in quid , vt fit in genere , & in specie : quia tunc necesse est illud , quod prædicatur de specie diuersis , prædicari incompletè , vt animal de equo , leone : id vero quod prædicatur de solo numero diuersis , prædicari completere , vt homo de Petro , Paulo . Hoc autem non reperitur in tribus postremis vniuersalibus , quia siue prædicentur de specie diuersis , siue de diuersis solo numero , semper incompletè prædicantur , quia formaliter solum important vel differentiam , vel proprietatem , vel accidens , quæ non sunt nisi quedam pars eorum , de quibus prædicantur .

Cur autem prædicari completere , vel incompletè , efficiat potius vniuersalium distinctionem , quam prædicari de specie , vel solo numero diuersis , ratio in promptu est , quia primum variat identitatem ; non autem secundum . Neque enim maior est identitas albedinis cum animali , quam Philosophia cum homine , licet Philosophia conueniat solo numero diuersis ; albedo vero , etiam differentibus specie . At maior est identitas hominis cum Petro , quam animalis cum eodem Petro , quia homo est idem cum eo totaliter ; totam enim eius essentiam communem dicit : animal vero solum partialiter , cum vnam solum eius partem comprehendat . Et ita corruit secundum huius sententiaz argumentum .

17. Ad tertium Respondeo , negando antecedens , loquendo de differentijs , vt differentiaz sunt , seu in ratione vniuersalis . Ad primam

enit probationem iam responsum est, scilicet prædicari de multis specie, vel solo numero differentibus, non efficere ex se discrimen essentiale.

Ad secundam probationem, ne go specificam differentiam prædicari potius complete, quam genericam: neque enim rationale magis compleat hominem, quam sensibile compleat animal. Vnde quod homo, vel Petrus differat ultimè per rationale à ceteris animalibus, non vero per sensibile, non prouenit ex eo quod rationale sit conceptus magis in se completus, quam sensibile; sed ex eo quod est ultimus incompletus: nam semper eodem modo prædicantur, nimirum *in quale quid incompletè*.

Et si hæc ratio valeret, genus supremum, & infimum, verbi gratia substantia, & animal, essent duo vniuersalia specie distincta, quia supremum prædicaretur incompletè; infimum vero completè. Nam per animal differt homo ultimè, & adæquatè ab omnibus indiuiduis alterius generis, verbi gratia, plantæ, non autem per substantiam.

Ad tertiam probationem eiusdem antecedentis, concedendum est totum argumentum. Nam differentia generica, & specifica, quatenus respiciunt sua inferiora, habent veram speciei rationem, cum de eis *in quid complete* prædicentur: quatenus vero referuntur ad sua subiecta, habent veram rationem differentiæ, quia de ijs prædicantur *in quale quid*. Verum prout sunt species formaliter, solo numero inter se differunt: similiter prout sunt formaliter differentiæ, solo numero inter se distinguntur, quia semper habent eundem modum essendi, & prædicandi.

Vnde licet hinnibile, & rationale materialiter sumpta, pro re nimirum substrata, significant res specie diuersas, equum scilicet, & hominem, seu rationem hinniendi, & ratiocinandi: tamen in ratione differentiarum, solo numero inter se distinguntur, ut etiam dicemus sectione sequenti.

### SOLVUNTUR ARGUMENTA. III. SENTENTIAE.

18. **R**E S P O N D E O ad primum argumentum tertiae sententiae, quæ duo tantum vniuersalia admittit, posse in primis dici, maiorem non esse ita intelligendam, quasi vnum numero relativum non possit habere plures numero terminos, ad quos referatur, etiam per vnam numero relationem: nam multi, vt in prædicamentis videbimus, existimant patrem referri ad multos filios per vnam numero paternitatem, & filium per vnicam filiationem ad duos parentes, patrem scilicet, & matrem: & ita quamvis concederetur esse duo tantum inferiora, imo vnum tantum absolute, nempe indiuiduum, non sequeretur non posse esse plura superiora quæ illud vnum respiciant, tanquam sibi subiectum.

Secundò

**Secundò.** Licet sint tantum duo inferiora, & duo superiora in rigore illo, qui in argomento continetur; non sequitur quod non sint plura vniuersalia, quam duo: quia ad vniuersale tantum requiritur, ut insit, & prædicetur de multis, siue illa multa sint inferiora, siue subiecta. Semper enim ita distinguuntur diuersi modi essendi, & prædicandi, ex quibus vniuersalia distinguntur.

Ex hoc patet responsio ad secundum. Nam superius, & vniuersale non sunt idem adæquatae: quia plura sunt vniuersalia, quæ non sunt superiora in rigore prædicto; hoc est non sunt in eadem recta serie prædicamentali cum ijs, de quibus dicuntur, & quorum respectu vniuersalia sunt: & ita, licet sint tantum duo inferiora, & duo superiora, non sequitur quod duo tantum sint vniuersalia.

Aliâ tamen ratione quodus vniuersale dicitur superius ad ea, de quibus prædicatur, & quibus inest; quia habet rationem cuiusdam totius respectu illorum, & ipsa habent rationem partium respectu illius. De quocumque enim sibi subiecto prædicetur, habet multa alia, quibus inest, aut potest inesse; & ita singula sunt tantum pars eorum, quæ sub ipso continentur, ut rectè ait D. Thom. I. p. q. 85. a. 3. ad 2. & alibi; & nos supra declarauimus q. 4. seð. 3. in responsione ad 6. & in appendice eiusdem quæstionis numero II. & 19.

19. Cæterum: ne dictum illud commune *toties dicitur vnum oppositorum, quoties alterum*, crudè intellectum, ingerat errore in, quasi debeant esse vniuersalia penè infinita, quia singularia sunt indeterminata, & penè infinita: ita debet explicari, ut opposita sumantur formaliter, quatenus opposita sunt, ut rectè ait Scotus q. 12. vniuersalium; non vero materialiter pro rebus ipsis, in quibus reperitur ratio oppositionis. Et ita verum est toties vnum oppositum dici, quoties alterum, hoc est quot sunt significaciones, seu acceptiones vnius, tot sunt & alterius: non vero quod sunt tot supposita vnius, quot alterius. Neque enim necesse est tot esse res, seu supposita nigra, quot sunt alba; licet debeant esse tot species nigredinis, quot albedinis, quia sub ea ratione formaliter opponuntur.

Respondeo ad tertium: quod cùm vniuersale dicat ordinem ad multa, quibus inest, & de quibus prædicabile est, talis ordo est illi intrinsecus, & essentialis, in ratione vniuersalis, licet ea, quæ tales eius ordinem terminant, sunt illi extrinseca: sicut ordo accidentis ad subiectum, & substantiam, dicitur esse illi essentialis, quamvis substantia non sit quid intrinsecum accidenti. Cùm igitur quinque, aut octo sint huiusmodi respectus ad multa, diuersi, ut explicatum est in secunda, & tertia sententia; non male statuuntur quinque, aut octo vniuersalia.

Adde quod gratis exigitur ad constitutionem vniuersalis, rigorosa illa distinctio per differentias intrinsecas, quia sufficit ea, quæ necessaria est ad coordinanda prædicamenta, ad definitiones efficiendas, ad naturam.

propositionum dignoscendam , & alia dialecticorum munera exequenda, propter quæ diuisio vniuersalium inuenta est. Iстis autem omnibus sufficit distinctio assignata.

## RESPONDETUR CÆTERIS ARGUMENTIS

### *Circa vniuersalium numerum proposito.*

20. **N**UNC supereft ut respondeamus his argumentis , quæ tribus superioribus sententijs repugnare videntur. Et ad primum quidem dico tot esse vniuersalia quoꝝ sunt diuersi modi prædicandi, si habeatur ratio connexionis, & identitatis prædicatorum cum individuali, non autem si habeatur ratio extre morum, sumptorum secundum se materialiter. Vniuersalia enim distinguntur ex diuersis modis essendi in multis, qui variantur ad variationem connexionis, quam habent cum individuali. Vnde quia nouem prædicamenta accidentium, eandem habent connexionem cum suo subiecto, verbi gratiâ Petro, scilicet accidentalem ; ad ultimum vniuersale, nempe accidens , aut proprium , spectant.

At verò si habeatur ratio ipsorum, vt in se materialiter considerantur; nouem distincta prædicamenta, seu genera constituent, propter nouem distinctos modos prædicandi, affientes ipsam prædicata materialia: nam alio modo prædicatur quantitas de substantia, quam relatio, quia quantitas, & relatio sunt in se diuersa: & ita de alijs. Nec aliud vult Aristoteles; quam nimis tot esse naturas reales, quæ possunt vniuersales denominari, quoꝝ sunt partes entis, non autem tot esse vniuersalia diuersa formaliter. Quamvis textus ille vix ibi reperiatur.

Dici etiam potest malè inferri numerum vniuersalium ex numero prædicamentorum: quia modi, quibus prædicamenta accidentium distinguuntur, sumuntur ex ordine eorum ad subiectum, seu primam substantiam: modi autem vniuersalium sumuntur in ordine ad individualium. Vnde ratio speciei, & generis æquè reperitur in accidentibus, ac in substantia. Nam albedo est species respectu huius, & huius albedinis: sicut homo respectu Petri, & Pauli, quia est eadem connexio albedinis cum hac albedine, & hominis cum hoc homine.

Ad secundum dicitur, modos illos non variare connexionem prædicati cum subiecto: nam actio, & immanens, & transiens prædicantur semper de subiecto, aut agente contingenter, licet immanens afficiat illud intrinsecè, & transiens extrinsecè, ex communiori sententia. separabiliter verò, & inseparabiliter, non differunt à modis necessario, &

*contingenter*: aut si differunt, non variant connexionem, vt de alijs dictum est.

21. Ad tertium respondeatur in primis, Aristotelem virtualiter enumerasse quinque, aut octo praedicabilia: nam in definitione continentur differentia, & species, quia definitio constat genere, & differentia, ex quibus sit species.

Secundo dici potest cum Soto q. 5. in responsione ad primum, Aristotelem enumerasse, & distinxisse praedicata per communes locos, è quibus eruuntur argumenta, ad varias quæstiones concludendas de subiecto communis, scilicet de specie, quæ cum non sit praedicatum sui, non fuit enuinerata.

Vno verbo: non loquitur Aristoteles de vniuersalibus: nam definitio, cum sit aliquid complexum, excluditur à numero vniuersalium, vt patet ex explicatione definitionis vniuersalis: & ideo ex hoc loco nihil potest concludi pro numero vniuersalium, aut praedicabilium.

Denique pro tertia sententia dicendum est, aliud esse praedicatum, aut praedicabile, aliud vniuersale: quia, vt aliquid vniuersale sit, debet esse superius propriè sumptum: vt verò sit praedicabile, sufficit vt sit aliquid commune multis, etiam subiectis; nec opus est vt sit vniuocum. Vnde Aristoteles i. de part. animal. c. 5. in fine ait, eorum, quæ communiam habent, alia secundum analogiam, alia secundum genus, alia secundum speciem, eam habere.

Ad quartum, negatur antecedens; & ad eius probationem respondetur genus praedicari incompletè, quia non dicit omnia praedicata communia, & essentialia vel speciei, vel individuo: speciem verò praedicari completere, quia dicit omnia praedicata communia, individuo essentialia, licet non dicat differentiam individualem, quia sic esset praedicatio identica. Vnde praedicari completere, erit dicere omnia praedicata, individuo essentialia, præter illud, quo singulare differt à communis: praedicari verò incompletè, erit vnum, vel plura ex huiusmodi praedicatis, non includere, vt sit in genere proximo, & remoto.

Addit quod, licet species, & genus in communis ratione praedicati incompleti conuenient; sufficienter tamen distinguerentur ex eo quod genus de specie diuersis, species de solo numero, praedicaretur, vt satis probabiliter afferit secunda opinio.

Ad quintum respondeatur, ens esse analogum, non vniuocum, & ideo non esse vniuersale, quod exigit vniuationem. Ita Thomistæ. Tamen Scotistæ afferunt esse etiam vniuocum, & ideo ex ipsis respondeatur non esse vniuersale, quia non potest comprehendendi sub uno, nisi sub genere; non potest autem esse genus, quia non contrahitur per veras differentias, sed per modos perficientes ipsum intrinsecè in proprio conceptu. Quod alibi examinabimus. Vnde erit praedicabile, & praedicatum transcendens, nimis vagum, & illimitatum, vt vniuersale esse possit, quod

naturam certam, & limitatam exigit. Denique dicunt alij ens, saltem creatum, esse genus, quod est etiam probabile. Sed de hoc in Metaphysica, & nonnihil infra, vbi de numero prædicamentorum.

22. Ad sextum Respondeo, indiuiduum vagum, vt *quidam homo*, esse quid complexum, & includere duo, nempe naturam communem, & differētiā indiuidualē indeterminatam: vnde illa duo non faciunt unum per se: tum propter illam indeterminationem: tum quia natura prædicatur *in quid*, & essentialiter: modus verò indiuiduationis accidentaliter, quia est extra conceptum naturæ: & ita hic non est simplex modus prædicandi, nec consequenter verum vniuersale.

Dicitiam potest ex doctrina D. Thomæ 1. p. q. 30. art. 4. indiuiduum vagum significare naturam cum determinato modo essendi, qui competit singularibus: vt scilicet sit per se particulariter existens, & distinctum ab alijs distinctione ultimâ. Vnde in eius conceptu includitur differentia singularis, quæ in conceptu vniuersalis inueniri non debet.

Præterea potest quoque dici, indiuiduum vagum non esse quid commune multis, sed proprium vni; indeterminatè tamen, seu vagè, & disjunctiuè: ita vt *quidam homo*, idem sit, ac ille, vel ille, vel alias homo: & ita, non propter communitatem naturæ, sed propter illam indeterminationem, potest applicari illi, vel illi: ideoque non vniuersale, sed indiuiduum vagum, dici debet.

Aliæ dantur solutiones: vt quod indiuiduum vagum prædicetur analogicè tantum, aut etiam æquiuocè; cùm significet differentiam indiuiduum, per quam quodlibet indiuiduum est primò diuersum ab alio. Aut quod non significet naturam aliquam integrum, non secùs ac existentia; sed modum particulariter existendi: ad vniuersale autem requiratur natura integra. Quæ solutiones non sunt respuenda, posseuntque applicari isti termino, *individuum*, dum de Petro, Paulo, &c. dicitur prædicari. Sed de hoc redibit sermo q. de specie.

23. Ad ultimum dicit Vasques 3. p. disp. 68. c. 4. talem prædicacionem spectare ad quintum prædicabile, licet in ea prædicetur aliquid substantiale, quia est extra rationem rei, & potest abesse, vel adesse absque subiecti interitu: vt in ista *circulus est aureus*. Et hoc potest admitti, modò quodatum prædicabile dicatur complecti omne illud, quod est extra rationem subiecti, & prædicatur contingenter, siue *in quale*, siue *in quid*, siue adiectiuè, siue substantiuè. Nam re verâ in illa propositione. *Deus est homo*, prædicatum dicitur *in quid*, & substantiuè: & natura assumpta constituit unum substantiale compositum cum persona assumente, quod non contingit in quinto prædicibili, vt communiter sumitur, quamvis prædicatum sit substantia. vnde si communiter sumatur, poterit dici istud esse sextum prædicabile, non ex Philosophia, sed ex Theologia, & fide natum. Ita Raphaël de Auerfa.

Verum dicerem ego esse prædicationem speciei de indiuiduo, non se-

cùs ac istam, *Christus est homo*: nam in illa *Deus* supponit pro determinato indiuiduo humano subsistente in verbo, hoc est, pro Christo, licet nomine, *Deus*, sumpto simpliciter, significetur tantum Deus, & ita utroque prædicatur species humana de composito humano, ut de proprio indiuiduo, diuinâ personalitate completo. Lege D. Thomam Opusc. 2. c. 21. in fine, & 3. p. q. 16. art. 1. & Cajetan, ibidem.

---

## S E C T I O I V.

*An Vniuersale sit vniuocum, & genus ad omnia  
vniuersalia.*

24. **N**O T A N D U M est primò, vniuersale duo importare, scilicet uniuersitatem, & id quod vniuersale denominatur, vt diximus aliàs: sicut album includit albedinem, & id in quo est albedo, seu id quod album denominatur. Illud quod vniuersale denominatur, dicitur materiale, seu substratum vniuersalis: vniuersalitas vero dicitur formale.

Notandum secundo, vniuersale posse sumi vel pro solo materiali, vel pro solo formalis: vel pro materiali, vt denominato, hoc est, vt affecto formaliter ipsa vniuersalitate: sicut album potest sumi vel pro solo subiecto albedinis, seu pro corpore, in quo est albedo, aut pro sola albedine, aut pro corpore albo, vt album est, & formaliter affectum albedine.

Notandum tertio, vniuersale sumptum pro materiali solo, non esse vniuocum, quia illud materiale potest esse & substantia, & accidentis, & etiam ens rationis. Nam in entibus rationis possunt quoque assignari genera, species, &c. vt patet. Nihil autem datur vniuocum enti reali, & rationis. Si vero sumatur pro solo ente reali, est vniuocum secundum Scotistas, non vero in opinione Thomistarum, de quo aliàs. Sed quicquid sit, non intelligitur quæstio ista de vniuersali sumpto hoc modo: sed tantum de vniuersali pro solo formalis, vel pro materiali, vt affecto formaliter vniuersalitate, vel pro aggregato ex utroque. Nam, etiam posito quod non sit aliquid vniuocum respectu substantia, & accidentis: tamen quantitas alba in sacra Eucharistia, & Cygnus albus, in ratione albi vniuocè conueniunt: & ita quoque in ratione vniuersalis poterunt vniuocè conuenire. His positis.

25. Dicendum est primò: vniuersale formaliter sumptum, siue intelligatur sola vniuersalitas, siue natura vt affecta vniuersalitate, vniuocè conuenire, & predicari de omnibus vniuersalibus. Ita Scotus, q. 8. in

Porph. Tataretus sub initium sui tractatus in Porphyrium, §. tertio sciendum. Sotus q. 4. concl. 4. & in c. de genere, q. vnicā, ad 4. Iauellus tract. 4. de quinque prædicabilib. c. 1. 5. & 6. Masius sect. 5. q. 2. Complut. disp. 4. q. vlt. & alij multi recentiores: quamvis non ita expressè sumant vniuersale duobus his modis; sed pro sola notione vniuersalitatis.

Probatur conclusio, quia illud prædicatur vniuocē, quod secundūm nomen, & rationem nōmine significatam, prædicatur: vniuersale verò vtroque modo sumptum, prædicatur secundūm nomen, & rationem significatam de omnibus vniuersalibus. Nullum quippe est vniuersale, cui non conueniat tum nomen, tum natura ipsa vniuersalis. Nam genus rectè dicitur vniuersale, & vnum aptum inesse multis. Item verum est quod vniuersalitas generis, est vniuersalitas, vniuersalitas speciei quoque, seu est ratio, & forma, per quam aliquid est vnum in multis. Igitur vniuersale vtroque modo sumptum, est vniuocum ad omnia vniuersalia.

26. Dices. Ratio vniuersalis inæqualiter participatur ab his, quibus conuenit; ergo non conuenit vniuocē. Probatur antecedens primò, quia conuenit generi, & speciei independenter; alijs verò dependenter. Nam si genus, & species non essent; non essent quoque differentiæ, nec propria, nec accidentia.

Secundò. Aristot. c. de subst. in categorijs vocat prædicationem essentialē, quæ tribus primis vniuersalibus conuenit, simpliciter vniuocam, & 2. top. c. 2. initio distinguit prædicari vniuocē à prædicari denominatiūe, seu accidentaliter. Duo autem postrema vniuersalia prædicantur denominatiūe de suis subiectis.

Tertiò. Vniuersale est vnum in multis: sed genus magis participat hanc rationem, quam cætera; est enim in pluribus, quam species, vt animal pluribus conuenit, quam homo.

Respondeo negando antecedens. Ad primam eius probationem, nego rationem vniuersalis conuenire postremis vniuersalibus dependenter à primis; quamvis postrema dependeat à primis quoad suum esse: sicut licet scientia quoad suum esse pendeat ab intellectu, in quo recipitur, & à quo producitur; conuenit tamen vniuocē in ratione qualitatis cum intellectu. Ratio est: quia omnia vniuersalia ex æquo participant essentialiam communem vniuersalis, quæ est aptitudo essendi in multis, & prædicandi de multis; neque vni potius conuenit, quam alteri.

Ad secundam probationem dico, Aristotelem ibi pressissimè sumpsisse prædicationem vniuocam, quatenus est idem cum prædicatione essentiali. Nam in definitione vniuocorum, quam ipse tradit, nullum est vocabulum, quod non conueniat vniuocis accidentalibus, vt patet in anteprædicamentis. Nec obstat quod Aristoteles distinguat denominatiua ab vniuocis, quia, vt sic, habent quoque rationes diuersas. Dicuntur enim denominatiua, quatenus denominationem ab alijs accipiunt: vni-

uoca verò , quatenus eadēm ratione de suis inferioribus prædicantur.

Ad tertiam probationem Respondeo cum Scoto q. 8. ad 2. genus non esse magis vniuersale , quām alia , quia non magis participat de ratione formalī , quā vniuersale constituitur , quæque est aptitudo effendi in multis . Tantū ergo potest dici majus vniuersale , quia extendit ad plura : sicut numerus quaternarius est maior numerus binario , sed non est magis numerus : nam vterque æqualiter participat essentialiam numeri , seu quantitatis discretæ .

Patet igitur vniuersale esse perfectè vniuocum ad omnia vniuersalia . Quod verò aliqua prædicitur essentialiter , alia accidentaliter : aliqua mediatè , alia immediatè : alia *in quid* , alia *in quale* . Hoc est extra rationem communem vniuersalis , & conuenit tantum particularibus speciebus . Sicut quod aliud animal sit brutum , aliud rationale , aliud hinnibile . &c. est extra communem rationem animalis , & ad particulares animalis species pertinet .

27. Dicendum est secundò , vniuersale esse genus ad omnia vniuersalia . Ita citati authores , & omnes ferè Thomistæ , quicquid in contrarium dicat Fonseca . Est contra multos de quibus in secunda sectionis parte . Probatur , quia illud est genus , quod prædicatur de multis specie differentibus , vnuocè , & *in quid* : sed vniuersale sic prædicatur de omnibus prædicabilibus : ergo est verum genus . Maior est clara . Minor patet quoad primam partem ex præcedenti conclusione : quoad secundam verò etiam patet . Nam si queratur , quid sit genus , quid species , &c. rectè respondebitur quod sit vniuersale .

Item genus , & species magis differunt inter se , quām genus , & genus : sed genus , & genus differunt numero ; ergo genus , & species differunt plurimā numero , igitur species . Et ita vniuersalia erunt species vniuersalis , quod erat probandum . Vnde nihil vniuersali deest ad perfectam generis rationem .

Nihilominus , si quis noluerit huic adhærere opinioni , sed negatiuæ , quam statim proponam , poterit respondere rationi iam facta : omne prædicatum vnuocum *in quid* de pluribus diuersis , non esse genus . Nam ens est vnuocum ad Deum , & creaturas ; ad substantiam , & accidens , ex Scoto , & multū probabili sententia ; & dicitur *in quid* de illis ; & tamen non est genus respectu illorum . Item persona diuina prædicatur nomine , & re de tribus diuinis personis , & omnino æqualiter , & tamen non est genus , quia tres diuinæ personæ non sunt species , eo quod species est quid compositum ex genere , & differentia : nulla autem compositio in Deum cadit ex communi sententia . Nec etiam est species , quia nullum habet genus supra se , respectu cuius possit dici species .

Neque obstat quod genus , & species magis differant , quām genus , & genus , quæ solo numero differunt . Nam etiam magis differunt Deus & Petrus , quām Petrus , & Paulus , qui solo numero differunt ; &

tamen non differunt specie, quia non sunt sub eodem genere. Item substantia, & quantitas non differunt specie, si ens non sit genus, licet magis differant, quam duæ quantitates.

## SECVNDA PARS SECTIONIS.

*Vniuersale non esse genus.*

28. **S**ENTENTIA M hanc negatiuam, vniuersale nimirum non esse genus, amplectuntur multi, iisque nobiles Philosophi. Boëtius in Porphyricum c. de genere, Ammonius ibidem; Albertus Mag. tract. 2. c. 9. Niger 2. p. clypei q. 16. de Raconis q. vlt. disp. 1. in resp. ad 2. obiect. & alij quidam. Nec leues certe sunt rationes, quibus eam confirmant; eas hic afferam, soluamque, ut ita quæstio hæc sub problemate sustineri possit.

Prima ratio. Quod omnia genera sub se competitur, non potest aliud habere genus supra se: sed genus, quod est primum prædicabile, complectitur sub se omnia genera; ergo non potest habere supra se vniuersale, tanquam genus. Item decem prædicamenta sunt decem suprema genera ex communi sententia: non possent autem dici suprema, si vniuersale, sub quo continentur, genus esset.

Secunda ratio. Si vniuersale esset genus, omnia prædicabilia essent species, & ita secundum prædicabile diceretur de genere, differentia, & cæteris prædicabilibus: hoc autem est absurdum, quia species vnius generis, sunt ad minus disparatae, & ita de se inuicem prædicari non possunt.

Item species prædicaretur de seipso formaliter, & non identice. Nam ista prædicatio esset secundi prædicabilis, *species est species vniuersalis*. Item concretum diceretur de suo abstracto, ut specieitas est species vniuersalis.

29. Tertia ratio. Si vniuersale esset genus, sequerentur magna absurdum, & ingens prædicabilium confusio. Nam primò genus continetur sub sua specie, imo sub seipso. Si enim vniuersale est genus, consequenter primum prædicabile, quod omnia genera sub se complectitur, prædicabitur de vniuersali, ut de parte sibi subiecta, & sic vniuersale continebitur sub genere, quod est eius species. Quod autem continetur sub specie alicujus generis, necessario debet sub illo genere contineri: sed vniuersale est hoc genus, ergo continetur sub seipso, quod est per absurdum.

Præterea genus esset individuum suæ speciei, quia vniuersale esset individuum primi prædicabilis, quod est species infinita vniuersalis.

Quarto.

Quartò. Vel esset genus supremum, & sic essent plura quam deceni, vel subalternum, & sic deberet contineri sub aliquo supremo, quod assignari non potest.

Quarta ratio. Si vniuersale est genus, ergo est vnum in multis, specie differentibus. Hæc enim est definitio generis essentialis. Quod autem conuenit essentialiter superiori, conuenit quoque inferiori: igitur conuenit speciei, quæ continentur sub vniuersali in communi, *esse vnum in multis, specie diversis.* Quod est falsum: ergo falsum est, quod vniuersale sit genus.

Quinta ratio. Genus non debet includi in suis differentijs: conceptus enim generis, & conceptus differentiæ, sunt diuersi, nec se mutuo participant, ex Aristotele 3. Metap. c. 3, & alibi. Sed vniuersale, saltem formaliter sumptum pro vniuersalitate, includitur in suis differentijs. Veræ enim sunt istæ prædicationes. *generitas est vniuersalitas, specietas est vniuersalitas.* Nam huiusmodi differentiæ non sunt quid singulare. Ergo vniuersale non est genus ad omnia prædicabilia.

30. Sexta ratio. omnia vniuersalia non habent veram rationem specierum, ergo neque vniuersale veram rationem generis respectu illorum. Probatur antecedens, quia veræ species sub aliquo genere proximo contentæ, debent à se inuicem distingui per differentias, tale genus diuidentes: sicut homo, & brutum differunt per rationale, & irrationale, diuidentia ipsum animal: sed omnia vniuersalia non sic se habent: distinguntur enim inter se per varios modos attribuendi, seu prædicandi, qui non sunt differentiæ vniuersalis, in se spectati, vt ostensum est præcedenti sententia, in tertia sententia: quia si in se spectetur, respicit tantum inferiora, quæ specie, aut solo numero differre necesse est, & consequenter quidquid vniuersale est, esse genus aut speciem. Omnia ergo, quæ vniuersalia vocantur, non erunt species vniuersalis: sed ad summum duo priora. Et sic vniuersale non erit genus ad omnia, immo nec ad ullam, ob alias rationes, iam allatas.

Septima ratio. Si vniuersale esset genus, poneretur loco generis in definitione primi prædicabilis, hoc modo. *genus est vniuersale, aptum de multis specie differentibus prædicari.* Sed hoc est falso; quia genus hoc modo definitum, definitur vt genus, & non vt species; ergo vniuersale in illa definitione, non est illius genus, quia quod definitur per genus, quod habet supra se, definitur vt illius species, & non vt genus.

Confirmatur primò. Idem non potest esse vniuersale vt sic, & tale vniuersale: sed si vniuersale esset genus, simul esset vniuersale vt sic, & tale vniuersale.

Confirmatur secundò, quia sequentes particulæ, scilicet *prædicari de multis specie differentibus*, deberent tenere locum differentiæ, quod est falso. Nam differentia in definitione posita, debet separare defini-

tum ab aliquo eorum , quæ sunt sub eodem genere ; vt ait Aristoteles 6. top. c. 2. ante medium his verbis oportet autem genus ab alijs secerne-re : differentiam vero ab aliquo eorum , quæ sunt sub eodem genere . Quomodo rationale separat hominem ab equo , non à lapide ; sed ab eo ipsum satis separat animal . At prædicta verba separant genus ab individuo , quod non continetur sub vniuersali , quia non dicitur de multis . Ergo non habent veram rationem differentia : nec consequenter vniuersale veram rationem generis . Hæc sunt præcipua huius opinionis argu-menta , quibus sigillatim respondendum est .

---

### TERTIA PARS SECTIONIS.

#### *Satis fit præcedentibus rationibus.*

31. **V**T præcedentibus argumentis claram adhibeamus solutionem , breuiter adnotandum est , omnes vniuersalis species triplici-ter considerari posse , triplicemque subire comparationem . Primo quidem ad vniuersale , cuius species sunt . Secundo ad sua inferio-ria , de quibus essentialiter prædicantur , tanquam de proprijs individuis . Tertio ad subjecta denominata , seu ad res ipsas , quæ vniuersales deno-minantur , materialiter sumptas . Verbi gratia , genus , quod est primum prædicabile , aliam habet habitudinem ad vniuersale , cuius est species ; aliam ad particulares vniuersalitates generitatis , seu ad hoc , & illud ge-nus , quod afficit animal , arborem , lapidem , cæterasque naturas quæ genera denominantur , in quarum numero est ipsum vniuersale : Aliam denique ad ipsas naturas in se spectatas materialiter , hoc est in dato exem-plo , ad animal , ad arborem , ad lapidem .

Sive enim vniuersale formaliter sumptum , fiat ab intellectu , sive sit in rebus ipsis absque intellectus operatione , semper concipitur per modum formæ , per quæ naturæ denominantur , & sunt formaliter uniuersales . Vnde huiusmodi forma dicitur id quo: ipsa vero natura , seu subiectum talis formæ , dicitur id quod . Hoc est , talis forma dicitur id , quo naturæ denominatae , sunt vnum in multis : ipsæ vero naturæ dicun-tur id , quod est vnum in multis . Quatenus tamen illa forma , seu uniuersale , formaliter sumptum , respicit sua inferiora essentialia , & consi-deratur secundo modo iam dicto , est etiam id quod , quia est vnum in multis , numero differentibus , vt statim explicabimus .

Vniuersalia igitur spectata primo , & secundo modo , habent rationem speciei , & continentur sub secundo prædicabili . Nam species duplice-<sup>m</sup> habet respectum , vt dicemus in propria quæstione ; alterum ad genus ,

cui subjicitur, & ratione cuius dicitur species subjicibilis; alterum ad individua, de quibus prædicatur, vt tota essentia communis, & vocatur species prædicabilis. Primam rationem sibi vendicant omnia prædicabilia, primo modo sumpta: secundam verò spectata secundo modo. At si tertio modo considerentur, differunt inter se specificè. Nam vniuersalitas generis, est ratio, quā natura, verbi gratiā animalis, constituitur vna in multis, specie diuersis. vniuersalitas verò speciei, est ratio, per quam natura, verbi gratiā, hominis, constituitur vna in multis numero solo differentibus, quæ duo multūm inter se differunt. His prænotatis.

32. Respondeo ad primam rationem. *quod omnia genera sub se complectitur, non potest habere genus supra se*: sub ea ratione, quā omnia complectitur, concedo; sub alia diuersa, nego. Primum enim prædicabile, quatenus concipitur habere in se rationem communem omnibus vniuersalibus, quæ est *esse unum in multis*, respicit vniuersale, vt quid sibi superius, & genus suum, quomodo habet rationem speciei subjicibilis, nec, vt sic, complectitur omnia genera sub se.

Quatenus verò concipitur continere rationem communem omnium generum, quæ est *esse unum in multis specie differentibus*: non respicit, vt sic, vniuersale, tanquam aliquid superius, sed vel vt inferius essentiale: quando scilicet vniuersale sumitur vt id *quo*: tunc enim de eo prædicatur, vt de proprio individuo, differente numero à cæteris omnia formis genericis. Vel vt inferius accidentale, quando vniuersale sumitur vt id *quod*, quia de eo tunc dicitur accidentaliter. Nam accedit vniuersali quod sit genus; sicut accedit animali quod sit homo, alioquin omne animal esset homo, & omne vniuersale genus: vt adhuc explicabimus ad secundam, & tertiam rationem.

Vnde superius hic dicitur, quod latius patet eo, in quo includitur, ita vt non valeat consequentia ab ipso ad illud, in quo est inclusum. Inferius verò est quod includit aliud, & à quo valet consequentia ad inclusum, non contra: vt animal est superius homine, quia posito animali, non sequitur homo: & vniuersale est superius ad genus, quia eo posito non sequitur genus.

Quod autem dicitur de decem supremis generibus, non admittetur forte à nobis: sed quidquid sit hac de re, dicuntur esse decem supremæ genera, quia non habent supra se naturam aliquam genericam essentialem; quamvis habeant naturam accidentariam, & denominatiuam, sibi vniuocam, & de ipsis genericè prædicabilem, scilicet vniuersale, quod licet sit genus ad omnia vniuersalia; tamen non prædicatur essentialiter, & quidditatè de naturis, quæ vniuersales denominantur. Vnde ista prædicatio, *quantitas est vniuersalis*, est accidentaria, & denominatiua respectu quantitatis, materialiter sumpta, etiamsi detur vniuersale à parte rei; vt diximus scđt. 3. q. 4. in Resp. ad 5. si verò non detur vniuersale à parte rei, tunc huiusmodi decem summa genera non habebunt supra se,

nisi naturam intentionalem, & rationis, ab intellectu dependentem, quod negare non debent illi, qui decem summa genera astruunt.

33. Respondeo ad secundam rationem ex Scoto q. 8. ad 1. non esse inconueniens species eiusdem generis, de se inuicem praedicari in concreto, & denominatiuè, præfertim in relatiuis. Nam de eo, qui habet patrem, & filium, verè dicitur *pater est filius*, seu *qui est pater, est filius*, licet pater non sit respectu illius, cuius est filius, sed respectu alterius. Item in absolutis ostenditur: nam veræ sunt istæ propositiones, *album est dulce in saccaro. Frigidum est album in nine, &c.*

Vnde praedicabilia spectata primo, & secundo modo, explicato in notabili, non sunt diuerſa, & distincta: sed in ordine ad superius, nempe ad vniuersale, sunt species subjcibiles; in ordine vero ad inferiora essentia- lia, sunt species praedicabiles: & ita verè dicitur *genus est species, differentia est species, &c.* quia tamen includunt alium respectum, quatenus sunt formæ, seu id, quo subjecta denominata, dicuntur de multis sic vel sic; quomodo essentialiter distinguntur: ideo tales praedications sunt tantum materiales, & denominatiæ, dum ipsa praedicabilia sumuntur, vt species inter se distinctæ.

Et hac etiam ratione ista propositio, *species est species vniuersalis*, est denominatiua, si non sit identica, quia per alium respectum est species vniuersalis, per aliud est distincta ab alijs praedicabilibus. Ideoque in subiecto sumitur vt *quid*; in praedicato vero vt modus, sicut loquitur Scotus, tunq. oit. tun in f. d. 2. q. 3. n. 7. dicitur autem *quid* illud quod intelligitur, modus vero ratio, sub qua intelligitur. Verbi gratia, dum dicitur, *plurale est singulare*, vera est propositio, si plurale accipitur vt *quid*, & singulare vt modus: hoc est, si pluralitas sit ipsum obiectum significatum; & singularitas, modus, sub quo significatur, & concipitur. Similiter dum dicitur, *singulare est vniuersale*: illud quod concipitur est singularitas, & modus, iub quo concipitur, est vniuersalitas, quia, vt concipitur, intelligitur habere indifferentiam ad plura. In praedictis ergo propositionibus id, quod alteri attribuitur, sumitur vt modus: id vero, cui attribuitur, sumitur vt *quid*: & ita nihil absurdum in eis continetur.

Illa tamen propositio, *specieitas est species*, falsa est, quia specieitas est differentia constitutiva speciei: differentia autem non praedicatur in abstracto de toto: quamvis complutentes velint eam esse veram denominatiuè.

34. Respondeo ad tertiam: hæc, & similia cadere in vniuersale Logicum, seu praedicabile, & ab intellectus operatione pendere: ideoque nullam pati difficultatem, quia secundæ intentiones possunt pro libito multiplicari, & aliae alijs superinduci: ita ut aliae vt superiores, aliae vt inferiores, & vice versa, cum aliquo fundamento in re, intelligantur. Quatenus enim intellectus comparat vniuersale ad suas species, tribuit illi intentionem generis: & sic vniuersale, quod erat superiorius ad genus, ad

speciem, & alia prædicabilia, prout communem eorum rationem continebat, fit per talem comparationem inferius, & individuum primi prædicabilis: & sic genus continet, & continetur sub sua specie secundum diuersas considerationes, & intentiones rationis; & etiam sub seipso, quatenus in tali specie includitur. Dum verò queritur an sit genus supremum, vel subalternum: respondetur esse subalternum, positum sub ente rationis, aut secunda intentione, vel denominatione extrinseca, secundum diuersas sententias, de quibus quæstione præcedenti.

Quod si quis insistat, aliqua ex his conuenire vniuersali ex parte rei, ut esse genus. Respondendum erit ut in præcedenti solutione, non esse absurdum, genus contineri sub sua specie denominatiuè, & accidentaliter. Tunc enim vniuersale se habet ut id *quod*: & denominatus genus à generitate, eo modo, quo animal, color, &c. quæ denominations accidentales sunt, vt diximus. Præterea in ipsis, & similibus, *animal est homo. Color est albedo.* Prædicatur species de suo genere: & ita aliquà ratione continet illud sub se, quod nou reputatur absurdum, quia non est continentia essentialis, & directa.

35. Instabis. Ergo ista prædicatio, *vniuersale est vniuersale*, erit accidentalis, & denominatiua: quod est maxime abiurdum, quia nihil magis est essentialis rei, quam ipsam sibi: idem autem in illa propositione de seipso prædicatur. Probatur verò antecedens. Quando enim aliquod prædicatum dicitur de aliquo subiecto essentialiter, debet dici accidentaliter de omnibus, de quibus tale subiectum accidentaliter dicitur. Ut quia color dicitur essentialiter de albedine; & albedo dicitur accidentaliter de cygno; color quoque dicitur accidentaliter de cygno. Atqui vniuersale dicitur essentialiter de genere, & genus dicitur accidentaliter de vniuersali, alioquin omne vniuersale esset genus: ergo vniuersale dicitur accidentaliter de seipso. Quod erat probandum. Igitur dici non potest, quod vniuersale continetur denominatiuè sub genere.

Respondeo, concedendo antecedens, negatà consequentiâ. Sicut enim ista prædicatio, *album est album*, denominatiua est, si album sumatur ut id *quod*, seu pro subiecto denominato: ita prædicta prædicatio, *vniuersale est vniuersale*, erit denominatiua, seu accidentalis, si vniuersale sumatur ut id *quod*, seu pro materiali vniuersalis, eo modo, quo sumitur in ipsis propositionibus, *animal est vniuersale. Homo est vniuersale.* Si verò sumatur ut id *quo*, id est, pro forma vniuersalitatis: tunc illa prædicatio erit essentialis, quia sensus est, vniuersale est forma, seu ratio, ob quam aliqua natura est una in multis. Sed hoc modo vniuersale non est genus: vt sic enim non dicit ordinem ad multa specie diuersa; sed ad ipsam naturam, quam denominat vniuersalem, ut ad animal, ad hominem, &c.

Ex quibus soluta manet quarta ratio. Quia enim vniuersali non conuenit essentialiter esse genus, seu unum in multis, specie diuersis: non

conuenit quoque inferioribus vniuersalibus, "hoc est speciei, differentiae, proprio, &c. esse vnum in multis, specie diuersis."

36. Respondeo ad quintam: vniuersalitatem sumi duobus modis. Primo prout distinguitur contra particularitatem: quomodo continet omnes vniuersalitates, tum perfectas, tum imperfectas: & sic non censetur esse genus. Secundo sumitur strictius, prout significat naturam integrum, quæ non est pars, neque differentia alterius: & sic non includitur in differentijs, quæ sunt vniuersalitates imperfectæ, & partes aliarum. Vnde ista propositio, *generitas est vniuersalitas*, non est absolute vera, nisi sensus sit, *generitas est vniuersalitas partialis: seu differentia vniuersalitatis.* Vel nisi per generitatem intelligatur integra ratio generis, compoluta ex ratione communii vniuersalitatis, & ex particulari, quæ est propria differentia generis.

Respondeo ad sextam, negando antecedens: & dico modos illos diversos prædicandi, esse differentias diuidentes vniuersale: neque vniuersale debere ita absolute in se spectari: quia, cum sit vnum aptum inesse multis, debent considerari, & ipsa multa, & modi diuersi essendi in multis, & prædicandi de multis, cum in suas partes diuiditur: quia tales modi, comparati ad illa multa, diuersas ostendunt, faciuntque differentias. Et hæc dicta sint saluâ yltimâ opinione de numero vniuersalium.

37. Respondeo ad septimam, negando minorem: & ad probationem, concedo genus ibi definiri ut genus est, seu ut est primum prædicabile: ut sic autem, duos includit conceptus; scilicet communem, quo conuenit cum alijs prædicabilibus; & specialem, seu specificum, quo ab illis differt. Primus vocatur vniuersalitas, secundus vero generitas. Vnde sicut homo includit animalitatem, & rationalitatem: ita genus ut genus, includit vniuersalitatem, & generitatem; atque adeo, licet definitur ut genus, non male ponitur in eius definitione vniuersale, tanquam conceptus communis, & ut quid prædicabile de pluribus præcisè: quia, si intelligeretur ut prædicabile de pluribus specie, intelligeretur ut genus; & sic non esset conceptus communis quinque vniuersalibus, sed proprius generi, immo eius inferius.

Vnde patet responsio ad primam confirmationem. Poteſt enim idem esse vniuersale ut ſic, & tale vniuersale, ſub diuerso respectu. Vnde vniuersale, ut est prædicabile de pluribus præcisè, abſtrahendo à modo, est vniuersale ut ſic: eft autem vniuersale tale, ſclicet genus, ut est prædicabile de pluribus, specie diuersis. De definitionibus tamen generis, & aliorum prædicabilium fuſe infrà differemus, & quid loco generis in ijs ponatur, determinabimus.

Ad ſecundam confirmationem dico differentiam, in definitione posſitam, debere diſtinguere definitum ab aliquo eorum, quæ ſunt ſub eodem genere: quomodo prædicari de multis ſpecie differentibus, separat genus ab ſpecie: ſed nihil obſtat quod minus ſeparet illud, etiam ab alijs,

sub illo genere non contentis. Nam rationale suo modo separat hominem, non solum ab equo, leone &c. sed etiam à lapide.

38. Quæres primò an vniuersale sit genus immediatum ad omnia vniuersalia, itaut nullus alius conceptus genericus mediet inter vniuersale, & singulas species vniuersalis, supra assignatas?

Respondeo: existimant multi esse aliquod genus immediatus: vnde aliqui, antequam diuidant vniuersale in genus, speciem, differentiam, proprium, & accidens, diuidunt illud in essentiale, & accidentale: & ita inesse essentialiter, erit genus commune, habens tres species, scilicet genus, speciem, & differentiam. Inesse verò accidentaliter, erit genus habens duas species, scilicet proprium, & accidens commune. Alij illud prius diuidunt in necessarium, & contingens: & ita inesse necessariò, habebit quatuor species, scilicet quatuor priora prædicabilia. Inesse verò contingenter, habebit quintum. Alij denique prius diuidunt in prædicabile *in quid*, & prædicabile *in quale*.

Verum melius dicitur vniuersale esse genus immediatum: cuius ratio peti debet ex diversis modis essendi, & prædicandi, ex quibus vniuersalium numerum suprà collegimus. Nam enim potest assignari ratio vlla ab authoribus contraria sententia, cur potius diuidatur *in quid*, & *in quale*, quam in essentiale, & accidentale: vnde eadem species constitutur sub duobus generibus, non subalternatum positis, quod ipsi absurdum reputant. Nam differentia erit sub vniuersali essentiali, & sub vniuersali *in quale*, quæ non sunt subalternatum posita, quia omne quod dicitur *in quale*, non dicitur essentialiter, nec contra.

Deinde: si pro diuersis prædicatorum conditionibus, ita liceret interpolare genera diuersa, possent multa alia constitui. Nam potest primò diuidi in necessarium, & contingens: deinde necessarium, in essentiale, & accidentale: tertio essentiale, in completum, & incompletum: quartò incompletum, in *quid*, & in *quale*: quintò accidentale in separabile, & in inseparabile, &c.

Dicendum itaque est, hæc, & similia non esse veras differentias vniuersalis, sed prædicata quedam inadæquata, quæ simul sumpta, efficiunt completam differentiam, vel potius eam diuersimodè nominant, & indicant prout secundum diuersas spectatur formalitates, siue rationis, siue ex natura rei.

39. Si quis tamen contrarium sequi maluerit, non inficiabor. Nam modi essendi essentialiter, & accidentaliter, videntur sufficientes ad constituendum genus aliquod medium inter vniuersale, & quinque suas species: maximè si vniuersale fiat ab intellectu. Alij autem modi, qui assignantur, vel eodem recidunt, vel sunt accidentales, & sumuntur ex modis prædicandi; vel non ita clarè rem explicant.

Ad illud verò, quod dicitur, differentiam fore sub duobus generibus, non subalternatum positis, scilicet sub vniuersali essentiali, & in *quale*.

Respondetur vniuersale in *quale*, sumii à proprietate, hoc est, à prædicabilitate: vniuersale verò essentiale sumitur à modo essendi: & ita nihil vetat differentiam ad utrumque pertinere sub diuersa consideratione. Sed de his in quæstione de differentia.

Quæres secundò an vniuersalis species sint species insimæ, quæ non possint in alias inferiores diuidi: an verò subalternæ, quæ in alias species diuidantur?

Respondeo esse insimas. Siue enim duo tantum, siue quinque, siue octo vniuersalia admittantur iuxta triplicem sententiam, de qua supra: semper colliguntur ex diuersis modis essendi, & prædicandi, qui non diuiduntur in alios essentialiter diuersos, alioquin plura deberent admitti vniuersalia. Quapropter singulæ naturæ genericæ, erunt singula numero vniuersalia: adeout animal, in quantum genus, solo numero differat à planta, à lapide, à colore, &c. vt genera sunt. Quia omnia eundem planè modum essendi habent in suis inferioribus, nimirum per modum partis materialis, vt explicatum est, dum egimus de numero vniuersalium: & idem iudicium sit de ceteris vniuersalibus: de quibus omnibus hæc in communi sint satis.





LIBER TERTIVS,  
DE  
VNIVERSALIBVS  
IN PARTICVLARI.

*QVÆSTIO I.*

De genere.

---

SECTIO I.

*Quid sit genus.*



RES generis acceptiones , seu significationes refert Porphyrius capite de genere. Prima est, quā significat multitudinem , & collectionem aliquorum hominum , aliquā inter se affinitate coniunctorum , & habentium originem ab aliquo uno principio : quomodo Virgilius Aeneidos r. vocat Italos genus Iouis.

*Italianam quero patriam , & genus à ioue summo.*

Et diuus Paulus actor. 17. vocat homines genus Dei. *Ipsius enim & genus sumus. Genus ergo cū simus Dei.* Aliquando tamen vna solūm persona vocatur genus , vt apud Virg. Aeneid. 6. Pyrrhus vocatur genus Achillis.

*ipsunque Aeneiden , genus armipotentis Achilli.*

Secunda generis acceptio est, quā significat principium huiusmodi multitudinis , & collectionis hominum: siue illud sit patria , siue parentes , in quo sensu loquitur Ouidius Metam. 13.

*Nam genus, & proanos, & qua non fecimus ipsi  
vix ea nostra voco.*

Ita etiam dicimus Platonem esse genere Atheniensem. Patria namque principium est generationis cuiusque, perinde ac pater. Volunt tamen aliqui, ut Cajetanus, nomine generis in hac secunda acceptione non tam significati patriam, aut parentes, quam originem inde deductam, quæ vocari solet ortus, stirps, proslapia: vnde Porphyrius non dicit Tantalum esse genus Orestis, sed Orestem genus ducere à Tantalo; & pindarum esse genere Thebanum. Et has duas generis acceptiones, etiam apud Arist. reperire licet s. Metaph. cap. 28. secunda verò potior est quam prima, quia hominum multitudo, genus non dicitur, nisi quia à parente, vel patri, genus, hoc secundo modo acceptum, in ortu traxit.

Tertia acceptio est pro eo, sub quo species collocatur: & reperitur in Arist. 4. topic. cap. 1. & 2. habet autem similitudinem cum genere, primo, & secundo modo usurpato. Sicut enim genus primo modo sumptum, continet hominum multitudinem, ab uno principio deductam: ita genus hoc tertio modo, continet specierum multitudinem. Et sicut genus secundo modo, principium est talis multitudinis: ita genus tertio modo, principium est constitutuum specierum, quas sub se complectitur. Verbi gratia animal, quod est genus, sub se complectitur multis species, ut hominem, equum, leonem; & est principium constitutuum eorum. Omisssis autem duabus primis acceptiōibus, de tercia tantum agit Porphyrius, vtpote Logici negotij propria.

2. Genus itaque tertio modo sumptum definit Porphyrius his verbis, *genus est quod de pluribus, specie differentibus, in questione quid est, prædicatur, vt animal.* Et hanc desumpfit ex Arist. 1. topic. c. 4. explica ut autem hoc modo. Particulae, *quod de pluribus prædicatur, locum habent generis, seu conceptus communis, in quo omnia vniuersalia conueniunt: siue per illud intelligatur vniuersale, siue prædicabile, aut aliquid aliud, de quo in sectione sequenti.* Per easdem autem differt genus ab individuo, quod de uno tantum in suppositione personali prædicatur, ut Petrus de solo Petro. Per haec verba, *differentibus specie: differt ab specie, quæ dicitur de solo numero diuersis, vt homo de Petro, Paulo, qui non specificè, sed numericè solum distinguntur.* Ea autem specie differre dicuntur, quæ sub eodem genere diuersas habent definitiones essentialias, inquit Aristoteles s. Metaph. cap. 10. *vt homo, equus, leo sub animali.* Et hoc intelligi debet siue de ipsissimis speciebus diuersis, ut sunt homo, equus: siue de contentis sub diuersis speciebus, ut sunt Petrus, & Bucephalus.

Per illas denique particulas *in questione quid est, vel in eo quod quid,* differt à posterioribus vniuersalibus, differentia, proprio, & accidente, quæ prædicantur in *quale quid, vel in quale simpliciter.* Prædicari autem *in quid, est ad questionem factum per quid res sit, posse respondere*

per ipsum. Ut si quæratur quid sit homo , rectè respondebitur quòd sit animal. Si verò quæratur quale animal sit, respondetur quòd sit rationale. Interroganti denique qualis sit, respondetur quòd sit albus , ater , &c. Vnde patet legitimam esse definitionem, cùm nihil superfluum habeat , nihilque illi deficiat ut explicet genus , & ab omnibus alijs distinguat.

3. Fusiū autem explicare luet, tam pro genere quām pro cæteris prædicabilib[us] particulas istas, *prædicare in quid, & in quale*. Igitur vocabulum istud, *quid*, est relatiuum substantiuum, & ideo significat per modum per se subsistentis. Istud verò, *quale*, est relatiuum adiectiuum ; & ideo significat per modum adjacentis alteri, seu per modum accidentis. Vnde ad quæstionem factam per, *quid res sit*, solemus respondere per nomina substantiua; nimirum per nomina generis, vel speciei: quia hæc sola significant per modum per se subsistentis. Ad quæstionem verò per *qualis sit res*, nominibus adjectiuis respondemus: scilicet nominibus differentiæ, proprij, & communis accidentis: quia hæc significant per modum adhærentis, & adjacentis alteri.

Ad hoc ergo , ut res aliqua prædicetur in *quid*, duo requiruntur: primum ut sit de essentia rei , de qua prædicatur: secundum , ut significetur per modum materiæ, seu per se stantis. Quo fit , ut differentia , quia significatur nomine adiectivo, & per modum adjacentis, prædicetur in *quale*: sed quia ad substantiam rei pertinet, non in *quale* simpliciter, sed in *quale quid* prædicatur: Proprium verò , & accidens in *quale* absolute, quia nec ad substantiam rei pertinent, nec per modum per se stantis significantur: at genus , & species omnino in *quid* enunciantur, quia utramque conditionem obtinent.

4. Quæres an prædicta generis definitio, essentiālis sit, an accidentialis ? Respondeo. Soluta manet hæc difficultas ex his, quæ de vniuersali diximus initio libri præcedentis: prædicabilitatem scilicet esse proprietatem vniuersalis. Ex eo enim quòd vniuersale est in pluribus, sequitur quòd sit de pluribus prædicabile: & ita definitio generis, quæ traditur per prædicabilitatem, est descriptiva , & accidentaria. Sicut autem ista definitio vniuersalis *vnum aptum inesse multis*, essentialis est: ita & hæc generis erit essentialis, *quod aptum est inesse multis, specie differentibus*, in *quid*: seu ut pars essentialis, materialis, & determinabilis: ut explicabimus infra. Essentia enim superiorum inest inferioribus ; contracta rāmen per proprias eorum differentias: sed vniuersale est superius ad genus , ut supra dictum est: Igitur vniuersalis essentia, nempe esse *vnum in multis*, est essentia generis , contracta, & limitata per hanc differentiam, *specie differentibus*.

5. Obijctes primò. Quidquid definitur, debet esse species ex 7. Mētaph. c. 10. & 11. nam definitio debet constare genere , & differentia, quæ duo simul sumpta conuenient tantum speciei. Sed genus non est

species: inquit est essentialiter ab specie distinctum: & insuper daretur generis genus, & huius generis alterum genus, & sic in infinitum: ergo definiri non potest.

Respondeo, genus esse speciem vniuersalis, ut diximus supra ex opinione probabili: atque adeò potest definiri definitione constante genere, & differentia, quæ est *inesse specie differentibus*, quæque alijs vniuersalibus non competit: & ideo, licet genus sit species vniuersalis; est tamen diuersum à secundo prædicabili, eo, quo explicuimus, modo in calce libri præcedentis. Neque ideo datur processus infinitus in generibus, quia primum prædicabile genera omnia sub se continet, ut ibi dictum est. Si enim spectetur ut id *quo*, & vt forma constitutiva primi prædicabilis, est vnicæ omnino generis ratio, conueniens eodem modo omnibus formis genericis. Si autem spectetur ut id *quod*, seu secundum naturas, quæ denominantur genera; semper erit status in supremis generibus, ut in genere supremo substantiæ, quantitatis, &c. quæ dicuntur communiter non posse propriè definiri, eo quod non habeant genus supra se.

Quod si nolis vniuersale esse genus: aut non debere ponni loco generis in definitione prædicabilium: de quo disputabimus sectione sequenti. Respondendum est, illud omne quod definitur, debere esse speciem propriè, vel impropriè: hoc est, quod debeat constare dupli conceptu; altero, quo conueniat cum multis; altero, quo ab eis differat: siue aliquin conceptus communis habeat veram rationem generis, siue tantum ponatur loco generis. Hac enim ratione Aristoteles 4. Metaph. c. 2. & alibi ait ens, & vnum multas habere species: cum tamen ipse ex his authoribus censeat ens non esse verum genus, 3. Metaph. cap. 3.

6. Obijcies secundò. Aristoteles 7. Metaph. c. 13. ait nullum vniuersale significare hoc aliquid, sed quale. Et in categorijs, capite de substantia, ait secundas substantias, quæ sunt genera, & species, significare quale quid. Ergo genus non potest prædicari *in quid*, sed *in quale quid*: & ita non differt à differentia; atque adeò male definitur.

Respondeo primò cum Tataro, capite illo de substantia, secundas substantias, & vniuersalia significare quale quid, id est, aliquid pluribus commune, & determinabile; non autem aliquid in particulari. Vnde non sequitur quod non prædicitur *in quid*, quando sunt genera, vel species.

Respondeo secundò ex diuo Thoma 7. Metaph. lectione 13. in omni propositione subiectum habere rationem materiæ; & prædicatum rationem formæ, quatenus ei quodammodo adiacet, & in eo videtur recipi, & sustentari. Vnde sicut omnis forma dicitur qualitas materiæ, quia in illa recipitur, & quasi sustentatur: ita prædicatum dicitur qualitas subiecti. Et ideo recte ait Aristoteles primas substantias, hoc est, individua significare hoc ali quid, quia habent rationem materiæ, & subiecti respectu secundarum, quæ ideo dicuntur significare quale quid.

Solent alia obiecti contra definitionem generis, ut quod ens, atque etiam definitio, & anima praedicentur *in quid* de multis, specie diuersis; & tamen genera non censentur. Verum de ente alias disputationibus. De definitione vero, ceterisque complexis supra ostensum est, ea non esse in numero vniuersalium reponenda. Animam autem in communis sumptam nihil vetat esse genus ad vegetantem, sentientem, & intelligentem. Multi tamen hoc negant, existimantes genus esse naturam integrum, & completam: & ita ab eius ratione excludi ea, quae sunt aliorum partes, ut anima, quae est pars compositi Physici, & quae ideo non habet naturam, & essentiam propriam generis, sed tantum modum eius, ob quem praedicatur veluti genus de multis habentibus modum, & similitudinem speciei.

Verum sicut anima est pars compositi Physici, ita & genus est pars compositi Metaphysici: & ideo nulla ratio efficax potest probare animam non esse genus.

## S E C T I O N E II.

*Quid habeat locum generis in superiori definitione.*

**M**A G N A satis controvrsia est inter Philosophos quid teneat locum generis in definitione, quam pro genere assignat Porphyrius hoc modo, *genus est quod de multis, specie differentibus, praedicatur in questione quid est.* Multi enim, inter quos est Titelmanus, tractatu de Prædicabilibus, cap. 7. Sotus quæst. vñica de genere ad 5. & in caput de proprio, & alijs existimant in prædicta definitione, & alijs, quas tradit idem author de prædicabilibus, vniuersale habere locum generis, solumque illarum esse, genus est vniuersale, quod prædicatur de pluribus, specie differentibus. Species est vniuersale, quod prædicatur de pluribus, solo numero differentibus, & sic de alijs.

Alij vero, vt Cajetanus capite de genere: Toletus ibidem q. 3. post Auicennam c. 6. suæ Logicæ, & alios multos, aiunt prædicabile in communis habere locum generis, exprimique per illas voces, *quod prædicatur de multis.* Vnde sensus erit, genus est prædicabile de multis, specie differentibus, *in quid.*

Paulus venetus in caput de genere, Masius scđt. i. q. 5. complutenses disp. 5. q. 4. & alijs non pauci dicunt subiectum intentionis generis, seu naturam, quae genus denominatur, in communis sumptam, & quae prædicatur de multis, tenere locum generis, & exprimi per hæc verba definitionis, *quod dicitur de multis;* modò nimirum genus definiatur in con-

ctero : si autem definiatur in abstracto , hoc est , genereitas : tunc vniuersale erit verum genus illius ; & consequenter in eius definitione poni debet pro genere , hoc modo . *genereitas est notio vniuersalis illius , quod dicitur de multis , specie differentibus , in quid ,* ut ait Mafius. Aut *est vniuersalitas naturae perfectibilis , seu constitutibilis ,* ut aiunt complutenses . Quod simili modo intelligendum est in definitionibus aliorum prædicabilium . Quid verius sit , ex sequentibus innoteſcer . Itaque .

8. Dicendum est primo , probabile esse vniuersale in prædicta definitione tenere locum generis ; atque etiam prædicabile , in sensu exposito à duabus primis opinionibus . Ratio est , quia , dum aliquid habet verum genus , tale genus debet collocari in definitione eius essentiali : sed vniuersale est verum genus ad omnia prædicabilia , vt ostensum est in fine libri secundi : ergo debet collocari in definitione essentiali generis , tanquam genus illius .

Quòd si negetur esse verum genus ; est saltem prædicatum essentialie , & superius *in quid respectu* illorum , ut ibidem ostendimus : ergo ingredi debet definitionem essentialiem generis , & aliorum prædicabilium , tanquam genus , aut loco generis eorum , quia non potest assignari aliud prædicatum commune , in quo rectius , aut magis intrinsecè omnia conueniant , quam vniuersale . Et idem proportionaliter debet intelligi de prædicabili , quatenus vniuersalia spectantur in ratione prædicabilium , & eorum definitiones traduntur per proprietatem prædicabilitatis .

9. Obijcies primò : non debet idem bis in eadem definitione repeti ad vitandam nagationem : nec in ea poni definitum simul , & definitio definiti : sed si vniuersale in prædicta definitione esset genus , idem bis repeteretur ; & definitum simul cum sua definitione in ea poneretur : ergo dici non potest quòd vniuersale teneat in ea locum generis . Probatur minor : nam capite 5. de interpretatione vniuersale definitur , *quod de multis prædicari natum est*. Ergo si genus definiatur *vniuersale , quod prædicatur de multis &c.* idem bis repetitur , & definitum vna cum sua definitione ponitur .

Respondeo in primis , non esse opus in definitione generis ponere vniuersale : sed non ideo sequitur vniuersale non esse genus in illa ; quia , ut patet ex Aristotele 2. topic. c. 2. satis post initium , licitum est in onini definitione collocare pro parte qualibet definiti , saltem intrinseca , ipsiusmet partis definitionem : quomodo in definitione hominis , loco animalis possumus ponere substantiam corpoream , animatam , sensitivam : & ita factum est à Porphyrio , qui loco *vniuersalis* posuit in definitione generis , ipsius vniuersalis definitionem , nimirum *prædicari de multis* , ut restet nrauit Scotus q. 15. de vniuersalibus ad 4. quod idem est ac si diceretur *genus est vniuersale de specie differentibus in quid* . Vnde si ponatur vniuersale non debent poni illa verba , *quod prædicatur de multis* . Et si ponantur illa verba , non debet poni vniuersale .

Respondeo secundo, non esse inconueniens, etiam si ponatur vniuersale cum prædictis particulis, *quod prædicatur de multis*: quia auditio vniuersali, non statim intelligitur per quid explicari debeat genus, an per essentiam, quæ est *esse in multis*; an per proprietatem, quæ est *prædicari de multis*. Et ita ubi dictum est, *genus est vniuersale*, recte additur, *quod prædicatur de multis, specie differentibus, in quid*.

Deinde huiusmodi verba ponuntur ob expositionem, & clariorem explicationem, quasi diceretur *genus est vniuersale*, id est, *quod dicitur de multis*. Nam & particula *muliis* esset etiam alioquin superflua: tum quia *differentibus*, ponitur in plurali: tum quia differentia importat multitudinem. Et idem dici debet de prædicabili, si poneretur loco generis.

Obijcies secundò. Porphyrius explicans definitionem generis, ait individuum excludi per hæc verba *quod prædicatur de pluribus*. Si autem vniuersale esset genus, hoc esset fallsum: quia cum individuum non sit vniuersale, iam esset exclusum per particulam, *vniuersale*. Vnde superfluum esset illud excludere per frequentes particulas.

Respondeo: solutionem patere ex prima præcedenti: quia vniuersale tenet semper locum generis, sive per se, sive per suam definitionem. Quod si, ut in secunda solutione habetur, ponatur, tum vniuersale, tum prædicari de pluribus: individuum excludetur per utrumque: & hoc non est inconueniens, quia utrumque non ponitur eo fine ut excludatur individuum, sed ob clariorem explicatum.

10. Dicendum est secundò: probabile etiam esse, in prædicta definitione, id quod ponitur loco generis, & significatur per relativum *quod*, esse ipsam naturam, quæ dicitur de multis, & est subiectum notionis generis, seu vniuersalitatis genericæ. Sive enim detur vniuersale à parte rei, sive non: semper vniuersalitas intelligitur ad modum formæ accidentalis, vel realis, vel rationis, sufficientis naturam, quæ vniuersalis, aut genus denominatur, ut supra dictum est.

Fundamentum huius sententiae petitur ex Aristotele 7. Metaph. c. 5. vbi dicit accidentia debere definiri per suum subiectum. Et capite 1. eiusdem libri ait substantiam esse primum omnium, ratione, & notitiâ, & tempore: ratione, quia necesse est in vniuersaliusque ratione, substantiæ rationem esse, &c. supra quæ D. Thomas sic ferè loquitur lect. 4. litera F. substantia, quæ habet quidditatem absolutam, non dependet in sua quidditate ex alio, itaut oporteat exteriorem essentiam in eius definitione ponit. Accidentia verò non habent esse nisi per hoc quod insunt subiecto: & ideo eorum quidditas est dependens à subiecto: & per hoc oportet quod subiectum in definitione accidentis ponatur; quandoque quidem in recto; quandoque verò in obliquo: in recto quidem quando accidens significatur in concretione ad subiectum, ut cum dico *simus est nasus caninus* &c. idem expressius explicat lect. 6. de sensu, & sensibili. Et his verbis Est autem considerandum, quod semper oportet subiectum ponere in de-

finitione accidentis, ut dicitur 7. Metaph. differenter tamen. Nam si accidentis definiatur in abstracto subiectum ponitur loco differentie: id autem, quod pertinet ad genus accidentis, ponitur loco generis: Ut cum dicitur similitas est curuitas nasi. Cum autem accidentis definitur in concreto, e conuerso subiectum ponitur loco generis, sicut cum dicitur similitus est nasus curuus. Idem habet Opusc. 36. cap. 1. Opusc. 42. cap. 19. si tamen eius sit. & 1. 2. q. 53. art. 2. ad 3. & alibi.

Hæc omnia adduxi, quia totam explicationem, & probationem hujus sententiae conficiunt. Ratio autem cur hoc ita fieri debeat, petitur ex modo significandi concretorum, quæ supponunt pro subiectis, vt *album* pro re habente albedinem: & ideo in definitione concreti debet ponni subiectum, vt per se stans, & subiacens formæ significatæ; & consequenter tanquam genus, quia genus in quauis definitione significatur vt per se stans, & *in quid* differentia verò *in quale*, & tanquam illi adiacens: & ita ostenditur accidentia non habere substantiam, nisi ex subiecto.

ii. At verò dum accidentis exprimitur in abstracto, licet in eius definitione ponatur subiectum; non ponitur tamen ut prima pars definitionis, hoc est ut genus; sed ut differentia: quia tunc accidentis est aptum, ut illi assignetur verum genus intra proprium prædicamentum: subiectum autem ponitur tanquam secunda pars definitionis, seu tanquam differentia. Et licet in utroque definitionis genere importetur dependentia, & habitudo accidentis ad subiectum; importatur tamen diuerso modo: propter quod idem nunc habet rationem generis, nunc differentiæ. Nam dum accidentis exprimitur in abstracto, importat habitudinem ad subiectum, quæ incipit ab accidente, & terminatur ad subiectum: nam albedo dicitur, quæ aliquid est album. Et ideo subiectum ponitur ut secunda pars definitionis, seu ut differentia. Dum verò accidentis exprimitur in concreto, incipit habitudo à subiecto, & terminatur ad accidentis. Nam album dicitur quod habet albedinem: & ita subiectum ponitur ut prima pars definitionis, hoc est ut genus. Ita diuus Thomas loco citato primæ secundæ.

Ex his igitur patet in prædicta generis definitione, si spectetur in concreto, naturam, seu subiectum tenere locum generis, significarique per relatum *quod*, etiam si generitas dicatur accidentis rationis, seu secunda intentio: quia natura entium, seu accidentium rationis inuestiganda est, & intelligenda per proportionem ad naturam accidentium realium. Quod idem intelligi debet, tum de ipso vniuersali: tum de omnibus prædicabilibus.

12. Objicies primò: genus debet esse natura vniuoca, ut saepe dictum est: sed subiectum, seu natura, quæ denominatur genus, non potest esse vniuoca, quia reperiuntur genera tum in entibus rationis, tum in entibus realibus: enti verò reali, & enti rationis nihil est vniuocum: ergo subiectum, seu natura, quæ denominatur genus in superiori definitione, non potest subire vices generis.

Respondeo

Répondeo aliud esse genus , aliud tenere locum generis in aliqua definitione. Illud enim , quod est proprium , & verum genus , debet esse vniuocum respectu eorum , quorum est genus : id autem , quod tenet locum generis , non est opus esse naturam vniuocam ; sed sufficit quod sit conceptus communis essentialis , in quo multa , specie diuersa , conueniant. Quomodo Arist. 2. de anima , cap. 1. definiuit animam , *actum corporis organici* , *potentiam vitam habentis*. Vbi *actus* , qui tenet locum generis , non censetur communiter natura vniuoca , sed analogia.

Deinde potest dici relativum illud *quod* , positum in definitione loco generis , supponere indeterminatè , & vagè pro quauis natura , quæ potest esse genus ; & ideo non est opus , vt detur aliquis conceptus vniuocè communis omnibus naturis , simul sumptis , quæ denominatione generis affici possunt.

13. Obiecties secundò : non potest eadem res esse genus , & differentia vnius , eiusdemque definiti , quia definitum non potest in eadem re conuenire cum alijs , & differre ab illis. Sed si prædictus modus definiendi accidentia , obseruaretur , hoc contingere. Nam in ista definitione , *sinus est natus curius* : natus tenet locum generis : & in ista , *sinitas est nasi curuitas* : natus haber locum differentiæ. Item in illa , curuitas habet locum differentiæ : & in ista locum generis. Similiter in ista definitione , *genus est natura perfectibilis vniuersalis*. *Vniuersale* ponitur pro differentia , per quam ratio , & formalitas generis distinguitur à ceteris , quæ in eadem natura perfectibili reperiri possunt , vt est subiectibilitas : & tamen habet rationem generis in ista , *genus , seu genericitas est vniuersalitas naturæ perfectibilis*. Hoc autem magnum videtur inconveniens.

Respondeo vnam , eandemque rem posse esse genus , & differentiam eiusdem definiti , sibz diuersa ratione ; itaut in yna definitione sit simpliciter , & propriè differentia ; in alia verò sit genus impropriè , & secundum quid tantum : aut contrà. Quod inter alias rectè explicant complutenses. Propter diuersum enim modum significandi abstracti , & concreti fit , vt quando accidens definitur in abstracto , attendatur conuenientia eius cum rebus eiusdem generis , cum quibus comparatur secundum lineam , & diuisionem essentialē : & ita potest in definitione ponit illud quod est propriè genus , & pro differentia id , quod est propriè differentia intra ilud genus.

Verbi gratiâ , quando sinitas definitur *nasi curuitas* , attenditur conuenientia similitatis in curuitate cum alijs figuris curuis , seu eiusdem generis , vt cum gibbositate , crispitudine. Differentia verò illius sumitur ex subiecto , quatenus ipsa est curuitas nasi , & aliæ capularum , & capillorum. Subiectum autem ponitur in obliquo , vt ostendatur ipsum non esse propriam illius differentiam ; sed id , per ordinem ad quod constituitur in suo esse , & ratione specifica. Vnde differentia illa , significata per

subiectum, est intra idem prædicamentum cum suo genere, scilicet curitate: & ita fit perfecta, & stricta definitio ex utroque. Idemque patet dum definitur generitas: comparatur enim cum specieitate, differentiaitate &c. quæ sunt formæ eiusdem generis, & ita pro genere ponitur *vniuersalitas*, & pro differentia, *natura perfectibilis*, per ordinem ad quam specificatur, & à cœteris distinguitur.

At verò quando accidens definitur in concreto, fit comparatio eius cum rebus diuersi generis, cum quibus in hoc solum conuenit, quod eidem subiecto insit. Quo fit ut pro genere ponatur ipsum subiectum; pro differentia verò id quod pertinet ad proprium genus. Nam quando simum definitur *nasus curuus*, similitas conuenit cum rectitudine, aut aquilinitate, quæ sunt figuræ diuersi generis, in hoc, quod eidem subiecto, scilicet naso insit: distinguitur autem per curitatem, quæ est differentia pertinens ad proprium genus figuræ suæ. Quo fit ut hæc definitio non sit stricta, & perfecta, quia in ea ponuntur res diuersorum prædicamentorum in recto. Nam curitas pertinet ad prædicamentum qualitatis, & natus ad prædicamentum substantiæ.

Vnde tali definitioni non conueniunt proprietates, quæ solent assignari proprijs definitionibus, ut quod definitio, & qualibet eius pars prædicitur essentialiter de definito i. post. cap. 4. quod definitio, & definitum sint idem, &c. Et ex his patet, valde probabilem esse hanc sententiam: methodum quoque definiendi accidentia in concreto significata, esse legitimam.

15. Verum; si res adhuc diligenter examinetur, videbitur in primis dicendum, quando accidentia in concreto significantur, & definiri dicuntur: sæpè non tam definiri accidentia, quæ subiectum accidentium, quatenus accidentibus afficitur, & informatur; ut dum simum definitur *nasus curuus*, ibi definiri nason, non in se, quatenus est talis substantia, talis pars corporis, &c. sed quatenus afficitur tali figuræ. Nam nec sola nasi substantia, nec sola curvitas, in se spectata, faciunt simum, sed utrumque simul. Item dum definitur musicus, *cantandi peritus*, non definiri musicam, sed hominem, ut arte musicæ informatum.

Dixi, sæpè: quia quando subiectum accidentis nihil conferat ad rationem definitionis; seu quando ratio, & significatum definitionis, totum conuenit per se accidenti; tunc definitur accidens, & connotatur tantum subiectum: ut dum definitur album, *disgregatum visus*, patet quod tota ratio disgregandi conuenit albedini per se, ita ut subiectum ad hoc nihil per se conferat. At quando definitur musicus, *cantandi peritus*, constat quod non solum musica, sed & homo ad canticum per se concurredit; & ideo homo, ut musicæ informatus, est id, quod definitur. Et ita in similibus.

Præterea: quanvis prædicta sententia vera esset, posset semper saluari, ponendo *vniuersale* pro genere: quia vniuersale dicit vniuersalitatem, &

id, in quo est vniuersalitas, hoc est, subiectum, seu naturam vniuersalitatem affectam. Et hoc conuenientius videtur, quia natura indeterminata, & vagè significata per nomen *natura*, determinatur per *vniuersale*, ad esse proprium generis, & cuiusvis prædicabilis, fitque hoc modo genus proximum. Vnde sicut rectius definitur animal per *vniens*, quam per *corpus*, aut *substantiam*, quæ sunt genera remotiora: ita genus rectius definitur per *vniuersale*, tanquam per genus proximum, quam per *naturam*, in communi sumptam. Neque obstat, quod vniuersale dicat duo; quia etiam viuens dicit *corpus*, & *substantiam*: & sicut hæc sibi subordinantur; ita & *natura*, & vniuersalitas; siue sit secunda intentio naturæ, siue realis proprietas, ut dicetur sectione sequenti.

16. Tertiò dici potest, quando Aristoteles ait accidentia definiri per subiectum, ipsum loqui non de omnibus, sed de accidentibus copulatis, id est, quæ sibi determinant certa subiecta, sine quibus definiti nequeunt, ut notat Scotus q. 15. prædicabilium ad primum; ut est similitas, risibilitas, &c. At vniuersalitas nec in communi, nec in particulari determinat sibi subiectum, aut naturam alicuius generis; sed vnuocè inest, aut applicatur omnibus. Vel loquitur de accidentibus, quæ habent suum esse à subiecto; & fundamentum allata sententia hoc videtur supponere. At vniuersalitas, genereitas, &c. sunt intentiones rationis secundum hunc opinionis authores, quæ suum esse accipiunt ab intellectu.

Denique istud addiderim ex Scoto in 4. d. 12. q. 1. à numero 18. ut ostendam, quæ veritas sit in fundamento prædictæ sententiae: in definitione accidentis debere ponи subiectum, non propter dependentiam eius à subiecto, seu substantia, quia Deus potius poneretur in definitione cuiuscunque creati, quam substantia in definitione accidentis: sed quia nulla forma potest habere conceptum, quietantem intellectum, nisi coïntelligatur illud, cuius est forma. Vnde licet accidentis, v. g. albedo, possit definiri per essentialia, & intelligi quantum ad illud omne, quod per se primo modo includitur in ratione eius, nihil intelligendo de respectu, aut dependentia eius ad substantiam: non potest tamen perfecta definitione, & quietante intellectum, explicari, nisi intelligatur terminus illius respectus, & dependentia. Quod etiam in forma substantiali verum est: & ideo Aristoteles 2. de anima, c. 1. definit animam per ordinem ad corpus, aut compositum, dicens esse *aetum corporis organici*.

Vnde infertur respectum, etiam aptitudinalem, accidentis ad substantiam, non pertinere intrinsecè ad quidditatem eius, quia tunc nullum esset accidentis absolutum. Quare licet accidentis semper habeat aptitudinem inhærendi substantiae: illa tamen aptitudo non est aliquid ab ipso distinctum, nec respectus per se inclusus in ratione eius quidditativa. Nihil enim aliud dicit, nisi quod naturæ accidentis congruit inesse substantia: ideo autem congruit, quia hæc natura est hæc natura. Ita probabiliter Scotus. Sed de hoc in Metaphysica.

## SECTIO III.

*Quid sit id quod definitur in predicta definitione?*

17. **C**V M genus sit concretum, seu connotatiuum, importat consequenter generetatem, & naturam, in qua est generetas. Vnde dubium esse potest quid definiatur in definitione generis, dum dicitur *id, quod prædicatur de multis, specie differentibus.* An nimurum definiatur natura sola; an generetas sola; an aggregatum ex utroque; an natura quatenus generetate affecta; an denique generetas in ordine ad naturam denominatam.

Et quidem naturam solam, in se spectatam, secundum propriam entitatem, & essentiam non definiri, videtur per se notum. Neque enim ibi definiatur animal, in se consideratum, quatenus est principium sciendi; sed ut est prædicabile de multis; & consequenter ut intelligitur vniuersalitate, & generetate affectum. Adde quod Logica non est considerare naturas reales, secundum se absolute spectatas, sed prout afficiuntur secundis intentionibus prædicabilitatis, subiectibilitatis, &c. Ut initio libri 2. explicatum est.

Quod etiam generetas sola, & in abstracto spectata, non definiatur, patet: nam generetas non prædicatur de multis specie diuersis, sed solo numero, ut ostendimus in fine libri præcedentis. Deinde ista proposicio non est vera *generetas est genus*: sicut nec ista, *albedo est album.* Cum igitur concretum non prædicetur de suo abstracto, definitio concreti, scilicet generis, non poterit esse definitio abstracti, nimurum generetatis. & ita generetas sola non erit definitum præcedentis definitionis.

Solum ergo controversia est de genere, tribus posterioribus modis usurpato, & totidem sunt de hac difficultate sententiae, quæ cum omnes probabiles sint, earum rationes afferemus, & soluemus, ut possint omnes sustineri.

Prima est multorum Thomistarum, Caietani q. 7. de ente & essentia, aliquantulum ante finem, & cap. de genere; Sotibidem, q. vnica; Massij lect. i. q. 3. complutensium disput. 5. q. 3. Tatareti etiam, & aliorum: scilicet definitum in illa definitione esse secundam intentionem, ut connotat naturam; seu secundam intentionem, nempe generetatem, in concreto expressam, & significatam: itaut entitas ipsa secundæ intentionis sit res definita: natura verò connotetur ex modo definiendi, & ex modo significandi concretorum accidentium, quæ significant, inquiunt, solam formam, & connotant, seu supponunt pro subiecto.

Prima huius opinionis ratio est, quia in predicta definitione definitur

aliquid commune entibus realibus, & rationis, quia in utrisque reperiuntur genera: nihil autem potest eis inesse commune, nisi secunda intentio: ergo sola secunda intentio est res quae definitur.

Sed haec ratio infirma est: tum quia facile est negare ens rationis ad Logicam per se pertinere, ut diximus lib. i. q. 4. & ideo in definitionibus, ad Logicam pertinentibus, qualis est definitio generis, non videtur curandum de ente rationis. Tum quia, ut dictum est si chione praecedenti, numero 8. ante secundam obiectionem, & fatentur huius opinionis autores, relativum *quod*, positum in illa definitione loco generis, supponere potest vagè, & indeterminate pro quauis natura, quae potest esse genus: sic autem non est opus dari conceptum, viuocè communem omnibus naturis, simul sumptis, quæ genus dici solent. Tum tertio, quia negari potest definiri aliquid commune entibus realibus, & rationis: quamvis id quod definitur, definitur sub aliqua forma, ne in parte generitate, conuenienti entibus realibus, & rationis, ratione eius formæ haec possint unica definitione comprehendendi; licet alioquin in se materialiter spectata non conueniant.

Secunda ratio. Definitiones generis, & aliorum praedicabilium suarum propriarum Logicæ: ergo in illis solum definitur illud, quod per se ad Logicam pertinet. Hoc autem est secunda intentio; non vero res, & natura intentionibus subiecta, quia haec ad Physicam, & Metaphysicam spectat.

Respondetur, ad Logicum pertinere, considerare, & definire res, & naturas, ut stant sub secundis intentionibus; putat animal, ut est genus, ut est praedicabile, subiectibile, &c. ad Physicum autem secundum prædicata realia, independenter ab intellectu. Alioquin enim, ut recte ait Iauellus c. de genere, Aristoteles non fecisset in Logica tractatum de prædicamentis, quæ sunt entia realia; nisi Logica ageret de naturis realibus, sub tali consideratione.

19. Tertia ratio. Si natura; non vero secunda intentio, esset principale definitum; propria definitio conueniret accidentaliter suo definito. Sed hoc est absurdum, quia nihil est magis esse entiale rei, quam propria definitio: vnde Arist. i. post c. 4. ait definitionem, eiusque partes prædicari de definito in primo modo dicendi per se. Ergo &c. probatur maior, quia ista prædicatio *animal est genus*, est accidentalis; ergo & ista *animal prædicatur de multis*, specie differentibus, cum sequatur ex prima: in ea autem prædicatur definitio generis de natura, scilicet animalis: ergo si natura esset definitum, non vero generitas, definitio conueniret accidentaliter suo definito.

Respondeo negando maiorem. Ad probationem dico hanc prædicationem, & similes, *animal est uniuersale*, *animal est genus*, esse essentiales fundamentaliter, & radicaliter, quia natura animalis ex se ab intrinseco apta est ut possit inesse, & prædicari de multis, & consequenter ut sit uniuersalis. Vnde ista definitio, *quid prædicatur de multis species*

*differentibus*, sumpta prædicabilitate radicaliter, conuenit generi essentialiter. De quo vide quæst. 4. lib. 2. sectione 3. Quod si genereitas dicatur dependere ab intellectu, conueniet quidem accidentaliter naturæ substrata vt patet: sed non ideo definitio illa conueniet accidentaliter naturæ, vt affectæ genereitate reduplicatiuè: quia sicut ista prædicatio est essentialis, *superficies alba est alba*, eoquòd subiectum includit prædicatum, vt recte ait Scotus in 2. d. 3. q. 6. num. 10. nec non & ista *corpus*. *ut album*, *est coloratum*, *est visus disgregatum*, &c. quamvis albedo conueniat accidentaliter corpori, seu subiecto suo: ita quoque ista est essentialis *animal in quantum genus est univale*, *est prædicabile de multis*, *specie differentibus*, *in quid*, licet genereitas accidentaliter conueniat animali.

Nec valet quod vrgent complutenses ante numerum 43. citatæ q. 3. quòd nimurum prædicatum appelleat supra ipsam formam, seu supra genereitatem: ac proinde ipsa sit definitum, non verò natura. Non valet, inquam, quia prædicatum in huiusmodi reduplicationibus non semper appellat solam formam, sed etiam subiectum formæ, quando vtrumque necessarium est ad verificationem prædicationis, vt adnotatum est sectione præcedenti, numero 9. patet autem hic, quod sola intentio non prædicatur de multis, specie differentibus, nec sola natura in se spectata; bene autem natura, vt affecta genereitate. Igitur natura, *ut sic spectata*, est definitum superioris definitionis.

20. Secunda sententia est Iauelli capite de genere, Raphaëlis de Auerfa q. 8. Logicæ, sect. 2. & aliorum ex opposito afferentium, naturam vt genereitate affectam, esse id, quod definitur; ita *ut in recto*, & principaliiter definiatur natura; in obliquo verò, & de connotato ipsa secunda intentione, seu genereitas.

Probatur primò ex Porphyrio, capite illo de genere; & Aristotele 1. Topic. c. 4. qui post assignatam generis definitionem, statim pro exemplo afferunt animal, quod dicitur *in quid* de homine, &c. ergo sentiunt naturam ipsam, vt genereitati substratam, & consequenter in recto, definiiri: non verò ipsam secundam intentionem genereitatis.

Respondeo, quòd, licet definitio conueniat primò, & formaliter secundæ intentioni, tanquam formæ significatæ; tamen ab Aristotele, & Porphyrio ponitur exemplum de subiecto, & natura, vt ostendatur definitionem non exerceri in forma, sed in subiecto illius. Quod est dicere definitionem conuenire formis in actu signato; earum verò subiectis in actu exercito: & ita secundam intentionem generis, seu genereitatem, esse, vel designare rationem, & causam formalem, ob quam natura ineſt, & prædicatur de multis, specie differentibus; ipsam autem non exercere per se proximè talem actum existendi, & prædicandi, sed per naturam substratam, seu per subiectum suum, quod defacto in illis est, *ut animal in equo, leone, homine. Pro quo.*

21. Aduerte ex Scoto in quæstionibus super Porphyrium, Tatareto, & alijs duplicem esse prædicationem pro re præsenti, icilicet signatam, & exercitam. Exercita fit per verbum *est*, vt *homo est animal*. Signata est, quæ fit mediantibus verbis, *dicitur*, *predicatur*, *affirmatur*, &c. vt cùm dicitur, *genus prædicatur de specie*. Prædicatio autem signata in secundis intentionibus, non potest in eis exerceri, nisi quando superius dicitur de inferiori, aut passio de subiecto: vt hæc, *genus prædicatur de specie*, non exerceatur per istam, *species est genus*: benè autem ista, *genus prædicatur de hoc genere*, exerceatur per istam, *hoc genus est genus*.

Itaque prædicatio signata in secundis intentionibus disparatis, exerceatur in primis, vt hæc *genus prædicatur de specie*, exerceatur per istam, *homo est animal*. Cuius ratio est, quia *prædicari*, est terminus secundæ intentionis, & ideo conuenit per se secundis intentionibus; per accidens verò primis: at *esse*, conuenit per se primis, & exerceat id in eis, quod *prædicari*, signat, importat in secundis.

22. Probatur secundò eadem sententia ex ipsa generis definitione, secundum quam id, quod est, & dicitur genus, debet esse pars essentialis eorum, quibus inest, quia prædicatur *in quid* de illis: & præterea illa, quibus inest debent specie inter se differre. At illæ duæ conditiones non possunt cadere in secundam intentionem generis, sed in naturam substratum: ergo, &c. probatur minor quoad priam conditionem, quia secunda intentio generis non dicitur essentialiter, & *in quid* de speciebus generi subiectis, alioquin dum diceretur, *homo est animal*, sensus esset, *homo est genus*, quod est manifestè falso. Quoad secundam etiam conditionem patet, quia genus sumptum pro secunda intentione, est species specialissima, seu infima vniuersalis, vt diximus in fine libri præcedentis: ergo non potest prædicari de specie differentibus; benè autem natura, generitate affecta: ergo natura, non vero secunda intentio, est definitum in illa definitione.

Respondeo distinguendo minorem: illæ duæ conditio[n]es non possunt cadere in secundam intentionem in actu, & prædicatione exercita concedo; in actu, & prædicatione signata, nego. Forma quippe generis, seu genericitas inest vt pars essentialis, & prædicatur de multis, specie diuerfis, non per se immediate, & vt *quod*: sed vt *quo*, mediate, & per naturam, substratum, cui est ratio, seu id *quo*, ipsa inest, & prædicatur in actu exercito, vt patet ex præcedenti solutione.

23. Probatur tertio. Definitio prædicatur in recto de definito, vt animal rationale de homine: & consequenter illi conuenit, vt *quod*, & non tantum vt *quo*: at definitio generis non potest conuenire secundæ intentioni vt *quod*: ergo secunda intentio non est definitum in tali definitione sed ipsa natura. Probatur minor. Nam dum dicitur, *genus est, quod prædicatur de multis, specie differentibus*: relatum illud *quod*, refert & significat naturam, seu subiectum intentionis generis, quod vltro fa-

tentur authores primæ sententiæ, vt visum est sectione præcedenti. Ergo natura est id, quod prædicatur; ergo est id, cui, vt *quod*, conuenit prædicari: atque adeò ei, vt *quod*, conuenit definitio, & consequenter est id, quod definitur non vero secunda intentione, cui non conuenit, vt *quod*, prædicari de multis, specie differentibus.

Respondeo concedendo maiorem de definitionibus proprijs, & perfectis; sed nego hoc esse necessarium in definitionibus concretorum accidentalium. Cuius ratio est, quia in definitionibus strictis, & perfectis explicatur tantum natura definiti, & nihil aliud connotatur; ideo quod nomen definiti supponit pro re eadem, quam significat: at in definitionibus imperfectis, vt sunt definitiones concretorum accidentalium, nomen concretum significat rem unam, & supponit pro alia: vt album significat albedinem, & supponit pro subiecto albedinis. Id autem, quod propriè est definitum in aliqua definitione, seu id, quod explicatur per definitionem, est res significata per nomen definiti; non verò res, pro qua nomen supponit: & ita in imperfectis definitionibus, tota definitio non potest conuenire vt *quod*, rei definitæ, sed tantum vt *quo*: natura verò substratæ, vt *quod*, quia in ea exercetur effectus formalis rei, seu formæ definitæ: unde albedo non dicitur disgregare visum, sed album: & actiones dicuntur esse suppositorum: & ideo tales effectus debent exerceri in subiectis earum, vt in principio *quod*.

Et hoc eruditè expressit Caietanus q. 7. citatà, de ente, & essentia; sub finem, dicens, quod sicut res definita per disgregare visum, est albedo, & non nix: res autem denominata disgregativa visus, est nix, & non albedo: ita res definita per prædicari de speciebus, est relatio generica: res autem denominata prædicabilis de speciebus, est natura, quæ subest illi relationi, puta animal. Ita quod res definita per prædicari, &c. est genus formaliter, non materialiter: res autem denominata prædicabilis, est genus materialiter, non formaliter. Et idem dicendum est de definitionibus aliorum prædicabilium.

24. Tertia denique sententia est quorundam recentiorum, hic vtrumque ex æquo definiri directè; aggregatum scilicet ex natura, & secunda intentione, seu generitate: itaut natura sit definitum *quod*; genereitas verò sit veluti forma, & ratio *sub qua* natura definitur, quæ vocari solet definitum *quo*: eo modo, quo ex albedine, & subiecto albo fit unum objectum totale visus: itaut id, quod videtur, sit corpus, verbi gratiâ, partes; ratio autem *sub qua* videtur, sit albedo.

Probatur autem primò hæc sententia dicto Aucennæ, communiter recepto, quod Logica tractat de secundis intentionibus adiunctis primis: & consequenter de composito ex utrisque: & ita hoc compositum erit definitum in definitione generis.

Respondeo, vt iam explicatum est in proœmio libri secundi, Logicam scilicet considerare principaliter secundas intentiones; res autem subiectas, tantum

tantum materialiter, denominatiuè, & vt terminantes respectum secundarum intentionum: non vero vtrumque æqualiter, & principaliter.

Probatur secundò, quia definitio tradita conuenit per se aggregato, & composito ex natura, & secunda intentione generetatis. Nam generetati per se conuenit esse id, quo natura prædicatur; naturæ vero generetate affectæ, per se etiam conuenit esse id, quod prædicatur: & sic ex utroque fit unum integrum prædicatum, atque adeo integrum definitum: nam unum sine alio non potest de multis specie diuersis prædicari.

Respondeo negando maiorem. Prædicari enim non conuenit per se aggregato ex natura, & secunda intentione: sed soli secundæ intentioni conuenit per se prædicari vt *quo*; naturæ vero vt *quod*, non per se, sed accidentaliter, & per secundam intentionem: licet prædicatio non exercetur in secunda intentione, sed in natura, vt explicatum est numero 13. ad hoc autem vt *prædicari* conueniret per se aggregato, deberet conuenire per se utriusque parti. Imò contra hanc sententiam aliquid potest obijci non leue.

25. Dices igitur, aggregatum, seu compositum ex natura, & secunda intentione est ens per accidens, constans ex rebus diuersorum generum, scilicet ex ente reali, & rationis; aut ex substantia, & accidente: ergo non potest unicā definitione definiri. Sed ad hoc.

Responderi potest primò negando antecedens. Quamuis enim natura realis, & secunda intentio sint omnino diuersa, si in se Physicè spectentur: tamen Logicè habent rationem unius entis per se, propter ordinem, quem habent ad inuicem, quatenus secunda intentio ordinatur ad naturam per intellectum ad constituendum unum prædicabile de multis: & ita unum se habet per modum potentiarum, & alterum per modum actus, seu formæ sufficientis potentiam.

Responderi potest secundò, negando consequentiam. Quidquid enim habet esse, eo modo, quo illud habet, est definibile. Vnde nec sola natura definitur, quia sine generetate non est una in multis; nec sola generetas, quia seclusa natura non est in multis, specie diuersis. Vtrumque ergo definitur, non definitione, explicante quidditatem utriusque partis secundum se, quia sic non potest definiri ens per accidens, vt patet; sed definitione, explicante partes secundum rationem aliquam, in qua conueniunt, & unum efficiunt, quomodo definitur dominus, res publica, exercitus.

## SECTIO IV.

*An, & quomodo genus contineat species,  
& differentias.*

26. **H**ÆC quæstio maximè procedit in sententia illa, quæ negat vniuersale à parte rei; & eius sensus est an conceptus generis in se includat, contineatue species, & differentias; ita vt intellectus concipiendo genus vt vniuersale est, & prædicabile, concipere debeat species eius, & differentias, specierum constitutias. Pro cuius intelligentia.

Notandum est primò, vnum posse dici continere aliud duobus modis, scilicet potestate, & actu. Potestate quidem, seu in potentia, vt materia prima continet omnes formas, & cera omnes figuræ, quia potest illas successiue recipere. Actu verò, si de facto ijs informetur, vt materia ligni incensi continet actu formam ignis.

Notandum est secundò, aliquid posse aliud continere actu dupliciter: primò actu expresso, quando clarè, & distinctè illud continet; vt definitio hominis, quâ dicitur *animal rationale*, continet actu expresso, & distincto animalitatem, & rationalitatem; & quando quis essentiam hominis apprehendit, distinctè cognoscit, vtrumque esse in homine. Sedò vero actu confuso, & non expresso, quando non cognoscitur distinctè, & clarè id, quod continetur; sed tantum obscure, & confusè: vt dum quis intuetur aceruum tritici, videt grana, exterius superfusa, sed non videt distinctè hoc, vel illud in particulari. Et dum quis audit hoc nomen *homo*, concipit illud quod habet humanitatem, & consequenter omnes homines; sed non clarè, & distinctè Petrum, vel Paulum, aut aliquem alium in particulari. His prænotatis.

27. Dicendum est primò, genus non continere species, & differentias actu expresso, & distincto. Patet responsio in primis de speciebus: quando enim audis *animal*, non intelligis distinctè, & in particulari hominem, vel brutum; sed tantum id, quod habet animalitatem, quocunque illud sit.

Patet item de differentijs. Si enim animal v. g. includeret actu expresso rationale, & irrationale, includeret expressè diuersa, & opposita; & sic conceptus eius non esset vniuersus, quia ad vniuocum requiritur sub eodem nomine ratio perfectè vna.

Præterea: definiendo hominem, sufficeret dicere ipsum esse animal: quæ definitio æque conueniret leoni, boui; & insuper dicendo, *homo*

*est animal*, sensus esset ipsum esse hominem, & brutum; rationale, & irrationale.

Tertiò. Conceptus generis, & conceptus differentiæ sunt essentialiter diuersi, alioquin homo non differret essentialiter ab equo per rationale: ergo unus non potest formaliter, & distinctè aliud includere. Siue enim gradus generis distinguatur ex natura rei à gradu differentiæ, siue non: quilibet tamen habet rationem partis respectu speciei, unus excludit aliud, atque diuerso modo intelligitur: vt animal per ordinem ad operationes sensitivas, & rationale per ordinem ad discursum, vt explicatum est lib. 2. q. 2. sectione 2. & 3. vnde Arist. 4. Topic. cap. vltimo, parùm à fine, ait differentiam semper significare qualitatem generis; genus verò non significare qualitatem differentiæ, & ita utrumque esse abinuicem distinguendum.

28. Dicendum est secundò, genus continere species, & differentias actu confuso, obscuro, & indistincto. Est contra permultos, existimantes ipsum eas continere tantum in potentia, sicut materia continet omnes formas, non autem actu: contra quos.

Ptobatur primò ex Aristotele i. Phys. cap. i. textu 4. vbi ait. *Vniuersale verò totum quoddam est; multa enim comprehendit ut partes.* Et lib. 4. c. 3. textu 23. ait, *homo continetur in animali, & omnino species in genere.* Et 7. Metaph. c. 4. ait multas in genere latere æquivalentes, hoc est, differentias, sic vocatas, quia sunt inæqualis perfectionis. Ex quibus, & similibus locis patet species, & differentias includi actu in genere; non verò tantum in potentia: qui enim in cubiculo latet, est actu in eo, licet non videatur clare.

Probatur secundò. Quia, vt habetur ex sancto Thoma cap. 3. de ente, & essentia, 7. Metap. lect. 12. & communi sententia. Si animal v. g. non est totum, quod est homo, sed tantum pars eius, non poterit prædicari de eo, coquid nulla pars integralis potest prædicari de toto suo. Ergo dum fit ista propositio, *homo est animal*, animal continet id totum, quod homo, & consequenter continet rationale, quod est differentia animalis, non solum in potentia, ergo actu confuso. Probatur hoc vltimum, quia quod est homo tantum in potentia, non potest de eo actu, & in recto prædicari, nisi falso, vt notum est: alioquin corpus organicum, seu embryo, qui proximâ potentia continet animam rationalem, posset de homine in recto prædicari.

27. Probatur tertio: quia quodlibet vniuersale debet abstrahi abstractione totali, & nomine concreto exprimi, vt explicatum est initio q. 5. libri præcedentis, ad hoc vt possit de inferioribus prædicari. Nomen autem concrenum, v. g. *animal*, duo dicit, nempe animalitatem, & id, in quo est animalitas: at id, in quo est animalitas, sunt species animalis, vt homo, equus, leo: igitur species includuntur actu in genere, quia animal significat actu id quod habet animalitatem; intellectus autem appre-

bendit illud, quod per nomen significatur; ergo apprehendendo animal ut genus, & vt vniuersale, includit in suo conceptu species animalis actu, vt hominem, & brutum, non quidem quatenus sunt homo, & brutum formaliter, & secundum propriam rationem, in qua differunt, quia sic non fieret abstractio; sed secundum communem quandam rationem, & conuenientiam; quatenus nimirum sunt id, quod habet animalitatem.

Probatur quartò: quia ex multis aduersarijs vniuersale fit per cognitionem comparativam, per quam intellectus comparat naturam communem abstractam, cum ijs, à quibus eam abstraxit. Et reuerā intellectus non cognoscit naturam communem sub ratione generis, vel speciei, &c. nisi dum eam comparat cum inferioribus, vt diximus eadē q. 5. numero 13. ergo ipsi non sibi videntur constare, dum negant genus includere actu species in suo conceptu. Quomodo enim posset concipi conuenientia naturæ abstractæ cum inferioribus, nisi ipsa quoque apprehenderentur, saltem confusè, vt habentia, & participantia naturam illam? Neque contra hoc potest aliquid obijci, quod sit magni momenti: & melius adhuc ex sequenti sectione manifestabitur.

## SECTIO V.

*Quomodo genus prædicetur de suis speciebus.*

30. **V**AERITVR in hac sectione quo modo genus prædicetur de suis speciebus; vtrum videlicet vt totum, an vt pars: pro cuius intelligentia.

Notandum est primò pro re præsenti, aliud esse totum actuale, aliud potentiale. Actuale est quod partes suas actu continet: quomodo Petrus continet actu animam, & corpus. Potentiale verò est quod actu non continet partes suas, sed tantum potestate. Et huius generis esse aiunt quodlibet vniuersale, quod sub se inferiora continet, tanquam partes suas: continet, inquiunt, non actu, quia sic opposita contineret; & animal, verbi gratiâ, esset actu rationale, & irrationale: sed tantum potestate, quatenus potest de hac, vel illa specie prædicari, & concipi in ordine ad hanc, vel illam in particulari.

Verum, hoc ex solutione præcedentis quæsiti manet refutatum. Ostendimus enim genus continere actu suas species: & ideo debet vocari totum actuale potius, quam potentiale, nisi intelligatur esse potentiale respectu actus clari, & expliciti: quatenus scilicet non includit species in suo conceptu distinctè, sed tantum in confuso, & indistinctè: atque ita est in potentia ad quamlibet explicitè, & distinctè continendam. Vel est tq-

tum potentiale quando dicitur aptum inesse multis, in quibus nondum est, aut nondum concipitur inesse, ut explicatum est q. 4. superioris libri secund. 3. ante septimum argumentum. Tunc enim inferiora, quibus potest communicari, sunt partes illius in potentia.

31. Notandum est secundò, aliquid posse dici totum, & partem diverso respectu. Nam corpus humanum v. g. in se spectatum, est aliquod totum, multis comprehendens partes: respectu vero totius compositi humani est tantum pars, constitutus una cum anima rationali hominem. Pari ratione genus, si spectetur abstractè secundum suam quidditatem, & præcimum suum conceptum, est pars compositi Metaphysici, seu speciei, quæ præter genus, includit differentiam. Si vero spectetur in concreto, quatenus dicit naturam genericam communem, & id, in quo talis natura reperitur, ut dixi sectione precedentí: tunc habet rationem totius respectu cuiusvis speciei, quia præter quamlibet sigillatim, includit alias. Verbi gratiâ animal est pars hominis, quia homo non solum continet in se animal, sed & rationale: homo autem est pars animalis, quia sub animali continetur non solum homo, sed etiam equus, leo, &c.

Cœterum si genus consideretur ut actu coniunctum cum aliqua differentia, & ut actu constituens speciem, dicitur pars actualis: si vero consideretur in statu indifferentiæ, in quo contrahibile est per differentias, quas omnes respicit, nec unam potius, quam aliam, dicetur pars potentialis, habens ordinem, & respectum ad aliam partem, cum qua speciem constituit. Et hoc verum est siue dicatur genus distingui ex natura rei à differentia, siue ratione tantum: quia semper intelligitur cum præcisione, & exclusione differentiæ, ut dicebamus supra. Itaque hic queritur an genus prædicetur de suis speciebus ut pars, siue actualis, siue potentialis: vel potius tanquam totum. His præmissis.

32. Respondetur ad quæstionem, genus non prædicari de suis speciebus, ut intelligitur, & significatur ad modum partis, siue actualis, siue potentialis; sed solummodo ut totum. Probatur contra quosdam: quia siue genus distinguatur ex natura rei à differentia, siue sola ratione, nunquam dicit totum id, quod dicit species, quatenus sumitur ut pars, & ut condistinguitur à differentia: ergo ut sic, non potest prædicari de specie. Antecedens patet: probatur consequentia: quia, ut in præcedenti sectione diximus, prædicatum deberet aliquo modo, hoc est, confusè faltem, continere totum id, quod subiectum continet. Nam in prædicatione verbum *est*, non importat solum uniuersitatem, sed identitatem prædicati cum subiecto. Pars autem sumpta ut pars, nunquam est totum; & ita non potest de eo enunciari, alioquin materia diceretur in ratio de homine.

Quamvis enim materia distinguatur realiter à forma; non vero genus à differentia: tamen utrobique eadem est ratio, quia semper genus, & differentia sumuntur ab intellectu cum mutua exclusione, & neutra continent totum quod ambæ, simul sumptæ; siue sumuntur ut partes actua-

les, siue vt potentiales. Et si continentia potentialis ad talem prædicationem sufficeret; deberet etiam sufficere in materia, proximè disposita ad recipiendam formam, vt in embryone, qui proximè potentia contineat animam, & consequenter totum quod homo: vnde ista prædicatio vera esset, *homo est embryo*. Quod nullus admitteret.

33. Dices primò: definitio, & partes definitionis prædicantur de definito in primo modo dicendi per se, seu essentialiter, ex Aristotele t. post. cap. 4. ergo genus, quatenus est pars speciei, potest de illa prædicari, & non solum quatenus est totum.

Respondeo negando consequentiam. Semper enim supponit Aristoteles seruari debere aptum prædicandi modum, quando huiusmodi partes de definito prædicantur; vt nimis exprimantur nomine concreto, & ad modum totius intelligantur; non verò vt partes.

\* Dices secundò: communiter dici solet, quòd genus prædicetur incompletè & vt pars materialis, & determinabilis: ergo malè dicitur hic quòd prædicetur tantum vt totum.

Respondeo negando consequentiam. Quando enim dicitur genus prædicari incompletè, & vt partem; debet intelligi quoad rem, quæ prædicatur, & significatur explicitè per genus: non verò quoad modum prædicandi; quia sic debet significari, & intelligi ad modum totius, continentis confusè totum, quòd subiectum continet.

### S E C T I O V I .

#### *Vnde sumatur genus, & differentia.*

34. **C**OMMUNITER dici solet à Philosophis, præsertim à diuino Thoma 7. Metaph. lect. 9. litera A. & lib. 8. lect. 3. litera K. genus sumi à materia, differentiam à forma, & speciem à materia, & forma simul. Cui communi dicto occasionem dedit Aristoteles multis in locis, præsertim 8. Metaph. citato, cap. 3. textu 9. vbi ait *aliquid de aliquo significat ratio definitiva; & oportet hoc quidem vt materiam, illud vero vt formam esse.* Ex quibus colligunt multi, unam partem definitionis, nempe genus, sumi à materia; alteram verò, nempe differentiam, sumi à forma. Nihilominus.

Dicendum censeo, huiusmodi dictum commune indicare tantum similitudinem generis cum materia, & differentiæ cum forma, non verò identitatem: neque etiam radicem primam, seu remotam, vnde genus, aut differentia deriuentur, absolutè, & simpliciter loquendo.

Probatur priuò ex textu Aristotelis citato, vbi verba illa, *vt mater-*

riam, & formam. Tantummodo indicant similitudinem, analogiam, & proportionem; non verò naturæ identitatem, ut ex se constat.

Deinde. Albedo, nigredo cœterique colores conueniunt genere, differuntque specie: & tamen non compoñuntur ex materia, & forma: ergo genus, & differentia originem in eis non sumunt à materia, & forma; nec proximè, nec remote.

Tertiò. In Angelis, & substantijs spiritualibus idem cernere licet; quæ verum habent genus, propriasque differentias, licet careant materiâ, & formâ.

Quarto. Genus viuentis, genus animalis in homine, equo, & cœteris animalibus non oritur à materia, sed à forma. Neque enim equus habet vitam à materia, sed ab anima, quæ est prima radix, à qua materia recipit omnes perfectiones, & omnes actus, quamvis imperfectos.

Quinto. Ex sententia communī, materia omnium rerum sublunarium est ejusdem speciei infimæ: & tamen ipsæ sub diuersis generibus constituuntur: ergo talis generum diuersitas non potest a materia illa defundi.

Sexto. Quæ non habent materiam communem, ut substantiæ spiritaliæ, & corporeæ: item corpora cœlestia, & sublunaria ex probabili sententia, non conuenirent genere, nec in eodem prædicamento collocarentur, contra communem sententiam.

Septimò. Vel differentiæ subalternæ intra genus supremum, & differentiam ultimam, sumuntur à materia, vel à forma? si à forma: ergo solum genus supremum sumitur à materia: & consequenter falsum est gradus potentiales, quales sunt differentiæ subalternæ, sumi à materia. Si verò sumuntur à materia: ergo sola differentia infima sumitur à forma. Vnde sequitur multos actus sumi à materia. Nam differentiæ subalternæ habent rationem actus, respectu generum, quæ contrahunt, multaque species subalternas distingunt ab alijs, & talis distinctio à forma potius quam à materia prouenit, ut de se notum est: ergo &c. Denique ex Thomistis gradus individualis sumitur à materia: ergo gradus genericus non potest ab eadem sumi, vt à propria radice: cùm tales gradus sint oppositi.

36. Dices genus est quid potentiale, & perfectibile: ergo prima radix illius erit res illa, à qua primo oritur talis potentialitas: sed in substantijs materialibus talis potentialitas primo oritur à materia prima: ergo in substantijs materialibus prima radix gradus genericus erit materia prima. Prima consequentia est evidens. Nam, vt dicitur 2. Metaph. c. 1. *primum in unoquoque genere est causa cœterorum, quæ sunt in illo.* Minor autem constat, quia materia est prima potentia, sicut forma est primus actus substantialis.

Respondeo, materiam primam esse primam potentiam in genere Physico; & ita potentialitatem Physicam ad recipiendas tales, vel tales for-

mas, ab ea oriri. At verò potentia Metaphysica, seu gradus genericus non oritur ab ea, vt satis ostendunt rationes iam allatae: cùm in forma ipsa gradus ille sit, non in materia. Nam gradus vitæ, sensus, &c. sunt in ipsa, & ab ipsa anima, & isti gradus perficiuntur per inferiores, ab eadem anima procedentes. Neque materia est causa, radix, & ratio, cur gradus superiores, & communiores, sint potentiales, & perfectibiles per alios; sed hoc potius prouenit ab intrinseca animæ natura, secundum quod imperfectior est, vel perfectior; aut habet diuersos gradus, alios alijs perfectiores, eorundemque perfectius; alioquin anima rationalis, quæ plures sibi vendicat huiusmodi gradus perfectibiles, quām forma lapidis, deberet dici magis participare de potentialitate materiæ, minùsque de actu, quām forma lapidis, aut etiam bouis.

Sensus ergo huius dicti communis est, genus sumi ab eo, quod in re habet similitudinem materiæ; differentiam verò ab eo, quod habet similitudinem formæ. In hoc autem sita est similitudo, quòd sicut materia est quid imperfectum, potentiale, & determinabile per varias formas, quas omnes indifferenter respicit: forma verò est quid perfectum, actuale determinatum, perfectuum: ita genus, seu conceptus genericus sumitur ab eo, quod in re est imperfectum, potentiale, & determinabile: differentia verò ab eo, quod perficit, actuat, limitat, determinat. Quomodo rationale determinat animal ad hominem, hinnibile ad equum, &c. tollitque ab eo indifferentiam, quam habet ad quamvis speciem, & illud perficit, & actuat.

36. Ex quibus liquidò constat, genus, & differentiam, si dicantur non distingui distinctione formalis Scoti, sumi à tota entitate, & à tota substantia, seu essentia rei: genus quidem à tota rei natura, spectatà secundum gradum imperfectum, communem, potentialem, & contrahibilem: differentiam verò ab eadem tota natura, secundum gradum specialem, proprium, actualem, perficiente, contrahente, & actuantem. Propter quod nomina, significantia huiusmodi gradus, pronuntur in concreto ad significandam totam naturam, vt dictum est sectione præcedenti.

Vnde esse animal, esse corpus, esse substantiam completam, & similia genera, non à sola materia, nec à sola forma, sed à toto composito definiuntur, vt patet: nec potius ab una parte, quām ab alia. Similiter esse sensitium, esse animatum, esse rationale, &c. totam Physicam entitatem important. Rationale quippe non significat quancunque naturam intellectuam, sed intellectuam materialem: nec sensituum solam dicit animam, sed animam informantem corpus.

Quæ tamen ita intelligenda sunt, vt in rebus compositis ex materia, & forma; materia ipsa non sit principium, seu radix generis, nisi secundum analogiam, & proportionem, vt dictum est: forma verò sit propria radix differentiæ, tum subalternae, tum infinitæ, connotando tamen extrinsecè

extrinsecè materiam, vt iam explicui. Et hoc clare dicit D. Thomas q. de spiritualibus creaturis, art. 1. ad 24. his verbis: *in rebus compositis ex materia, & forma, genus sumitur à materia, & differentia à forma: ita tamen quod per materiam non intelligatur materia prima; sed secundum quod per formam recipit quoddam esse imperfectum, & materiale respectu esse specifici; sicut esse animalis est imperfectum, & materiale respectu hominis.* Et paulo post. *sultracta ergo materiam à substantijs spiritualibus, remanebit ibi genus, & differentia, non secundum materiam, & formam; sed secundum quod consideratur in substantia spirituali, tam id, quod est commune sibi, & imperfectioribus substantijs, quam etiam id, quod est sibi proprium.*

---

## S E C T I O V I I .

*An genus conseruari possit in vnica specie.*

38. **N**O T A N D V M est primò, genus considerari posse tribus modis, Physicè, Metaphysicè, & Logicè. Genus Physicè consideratum, nihil aliud est, quam natura ipsa realis, secundum entitatem realem, & prædicata sua essentialia spectata: vt in animali, illa entitas, quæ est principium viuendi, sentiendi, &c. & in hoc sensu nullus negat genus posse conseruari in vnica specie, imò in vnico individuo. Nam si solus Petrus existeret, in eo verè reperiretur tota entitas animalis cum suis omnibus perfectionibus intrinsecis, & essentialibus, vt per se notum est.

Genus verò consideratur Metaphysicè, vt est quidam gradus, & conceptus potentialis, perfectibilis, & actuabilis per varias differentias, sicut materia prima per varias formas.

Consideratur denique Logicè, quatenus aptum est inesse multis, species differentibus, & de illis est prædicabile, vt in cius definitione dicitur.

Notandum est secundo, non esse dubium quin genus possit conseruari in vnica specie, etiam Metaphysicè spectatim, quatenus est conceptus potentialis, & perfectibilis. Nam post iudicium, animal in solo homine conseruabitur. Sed quæstio est an in vnica specie totam suam habeat perfectionem, quam postulat secundum potentialitatem suam; itaut sufficienter actuatum censeatur per vnicam differentiam specificam; eiusque potentialitas, satiata, & completa dici debeat. His positis.

39. Respondeo ad quæstionem primò, genus Logicè consideratum, non posse in vnica specie conseruari, si aliae impossibiles essent. Ratio est, quia essentialis definitio generis, Logicè spectati, est *unum aptum*

*inesse multis; specie diuersis.* Si autem vnica species esset possibilis, genus non esset aptum inesse multis, specie diuersis: quia non possunt intelligi plura specie differentia, nisi plures intelligantur species possibles. Quod si plures species sint possibles, integra sine dubio, generis ratio subsistit, quamvis nulla de facto existeret, quia existentia non ingreditur conceptum essentialiæ rerum creatarum: & ita genus semper intelligitur aptum inesse multis, specie diuersis, & aptum de multis prædicari, modo illa multa sint possibilia.

Respondeo secundo, genus Metaphysicè consideratum posse in una specie existente conseruari cum tota sua, & integra perfectione. Ita Scotus q. 18. in cap. de specie, & alij contra Sotum q. de specie ad 2. Totum ibidem ad 3. complutenses q. 2. Masium sect. 2. de genere, q. 1. & alios multos, contra quos.

Probatur primò, quia materia prima, quæ est æquè indifferens, & potentialis ad formas Physicas, ac genus ad differentias specificas, sufficienter saluatur cum tota sua potentialitate in unico individuo, & actuated per unicam formam; alioquin eius potentia nunquam esset satiata, sed semper haberet appetitum inquietum, & proximam priuationem ad alias omnes formas: quod nullus dixerit. Ergo similiter potentialitas generis sufficienter actuabitur, perficietur, & complebitur per unam differentiam specificam: & genus ipsum suam integrum perfectionem in una specie obtinebit.

Probatur secundò. Si nullum animal esset possibile, praeter hominem, ista predicatione, *homo est animal*, esset generis, Metaphysicè considerati, de sua specie; non enim esset speciei, vel differentiæ, vel proprij, vel accidentis; ergo animal esset tunc genus Metaphysicum, & saluatur in una specie secundum totam suam potentialitatem.

40. Probatur tertio. Post diem iudicij, conceptus, seu gradus Metaphysicus animalis in sola specie humana repertus, secundum totam suam potentialitatem completus, alioquin esset in statu violento per totam æternitatem, & perfectione sibi debitâ priuatus: quod est inconveniens.

Probatur quartò: quia ex multorum aduersariorum sententia, materia celi, est eiusdem speciei cum sublunari; & tamen eius appetitus, & potentia integrè, & perfectè satiat per unicam formam; quamvis secundum se alias formas possit recipere: ergo poterit similiter produci à Deo aliqua differentia, ita perfecta, ut exhaustat totam generis potentialitatem, illamque perfectè compleat.

Probatir quintò, quia alioquin Deus non posset conseruare genus in una specie secundum suam integrum perfectionem, quia non potest tot differentias specificas, seu tot species diuersas producere, quin possit adhuc sine fine alias producere: & ita genus nunquam esset perfectum.

Probatur sexto. Nam si genus non potest sufficienter actuari in una

ca specie; non poterit in duabus, nec in tribus; sed exiget infinitas, quia eius potentialitas se extendit ad infinitas, vt clarè cernitur præsertim in quantitate discreta, seu numero, cuius differentiæ in infinitum multiplicari possunt.

Quod porrò diximus de genere, idem de specie concludendum est: quod nimirū Physicè, & Metaphysicè considerata, in vno indiuiduo existere possit completem, integrè, & perfectè: & eo potiori iure, quod species sit quoddam totum actuale, perfectum, & ultimè in essentia constitutum: quod consequenter non perficitur, nisi ad summum entitatiuè per differentias numericas: cùm differentiæ specificæ dicantur essentialiter perficere genus. An verò spectata Logicè, plura postulet indiuidua possibilia, q. sequenti examinabimus.

41. Dices primò: Aristoteles 3. Metap. cap. 3. exprefse afferit genus non posse subsistere, nisi in multis speciebus: sic enim ait. *Necessè etenim est uniuscuiusque generis differentias, & esse, & unamquamque unam esse.* Ergo fallax est nostra sententia.

Respondeo, Aristotelem ibi non loqui de existentia actuali differentiarum; sed de necessitate essentiæ earum; quia necessè est genus posse diuidi per varias differentias, alioquin non esset genus. Et hic sensus patet euidenter in textu.

Dices secundò: integra perfectio potentiarum sumitur ex actu, illi adæquato: sed actus adæquatus potentiarum sunt omnes differentiarum, per quas contrahi, actuari, & perfici potest: ergo nequit habere suam integrum perfectionem, donec fuerit actuata per tales differentias: & ita non poterit saluari in vnicâ specie.

Respondeo: si per integrum perfectionem intelligatur omnis perfectio possibilis, quam genus potest recipere ex actuatione differentiarum omnium, à quibus potest contrahi: conceditur argumentum: sed ex eo sequitur, nunquam genus habiturum, nec habere posse suam integrum perfectionem, quia nunquam possunt tot produci rerum species, quin plures, & plures absque termino valeant produci: vnde eius potentia esset semper inquieta, & incompleta, quod est inconueniens. Quæ est enim potentia, vel actiua, vel passiua, quæ hoc modo actum adæquatum habeat, vel habitura sit?

Sufficit ergo quod potentia generis eâ ratione compleatur, vt totum Metaphysicum constituat, perfectum, & integrum vna cum differentia; quod in vnicâ specie habet: sicut potentia materiae integrè compleetur per unam formam, quia ex ipsa, & quauis forma completa constituitur integrum, & perfectum compositum Physicum, quod est eius finis: & ita perfectè satiatur eius appetitus, atque potentia: quarmuis secundum se possit alias formas successiuè recipere.

42. Si quis tamen contraria sententiae adhærere maluerit cum diuino Thoma I. post. lectione 12. & I. sent. d. 19. q. 4. art. 2. & alijs authoribus

citatis, argumenta allata sic facile soluet. Primum quidem, negando materiam primam sufficienter actuari secundum totam suam potentialitatem, per unicam formam: nam frustra haberet aptitudinem, & habitudinem essentialiem ad alias, à quibus perfectionem diuersam essentiali recipere potest. Vnde licet tota entitas potentialitatis eius, Physicè spectata, sub qualibet forma subsistat; non tamen Metaphysicè completa, & integrè actuata. Neque ideo erit eius potentia inquieta, quia non habet proximum appetitum, & proximas dispositiones ad recipiendas alias. Sed de hoc in Physicis. & inde soluitur tertium argumentum.

Secundum verò inuoluit contradictionem; quod nimis animal habeat rationem generis Metaphysici; & tamen per unicam differentiam possit actuari: quia sic non esset quid communius specie, & tali differentiæ; & consequenter esset species, non genus. Quare ista prædicatio, *homo est animal*, esset identica, & idem omnino esset animal, & homo.

Ad quartum argumentum dici potest primò materiam cœli esse specie diuersam à sublunari: de quo in libris de cœlo. Secundò, negatur eam esse completam adæquate, perfectè, & secundum plenitudinem suæ potentialitatis, alioquin non haberet aptitudinem recipiendi alias formas. Vnde non potest Deus differentiam aliquam, ita perfectam producere, vt per eam genus intelligatur plenè, & adæquate perfectum: quia sic una differentia esset simul actus adæquatus, & inadæquatus generis.

Quintum argumentum vltro conceditur; & ultimum quoque, quia genus ad omnimodam, & plenam suam perfectionem intra latitudinem perfectionis essentialis, tot species exigit, quot sunt differentiæ eius diuisiæ, quotquot sint, siue finitæ, siue infinitæ. Ut plurimum tamen duæ sufficiunt, vt genus intelligatur totum potentiale: vnde in multis generibus reperiuntur duæ, ita oppositæ, vt per eas determinentur ad duas species, & non ad plures, vt substantia per corporeum, & incorporeum, seu spiritale: animal per rationale, & irrationalē.

## SECTIO VIII.

### *Quomodo genus se habeat comparatum ad individua.*

43. **C**ONSTAT genus non solum de speciebus, sed etiam de individualibus prædicari: neque enim solum hæc prædicatio, *homo est animal*, vera est; sed etiam ista, *Petrus est animal*: Et ideo genus non ad solas species habitudinem, seu relationem habet; verum quoque ad specierum individua. Vnde Porphyrius definit genus per ordinem ad specie differentia, quæ non solum sunt ipsæ diueræ species,

sed etiam eorum individua. Quapropter queritur hic utrum habeat rationem generis, quando ad individua comparatur: & deinde utrum eadem relatione species, & ipsa respiciat, an vero duabus.

Quoad primum, in sententia illa, quae ponit uniuersale ex parte rei, videtur eidens naturam genericam, in quoconque reperiatur, aut ad quodvis comparetur, siue ad species, siue ad individua, semper retinere rationem generis, quia semper apta nata est inesse multis, specie differentibus, ut pars materialis, & determinabilis. Huiusmodi enim aptitudo eam inseparabiliter comitatur: & ita non potest vere intelligi secundum quod est in se, quin intelligatur ut genus, siue comparetur ad species, siue ad individua tantum. Quod satis superque explicatum est q. 4 lib. 2. sectione 2. & 3.

Quod si negetur uniuersale ex parte rei, sententia quorundam recentiorum est naturam genericam, comparatam ad sola individua unius speciei, *v.g.* animal respectu Petri, Pauli, & aliorum individuorum hominis, habere rationem speciei, non vero generis. Ita Ruius q. 5. de specie, conclus. 1. Auersa quæst. 10. de genere, sect. 5. conclus. 4. parte 3. & alij.

Ratio est primò, quia, cum uniuersale, & consequenter genus dependeat tunc ex apprehensione intellectus, nisi ipse cogitet, naturam abstractam conuenire multis, specie differentibus, non poterit affirmare illam esse genericam, aut de multis, specie differentibus praedicabilem: comparando tamen eam ad unius speciei individua, videbit eam esse illis communem, & de illis praedicabilem *in quid:* ergo videbit eam esse uniuersalem specificè.

Deinde: quando aliquis naturam specificam comparat ad sua individua, & de ipsis illam praedicat, genus inclusum in tali natura, etiam genus generalissimum, subiunxit uniuersitatem specificam: ergo comparatio cuiusvis naturæ ad individua, solo numero differentia, constituit uniuersitatem specificam.

Denique: si quis dicat *hoc animal est animal, & illud est animal,* nihil cogitando de equo, aut alia quamvis animalis specie: ita prorsus se habet animal commune ad hoc, & illud, sicut homo ad hunc, & hunc hominem; & consequenter animal respectu illorum terminorum est species, & non genus.

44. Nihilominus haec à vero videntur aliena. Nam in primis genus non tantum habet in suo essentiali conceptu ut dicatur de multis, specie differentibus, sed etiam ut dicatur tanquam pars materialis essentiæ; species autem non tantum habet ut dicatur de numero differentibus, sed insuper ut tota essentia communis. Dum autem quis comparat naturam genericam ad individua unius speciei, *v.g.* animal ad Petrum, Paulum, &c. non potest cogitare, nisi falso, animal praedicari de ipsis ut totam essentiam communem: ergo non potest tunc natura generica habere uniuersitatem speciei.

Præterea: quando intellectus facit vniuersale, abstrahendo naturam communem à conditionibus particularibus, necesse est vt eam abstrahat secundum proprium, & naturalem eius conceptum: & consequenter ipsa secum defert propriam habitudinem, & naturalem conditionem. Quare si talis conditio faciat eam multis, specie differentibus communicabilem; sine dubio erit genus; licet ab intellectu non cognoscatur vt genus: quia essentia vniuersalis non consistit in actu, sed in aptitudine: talis autem natura generica, sic abstracta, erit apta inesse multis, specie diversis, poteritque ab intellectu de illis prædicari, vbi eam illis inesse cognoverit: quamuis actu comparetur ad sola individua vnius speciei, & per deceptionem credatur habere solam hanc habitudinem: præsertim in ea sententia, quæ dicit cognitionem comparatiuam non requiri ad faciendum vniuersale.

45. Ex quibus probata manet opposita sententia, & simul pater solutio ad primam rationem in contrarium. Quamuis enim intellectus faciat vniuersale; supponit tamen fundamentum in re. Natura autem generica, cognita vt est in re, semper cognoscitur vt pars actuata per differentiam formalem, vt animal per rationale, quod est differentia, à petreitate, & ceteris differentijs individualibus diversa, & per eas contrahibilis. Atque adeò, licet solus esset homo, nec aliud animal ab intellectu cognosceretur; non posset tamen ipse prædicare animal de Petro, vt totam essentiam communem; nec consequenter vt speciem: & si hoc facret, deceptus faceret. Id enim, quod verè prædicabile est de specie differentibus, verè genus est, licet vt tale non cognoscatur.

Ad secundam rationem patet etiam, quod genus inclusum in natura specifica, non subit vniuersalitatem specificam, nisi quatenus intelligitur contractum per specificam differentiam, & constituit cum ea totum actuale, totamue essentiam communem, quæ sic constituta prædicatur vt species. At res aliter se habet cum genus seorsim sumitur sub conceptu proprio, vt quid potentiale: tunc enim non potest habere vniuersalitatem speciei, vt ostensum est.

Ad tertiam denique dicendum est, quod animal, habitâ ratione conceptus proprij animalis, vt est principium commune sentiendi, semper in hac prædicatione, *hoc animal est animal*, prædicatur tanquam pars materialis, & perfectibilis à differentia specifica, nec consequenter vt species, quæ dicit totam essentiam communem. Quod si intellectus ipsum aliter concipit, falsò concipit: & ideo nihil inde concludi potest pro opposita sententia, quod sit alicuius momenti.

Verum quidem existimo, si animal sumatur reduplicatiuè, & in sensu formalí pro gradu præciso animalitatis, itaut idem sensus sit vtriusque huius propositionis, *hoc animal est animal*, & *hac animalitas est animalitas*; tunc ipsum habere rationem speciei: quia cum omnes animalitates conueniant in conceptu planè vniuoco, solùmque differant inter-

se ratione differentiarum specificarum, aut individualium; necesse est ut animal, sic præcimum à differentijs specificis, prædicetur de solo numero differentibus ut tota eorum essentia communis, ac proinde ut species, eo modo, quo rationalitas de hac, & illa rationalitate in particulari. Sed in hoc sensu non debet procedere præsens hæc quæstio: sed de individualiis integris, & completis, quæ genus, & differentiam specificam complectuntur.

46. Quod attinet ad secundum, quod proposuimus; an videlicet genus vniuersaliter relatione referatur ad species, & individualia. Opinio est Louaniensium, relationem generis ad species, esse aliam, essentialiter diversam à relatione eiusdem ad individualia; & per illam constitui genus; per istam vero constitui quandam vniuersalis speciem, quam *innominatam* appellant, quia nomine careat.

Sed hæc opinio refutata manet, tum ex proximè dictis, dum ostendimus genus esse verè genus per ordinem ad individualia: tum ex questione ultima libri præcedentis, vbi manifestum fuit, nullum posse vniuersale assignari, quod non contineatur sub aliquo ex ibi numeratis. Vnde gratis ponitur illud *innominatum*.

Alia est opinio, quam tuetur mendosa disp. 5. Logice, sect. 1. §. 5. Raphaël de Auersa, q. 10. sect. 5. conclus. 4. ante obiectiones, genus non respicere immediatè species, & individualia; sed primariò tendere ad aliquid commune speciei, & individuali: inde vero ad speciem, & individualium secundariò terminari. Illud autem commune vocant subiectibile *in quid incompletè*. Cum enim species, & individualium subiectantur generi incompletè, negari non potest, subiectibile esse aliquid utriusque commune, & utroque prius: atque adeò in illa prioritate relationem generis terminare antea speciem, & individualium.

Verum, hæc quoque sententia, quamvis probabilis sit; non tamen ita placet. Si enim illud subiectibile, immediatè relationem generis terminaret, deberet genus per illud definiri, tanquam per immediatum correlatum: & ita male dixisset Porphyrius, necesse esse genus per speciem definiri.

Deinde: si genus referretur ad aliquid, prius, quam ad speciem, ab eo magis participaretur, quam à specie, quia talis relatio fundatur in participatione: hoc autem est absurdum. Licet ergo intellectus possit apprehendere habitudinem generis ad species, non cogitando distinctè de individualiis: vel contra apprehendere habitudinem eiusdem ad individualia, ut in hac prædicatione, *Petrus est animal*, non cogitando distinctè de speciebus. Imò possit apprehendere aliquid commune speciei, & individualium sub ratione subiectibilis *in quid incompletè*, non apprehendendo distinctè species, & individualia: tamen hæc, & similia, quæ ab intellectu cogitari possunt, non variant propriam generis habitudinem, propriumque modum essendi illius: sed proueniunt ex varijs operationibus intellectu-

Etus , rem vnam indistincte , imperfecte , & inadæquate concipientis : & ideò non constituant germanas generis relationes , nec debent immediatam eius ad species habitudinem interturbare.

47. Dicendum itaque censeo primò , genus vnicā , eademque relatione respicere species , & indiuidua , siue detur vniuersale à parte rei , siue non. Ita Scotus q. 17. vniuersalium , Masius sect. 2. de genere , q. 3. & 4. cum alijs. Ratio est , quia , si ponatur vniuersale ex parte rei , natura genericā habet aptitudinem realēm , & intrinsecam ad existendum in multis , quæ non est aliquid ab ipsa distinctum , licet explicetur per modum habitudinis , & respectus transcendentalis , quem natura dicit ad ea , quibus potest communicari , vt explicatum est q. 4. libri præcedentis sect. 2. & 3. vnde , cùm entitas naturæ specificæ , & individualis sint realiter eadem ; nec possit genus esse in aliqua specie , quin sit in aliquo indiuiduo ; nec in aliquo indiuiduo , quin sit in aliqua specie ; consequenter eadem habet aptitudinem ad existendum in specie , & in indiuiduis ; atque adeò eandem relationem ad species , & indiuidua.

Quod potest confirmari à simili ex forma accidentali , quæ realēm habet respectū , seu potentiam ad informandum subiectū. Siue enim spectetur in ordine ad subiectū in communī , siue ad particularia subiecta , semper in ea intelligetur eadem potentia , & habitudo ad utraque.

Si autem non ponatur vniuersale ex parte rei , eodem modo Philosophandum erit. Nam si fiat per actū , quo intellectus apprehendit naturam communem , cognitis confusè singularibus , quibus est communis , vt explicatum est q. 5. præcedenti , sectione 6. tunc natura illa communis non alium habet respectū ad inferiora , quām quem accipit ab intellectu per extrinsecam denominationem , quatenus per ipsum ad illa comparatur. Talis autem comparatio fit vnicō actu intellectus , apprehendens naturam , vt vnam in multis. Ergo in ea reperitur vnicā relatio ad species , & indiuidua. Si autem talis relatio dicatur esse rationis , perinde est , quia non est , nisi dum sit ab intellectu : sit autem dum natura prædicto modo comparatur ad inferiora , vt ibidem explicuimus.

48. Dicendum est secundò , huiusmodi relationem , quam genus habet ad species , & indiuidua , primò , & immediatè terminari ad species , secundariò verò ad indiuidua. Ratio est primò , quia genus magis perficitur in speciebus , quām in indiuiduis. Nam differentiæ specificæ ipsum essentialiter complent , & perficiunt , tanquam proprij actus substantiales , non autem numericæ. Nam in Petro non est essentialiter perfectius animal , quām in Paulo ; bene autem perfectius in homine , quām in equo. Quælibet autem res prius tendit in perfectionem suam essentialēm , quam in accidentalem , aut minus præcipuam.

Deinde genus non est in indiuiduis , nisi mediante specie. Non enim hic triangulus ponitur sub figura , nisi mediante triangulo , nec Bucephalus sub animali , nisi mediante equo. Et verò , cùm indiuiduum dicat

naturam

naturam completam, ultimò determinatam per differentiam individualem, talis differentia supponit partes essentiales, genus scilicet, & differentiam, quæ speciem constituunt, quas deinde afficit, & ultimò contrahit. Vnde huiusmodi partes essentiales prius subeunt rationem speciei, quam individui; & consequenter genus conuenit individuis mediante specie; ideoque immediatus respicit speciem, quam individua.

Tertiò. Corpus *v.g.* non potest contrahi per differentiam sensitui, nisi mediā differentiā viuentis: nec viuens, per differentiam rationalis, nisi mediā differentiā sensitui: ergo similiter animal non potest contrahi per differentiam individualem Petri, nisi mediā differentiā rationalis: ergo priùs respicit speciem, quam individua. Prima consequentia probatur, quia non est minus essentialis ordo inter differentiam genericam, specificam, & individualem, quam inter differentias essentiales superiores, & inferiores usque ad specificam.

Denique conuenientia individuorum in ratione specifica, est minus communis, quam conuenientia eorundem in ratione genericā, ut patet. Ergo immediatus attingit ipsa individua, & immediatus de illis prædicatur, quam genericā: & ita consequenter genus respicit individua mediante specie, quod erat probandum. Et hæc rationes idem conficiunt, licet vniuersale dicatur fieri ab intellectu, ut constat.

49. Obijcies vna relatio non potest habere duos terminos: ergo genus non potest referri ad species, & individua per vnicam relationem. Antecedens patet, *v.g.* in paternitate, quæ vna existens non potest habere plures filios pro terminis.

Respondeo primò, vna relatio non potest habere plures terminos adæquatos, concedo, inadæquatos, nego: præsertim quando tendit ad vnum mediante alio: sic enim potentia visiva *v.g.* vnicā relatione tendit ad visionem, & ad visibile; ad visionem immediatè, & ad obiectum visibile, mediante visione: vnde visio est primus terminus potentiae, sed non adæquatus.

Respondeo secundò, negando antecedens. Potest enim dici, ut infra videbimus, vnicam paternitatem ad plures filios terminari. Item vnicam esse relationem in magistro ad plures discipulos. Et hæc de genere sufficient.



## QVAESTIO II.

De specie, & individuo.

### S E C T I O . I.

*Quid, & quotuplex sit species.*



PECIE I nomen multipliciter sumitur; sed pro re praesenti duas habet acceptiones præcipias, quas affert Porphyrius. Prima est, quâ significat pulchritudinem, seu formam, & exteriorem corporis figuram, à qua homines speciosos dicimus: vnde, inquit Porphyrius, est illud, *primum quidem species digna est imperio*. Aut vt alij legunt, *priami quidem species digna est imperio*. Quod ex euripide sumpfit, vt vult Atheneus.

Secunda acceptio, eaque Logica, est, quâ significat id, quod sub assignato, seu iam explicato genere collocatur, aut quod generi subjicitur, sic homo animali subest, & animalis species dici consuevit. Species autem hoc secundo modo dicitur species ad similitudinem speciei, primo modo dicta: quia sicut pulchritudo rude, & informe corpus expolit, & commendat; ita species confusum, & informe genus exornat: vel quia vt forma res naturales nobis sub aspectu proponit; ita generis naturam, inquit Ammonius, quæ per se cerni non potest, speciei notio nobis spectandam exhibit. Non enim animalis naturam perciperemus, nisi homines intueremur, & bruta. Vnde species dicta est, inquit Rodolphus agricola lib. I. de inuentione Dialect. cap. 6. quia genus speciendum (sic veteres, inquit, loquebantur) nobis exhibeat.

Speciei hoc secundo modo acceptæ, duas definitiones assignat Porphyrius. Prima sic habet. *species est id, quod subjicitur generi, & de quo genus in questione quid est. prædicatur*. Secunda vero est ista. *species est id quod de pluribus differentibus numero, in questione quid est, prædicatur*. Prima definitio traditur per respectum inferioris ad superius, hoc est, speciei ad genus. Quâ ratione dicitur *species subicibilis*: secunda vero per respectum superioris ad inferiora, seu speciei ad individua: quâ ratione dicitur *species præcabilis*.

2. Est autem controversia circa primam, vtrum vnica sit, an duplex. Boetius, Albertus Magnus, Caiet. Masius, complutenses volunt esse duplicum, ita vt hæc verba vnam componant, *species est id, quod subiectur generi.* Hæc autem aliam, *species est id, de quo genus prædicatur in questione quid est.* È ratione vt prima sit essentialis; altera vero sit descriptiva, & accidentalis. Nam sicut essentialis definitio generis est posse inesse multis specie diuersis: descriptiva vero, posse de multis specie diuersis prædicari. Ita essentialis definitio speciei, prout est subiectibilis, est ista, *species est id quod subiectur generi, seu, in quo est genus.* Descriptiva vero est ista, *species est id, de quo genus in questione quid est, prædicatur.* Vnde duplicum respectum habedit species ad genus; alterum, esse subiectum, in quo est genus, tanquam vniuersale: alterum esse subiectum, de quo dicitur genus, vt est prædicabile.

Sotus, Toletus, conimbricenses post Auicennam, afferunt vnicam esse definitionem: primò, quia Porphyrius tradendo secundam speciei notionem, dixit speciem esse id, *quod sub assignato genere collocatur.* Postea vero indicat velle se tradere diuersam ab illa definitionem, & explicationem speciei, dum ait: assignant igitur speciem & hoc modo: *species est id, quod subiectur generi, & de quo genus in questione quid est, prædicatur.* Si autem priora verba integrum definitionem conficerent, non esset diuersa à priori: nam idem est subiecti generi, & sub genere collocari.

Secundò, diminuta esset prima definitio, quia in ea non exprimitur qualitas habitudinis, seu modus subiectonis speciei ad genus; an nimurum sit in quid, vel in quale, hoc autem benè exprimitur per sequentes particulas.

Sed hæc sunt parui momenti. Modò enim rectè explicetur speciei natura, partum refert an vnicam, vel duæ definitiones in prædictis verbis continentur. Vtraque tamen sententia suam habet probabilitatem. Posset enim dici primam explicationem nominis *speciei*, nimurum, *qua sub assignato genere collocatur*, esse vnam definitionem, & in sequenti voluisse Porphyrium ostendere alios Philosophos aliquid illi addere, nimurum *id de quo genus prædicatur, in quid:* & ita tres esse speciei definitiones à Porphyrio traditas: neque opus fuisse in prima exprimere habitudinem speciei ad genus *in eo quod quid:* quia hoc satis intelligitur ex definitione generis, præcedenti capite tradita. Cum enim ibi dicatur genus *id, quod de multis, specie differentibus prædicatur in questione quid est;* & hic species dicatur *id quod sub assignato genere collocatur:* utique intelligitur, *in questione quid est,* vt patet. Nunc vero quæ contra prædictas definitiones obijci possunt, soluere oportet, vt ita legitimas eas esse appareat.

3. Obijcitur primò contra duas priores: individuum verè ponitur sub genere, & de eo genus predicatur *in eo quod quid,* & tamen non est species subiectibilis: ergo definitio speciei subiectibilis non est bona.

Respondetur: in predictis definitionibus subintelligi particulam proximè, seu immediate, hoc modo, species est, quæ immediate, & proximè generi subjicitur, & de qua genus immediatè prædicatur. Nomine enim iubictionis, abolutè prolatæ, debet intelligi præcipua, quæ est proxima. Individua verò non subjiciuntur generi, nisi mediante specie, ut dictum est q. præcedenti, sectione vltima.

Instabis: homo est species substantiæ, & tamen ei non subjicitur immediate. Deinde in ista propositione, *hoc animal est animal*, individuum subjicitur generi immediate.

Respondeatur sufficere ad speciem, vt alicui generi proximè subjiciatur, licet alijs remotè subsit. Homo autem proximè subest animali. Ad aliam instantiam patet ex dictis genus tunc fortiri rationem speciei, & non generis. Quando autem dicitur speciem ponì sub genere, sensus debet esse formalis, nimirum quatenus genus est. Nihil autem ponitur sic immediatè sub genere præter speciem.

Objicitur secundo: omnis definitio ex Aristotele 6. Topic. cap. 3. vel 4. debet tradi per notiora, cùm debeat explicare rei naturam: sed genus non est notius specie: ergo species non potest per illud definiri. Probatur minor. Nam præcedenti capite Porphyrius definiuit genus per speciem, tanquam per aliquid notius, his verbis: *genus est id, sub quo collocatur species, vel quod de specie differentibus prædicatur*. Nunc autem species definitur per genus: ergo definitio speciei non est bona: aut utrumque est magis, & minus notum, quam aliud, quod absurdum esse constat.

Respondetur ex Alberto Magno, tractatu de relatione, cap. 9. speciem non debere dici propriè definiri per genus, sed ad genus, seu in ordine ad genus, tanquam ad correlatum extrinsecum. Licet autem ea, quæ in definitione ponuntur, debeat esse notiora definitio, si illi sint intrinseca: hoc tamen necessarium non est, si illi extrinseca fuerint, & correlativa: quia relativa sunt simul natura, & cognitione: & ita possunt in ordine ad se inuicem definiri, etiam si neutrum sit notius altero: quia in tali ordine essentialiter consistunt, ideoque per eum debent explicari.

Objicitur tertio: ex Aristotele 2. Topic. c. 2. & lib. 6. c. 3. paulò ante medium, & cap. 4. in fine, in qualibet definitione, loco alicuius partis, licet ipsius partis definitionem ponere: ergo in definitione speciei, loco illius vocis, *generi*, licebit ponere definitionem generis, & sic construere speciei definitionem: *species est id, quod subjicitur ei, sub quo collocatur species*. Vel *species est id, de quo prædicatur in quid, illud quod prædicatur in quid de speciebus*. Et ita species erit in sui definitione. Quod est nugari, & bis idem repetere.

Respondetur Aristotelem intelligendum esse de partibus intrinsecis, quarum loco potest adhiberi earum definitio: vt in definitione hominis licet ponere loco animalis, *vivens sensibile*, quæ est animalis definitio.

Nōn autem debere intelligi de terminis extrinsecis, quales sunt relativi. In definitione autem speciei ponitur genus tanquam quid extrinsecum terminans respectum speciei.

4. Contra ultimam vero definitionem obiectur primum: genus praedicitur de pluribus, numero differentibus, vt animal de Petro, Paulo: ergo species non recte definitur per praedicari de pluribus numero differentibus.

Definde Deus praedicatur *in quid*, de pluribus, numero differentibus, nempe de tribus diuinis personis, realiter distinctis, & constituentibus veram trinitatem: & tamen Deus non est species, sed est quid singularissimum.

Tertio: numerus est species quantitatis: ergo quae non habent quantitatem, non possunt differre numero: & ita non reperietur species in Angelis, & in rebus spiritualibus, vt in Charitate, Fide, Iustitia.<sup>o</sup> Quod est falsum.

Respondeatur ad primum, in definitione subintelligi, *immediate*, vel *completè*: vel addendam esse particulam, *solo numero*, hac ratione, *species est quae de solo numero differentibus praedicatur*. Vel, quae immediate, aut completè praedicatur de numero differentibus. Ita enim definitio non conuenit generi, quia non de solo numero differentibus; nec item completè sed ut pars; neque proximè, sed mediante specie praedicatur, ut explicatum est in fine quaestione praecedentis.

Ad aliud respondeatur diuinas personas non differre proprio numero, quia non differunt nisi in relationibus, & non in natura; & consequenter non sunt simpliciter plura; quod tamen necessarium est ad speciem, quae requirit naturam in pluribus multiplicabilem per diuisiōnēm sui. Pluralitas autem relationum, quae in Deo reperiuntur, sufficit ut in eo sit vera Trinitas. Pro quo lege D. Thomam i. p. q. 30. & in primum sent. d.

24. q. 1. art. 2.

Ad tertium respondeatur, præter unitatem, & numerum prædicamentalem, quae in rebus materialibus, & quantis reperiuntur, esse unitatem, & numerum transcendentalem, quae semper comitantur ens, secundum quod diuiditur per unum, & multa; & diuisiōnem, aut indiuisiōnem adimitit. Et talis numerus in rebus spiritualibus, & immaterialibus reperitur. Lege D. Thomam q. 30. citata, art. 3.

Obiectur secundo. Si Deus duas animas rationales constitueret in duabus materijs, specie differentibus, ut coelesti, & sublunari. Tunc species humana praedicaretur plusquam de numero differentibus: nam illa composita haberent partes specie distinctas.

Respondeatur in primis rationem specificam simpliciter sumi à forma; secundum quid autem à materia. Nam, licet materia equi, & materia hominis sint eiusdem speciei infimae: tamen equus, & homo sunt composita, specie diuersa: ergo ex opposito, licet tales materiae specie differentes: composita tamen essent simpliciter eiusdem speciei: & ita species humana praedicaretur de solo numero simpliciter differentibus.

Respondetur secundò, ex anima humana, & tali materia non posse fieri vnuis per se, quia neutra haberet proportionem, & habitudinem ad alteram: & ita falsum supponitur: aut, si suppositio admittatur, homo tunc non esset species infima ratione corporis, seu materiae: sicut animal non est genus ratione materiae, sed ratione formae.

5. Ex his ergo liquido constat definitiones speciei, à Porphyrio assignatas, legitimas esse. Ut autem ab omni cauillatione fiant perspicue immunes, breuiter possunt efformari; priores quidem sic, *species est id, quod immediate supponitur generi in quid: & id, de quo genus praedicitur proxime in quid.* Per particulam enim proxime, excluduntur individua: per particulam vero *in quid*, excluduntur differentia, proprium, & accidens, quæ non subiiciuntur generi *in quid*, & essentialiter. Nam ista prædicatio, *rationale est animal*, non est formalis, & essentialis, sed materialis tantum, vt patebit quaestione de differentia.

Posterior autem definitio sic tradi debet, *species est id quod de multis, solo numero differentibus praedicitur in quid.* Et hæc est descriptiva, vt patet ex dictis de vniuersali in communii: essentialis autem erit hoc modo, *species est id, quod natum est inesse multis, numero differentibus, ut tota eorum essentia communis.* Quæ vltimæ particulae distingunt speciem à genere, quod inest vt pars; atque etiam à differentia. Proprium autem, & accidens sunt extra essentiam.

Quod autem spectat ad diuisionem speciei, hæc communiter fit in infimam, & intermedium. Infima, quæ aliter dicitur atoma, & speciaissima, est ea, quæ nunquam potest esse genus, siue comparetur cum suo superiori, siue cum inferioribus. Vnde definitur à Porphyrio duabus alijs definitionibus, quæ sic se habent. *Species infima est, quæ cum sit species, non potest esse genus.* Vel *qua species cum sit, in alias species dividii non potest.* Quia numerum habet tantum sub se individua, vt homo. Species intermedia, quæ vulgo subalterna nominatur, est ea, quæ comparata cum superiori genere, est species illius, ipsum actuans, determinans, & exornans beneficio differentiæ: respectu vero inferiorum habet rationem generis, quia de multis specie differentibus prædicatur, vt animal de equo, leone, homine: quod respectu viuentis, corporis, substantiæ est species. Vnde colligitur alia esse genera suprema, alia subalterna, alia infima: est autem genus supremum, quod supra se nullum genus habet: vel quod cum sit genus, non potest esse species.

## SECTIO II.

*Vtrum species quatenus subijcibilis, sit vniuersalis.*

6. **C**ERTVM est speciem subijcibilem, vniuersalem, & prædicabilem, esse eandem omnino naturam ex parte rei; differre tamen ratione diuersæ habitudinis, diuersorumque respectuum, quos subijcibile, & prædicabile important. Nam idem homo est, qui animali subijcitur, & de quo animal dicitur, & qui de numero differentibus prædicatur: sed aliud est subijci, aliud prædicari: sicut eadem scala est, quæ ascenditur, & descenditur: sed aliud est ascendere, aliud descendere. Quando species comparatur ad genus, eique subijci intelligitur, à specie ad genus quasi ascenditur: quando verò comparatur ad individua, & de eis prædicabilis esse concipitur, tunc à specie ad individua quasi descenditur: quæ est Ammonij comparatio.

Quæritur ergo in primis vtrum species, quatenus respicit genus, & subijcibilis dicitur, sit vniuersalis, an verò solum quatenus prædicabilis est, & respicit individua. Circa quod opinio est quorundam recentiorum, speciem vniuersalem esse quatenus respicit genus, eique subijcitur.

Probatur primo, quia species, vt species est formaliter, est vnuina ex quinque vniuersalibus; sed quatenus species est formaliter, est subijcibilis: ergo quatenus est formaliter subijcibilis, est vniuersalis. Maior constat: nam vniuersale in communione dividitur adæquatè in quinque voces, seu in quinque species, vt patet ex dictis lib. præcedenti. Minor quoque ex se nota est. Nam species dicitur species per ordinem ad genus, cuius est species, vt dictum est sectione prima.

Respondeo, speciem duo includere in suo conceptu, nimirum rationem subijcibilis, seu ordinem ad genus: & rationem prædicabilis, seu ordinem ad inferiora: sicut homo, quatenus homo, includit animal, & rationale. Sed quemadmodum homo non est sensitius per rationale: nec rationalis per animal: ita species non est vniuersalis per subijcibilitatem, & ordinem ad genus, sed per ordinem ad inferiora, respectu quorum dicitur etiam species. Sicut enim dicitur species subijcibilis generis, quia est decus eius, & pulchritudo, quatenus suâ differentiâ ipsum perficit, & exornat: ita dicitur species prædicabilis respectu inferiorum, quatenus ipsa essentialiter constituit, tanquam eorum forma, pulchritudo, & perfectio essentialis.

Vnde species vt subijcibilis, est tantum materialiter vniuersalis, quatenus eadem natura, quæ subijcitur generi, prædicatur de individuis. Et ita minor prædictæ rationis, sed species, quatenus species formaliter,

*est subiectibilis.* Vera est: sed tamen non dicit totam speciem naturam quia etiam est praedicabilis: sicut homo, quatenus homo, est animal, sed non tantum, quia est etiam rationalis.

7. Probatur secundo. Species subiectibilis praedicatur de hac, & illa species subiectibili: veræ enim sunt istæ propositiones, *homo est species subiectibilis: leo est species subiectibilis:* & sic de alijs. Ergo species ut subiectibilis, est vniuersalis.

Respondeo negando consequentiam: quia prout est subiectibilis, respicit tantum genus superius: dum vero respicit hanc, vel illam speciem subiectibilem, est praedicabilis, & quid superius, respiciens omnes species subiectibiles, ut inferiora, de quibus praedicatur, & ut sic, est vniuersalis.

Probatur tertio. Species, in quantum subiectibilis, terminat immediatè respectum generis, ut dictum est quæst. præcedenti: ergo ut subiectibilis, est vniuersalis. Probatur consequentia, quia genus non terminatur immediatè ad singulare, in quantum genus est, ut ibidem diximus.

Respondeo negando consequentiam. Licit enim genus non terminetur proximè ad singulare; non est tamen necesse ut terminetur ad vniuersale, quatenus vniuersale formaliter: sed sufficit quod sit vniuersale materialiter, hoc est, sit talis natura, quæ possit dici vniuersalis, non quatenus subiectur formaliter, sed per respectum ad inferiora. Et ita species, ut terminat genus, est subiectum commune, de quo genus dicitur; seu natura abstracta, & concepta absque respectu ad inferiora, quo respectu posito, statim intelligitur formaliter vniuersalis.

Probatur quartò. Genus eo est vniuersale, quo est genus. Ergo species eo est vniuersalis, quo est species: sed species est species per respectum ad genus, & quatenus ei subiectur; ergo ut sic, est vniuersalis. Probatur primâ consequentia, quia correlatiua sunt sub eodem genere: & ita, si genus, in quantum genus, est vniuersale; species etiam debet esse vniuersalis, in quantum species.

Respondeo negando paritatem: quia genus ut genus, vnicum habet respectum ad inferiora, & sic per eundem habet ut sit genus, & vniuersale: at species habet duos, alterum ad genus superius, alterum ad individua: per primum habet ut sit species, modo iam explicato: per secundum vero non tantum habet ut sit species, sed etiam ut sit vniuersalis: sicut ille, qui patrem habet, & filium, per unum respectum dicitur pater, & per alium filius. Correlatiua autem sunt sub eodem genere remoto relationis: sed non est opus ut eorum relationes sint eiusdem rationis, ut patet in relatione magistri & discipuli, serui, & Domini, & alijs quæ relationes disquiparantia nominantur.

Ex his igitur manifestè concludere possumus speciem non esse vniuersalem per respectum ad genus, sed per respectum ad inferiora: cuius ratio est, quia vniuersale est unum aptum inesse multis. Species autem per respectum

respectum ad genus non est apta inesse multis, quia ut sic, est tantum apta esse in uno immediato genere: immo non dicitur propriè esse in genere, sed potius genus est in ea, vt in subiecto, quod sub se continet. Proprium autem vniuersalis est continere sub se ea, respectu quorum est vniuersale: sicut ex supra dictis notum relinquitur.

8. Quæres quo modo se habeant inter se subijcibilitas, vniuersalitas, & prædicabilitas in ipsa specie? Quæ nimirum ex his præcipua sit, & aliarum origo?

Respondeat Caietanus capite de specie, subijcibilitatem esse veluti essentiam, & radicem, vnde vniuersalitas, & prædicabilitas consequantur: itaut verè dicere liceat, *ideo species prædicatur de individuis, quia subiectur generi.* Ratio eius est, quia species formaliter quatenus ipse species, solùm respicit genus; & ideo ceteras relationes, si quas habet, inde promanare necesse est.

Toletus autem q. vnicâ, circa primum argumentum ait vniuersalitatem esse veluti essentiam, vnde subijcibilitas, & prædicabilitas oriantur. Et quidem de prædicabilitate verum censet; ipsam nimirum oriri ex vniuersalitate, tanquam proprietatem ab essentia, ut patet ex dictis.

Circa hanc controuersiam dicendum arbitror relationes subijcibilitatis, & prædicabilitatis, in se absolutè spectatas, omnino disparatas esse, nec vnam oriri ex alia, aut supponi ad aliam: sed veluti per accidens vñiri in eodem subiecto. Ratio est: quia reperitur subijcibilitas absque vniuersalitate, & prædicabilitate, ut in individuo. Reperitur item vniuersalitas, & prædicabilitas absque subijcibilitate, ut in genere summo: ergo vna non requiritur per se ad aliam. Et certè ad hoc ut aliquid prædicetur de alio, non est opus ut ipsummet alteri subiectui, aut contra, ut per se notum est. Vnde ista propositio non est vera, *species ideo est subijcibilis, quia est vniuersalis, vel ideo est vniuersalis, quia est subijcibilis.*

Præterea si vniuersale fiat per intellectum, quis non videt ipsum comparare posse naturam specificam ad genus, & eam denominare subijcibilem, absque eo quod eam comparet ad individua, & denominet prædicabilem, aut vniuersalem? Quis item non videt posse eum comparare naturam specificam ad individua, absque eo quod eam comparet ad genus? Igitur duæ huiusmodi habitudines, & relationes sunt omnino ab invicem independentes, nec vna deriuatur ex alia. Secùs se res haberet, si natura comparata ad genus, remanceret aptior, & magis disposita, ut compararetur ad individua: aut contra. Tunc enim vna relatio quodammodo deriuaretur ex alia. Sed hoc non contingit, ut patet experientiâ.

Solummodo igitur verum est rationem subijcibilis, & rationem vniuersalis esse necessariò in specie coniunctas: nec vnam posse esse sine alia: adeo ut si dicatur species subijcibilis, necessariò connotetur, & inuoluitur vniuersalitas, & prædicabilitas: si verò dicatur species vniuersalis, & prædicabilis, necessariò inuoluitur subijcibilitas, absque eo quod vna de-

riuetur ex alia: sed utraque fundatur in natura specifica, utramque necessariò includente, ut dictum est in solutione primi. Quamuis aliqui velint esse species aliquas prædicabiles, non subiçibiles, ut in materiam primam, animam rationalem &c. quas negant habere genus supra se: alij verò alias subiçibiles, non prædicabiles, ut species Angelorum, quæ vnicura habere possunt indiuiduum ex Thomistis, de quo nobis aliqua dicenda sunt sectione sequenti.

## SECTIO III.

*Vtrum species prædicabilis multa exigat indiuidua realiter possibilia.*

9. **Q**VAESTIO præsens intelligitur de specie Logice sumpta, & secundum quod definita est à Porphyrio, id quod de multis numero differentibus prædicatur in quid. Quia si Physicè, & Metaphysicè consideretur, prout tantum dicit aliquid prædicabile de aliquo per modum totius essentiae, certum videtur, ipsam non exigere plura, de quibus prædicetur, ex vi ipsa, & ratione formalí talis prædicabilitatis. Nam, licet in sublunaribus omnis species sit prædicabilis de multis, hoc tamen se habet per accidens ad prædicabilitatem per modum totius essentiae. Humanitas quippe, quamvis soli Petro communicabilis esset, adhuc haberet rationem totius essentiae Petri, & de eo, ut sic, prædicari posset, vt constat.

Est igitur circa præsentem difficultatem prima sententia Thomistarum, posse esse speciem prædicabilem Logice, & secundum quod definita est à Porphyrio, etiam si non possit habere plura indiuidua sub se ex parte rei. Vnde Caietanus q. 6. de ente, & essentia circa medium, cum alijs Thomistis, distinguit ex duo Thoma, i. p. q. 13. art. 9. duplex uniuersale: alterum est uniuersale secundum rem, & secundum rationem; quod de facto multis inest, aut ex parte rei inesse potest, sicut natura humana: alterum est uniuersale secundum rationem tantum, & non secundum rem, quia non inuenitur, neque potest inueniri realiter in pluribus; potest tamen à nobis intelligi ut communicabile multis, & aptum prædicari de multis: adeo ut secundum quod à nobis intelligitur, nihil includat in suo conceptu obiectio, repugnans communicabilitati.

Huius generis est natura Angelorum, secundum Thomistas. Cum enim careant materiâ, quæ secundum ipsos est principium indiuiduationis, ac proinde multiplicationis indiuidiorum in eadem specie: consequenter non possunt, etiam de potentia Dei absoluta, esse plures Angeli,

eiusdem speciei insimæ, soloque numero differentes: ideoque si formas illas simplices apprehenderemus ut in seipsis sunt, intelligeremus, eas per vnam, eandemque simplicem entitatem constitui in esse specifico, & individuali: & ita nec secundum rem, nec secundum rationem essent tunc numero multiplicabiles, nec consequenter possent subire intentionem speciei, Logicè prædicabilis. Sed quia non possumus pro hoc statu eas perfectè attingere, ipsas intelligimus ad modum rerum compositarum, habentium formas in materia; simplicemque earum entitatem diversis conceptibus apprehendimus; uno quidem, ut constituit Angelum in sua quidditate specifica, & ut habet rationem differentiæ essentialis: altero verò ut constituit ipsum in esse singularis, & ut habet rationem differentiæ individualis, & numericæ: & ita fit ut abstrahamus naturam specificam Michaëlis v. g. à differentia individuali: ac proinde nihil in eius conceptu formalí reperiamus, quod ex se multiplicationi numericæ repugnet: ideoque possumus eam apprehendere in multis; & afferere, quod talis natura, quantum est ex se, & suo conceptu formalí, à nobis apprehtenso, est prædicabilis de multis, numero diuersis. Quod ad speciem Logicam, superius definitam, sufficere constat.

10. Probatur ergo ista sententia primò, quia illud est species à Porphyrio definita, quod potest de pluribus, numero differentiis in quæstione quid est, prædicari: sed natura specifica Angeli, v. g. Michaëlis, secundum quod à nobis concipitur, potest de multis, numero differentiis prædicari, quamvis sit ex se immultiplicabilis numero: ergo est verè species prædicabilis, à Porphyrio definita. Probatur minor ex iam dictis. Nam, ut rectè ait diuus Thomas loco citato primæ partis, intellectus noster intelligit naturam cuiuslibet speciei per abstractionem à singulari, & ideo esse in uno supposito singulari, vel in pluribus, est præter intellectum naturæ speciei: quo fit ut possit intelligi ut in pluribus existens, & consequenter ut prædicabilis de pluribus, seruato ipsius intellectu, siue conceptu.

Confirmatur ex eodem diuo Thoma, q. vnicâ de spiritualibus creaturis, art. 8. ad 4. vbi sic loquitur: *sicut hæc albedo non prohibetur habere sub se multa individualia ex hoc quod est albedo, quod pertinet ad rationem speciei: sed ex hoc quod est in hoc, quod pertinet ad rationem individuali: ita natura huius Angeli non prohibetur esse in multis ex hoc quod est natura in tali ordine rerum, quod pertinet ad rationem speciei: sed ex hoc quod non est nata recipi in aliquo subiecto, quod pertinet ad rationem individuali.*

Probatur secundò eadem sententia, quia natura specifica Michaëlis spectata præcisè secundum prædicta essentialia, ut est substantia spiritualis, & immaterialis, distincta specificè à Gabriele, alijsque Angelis, non concipitur ut singularis, neque determinata, sed indifferens, & determinabilis per singularitatem ad suum individualium. Omne autem indiffe-

rens, & indeterminatum comparatur ad suum determinatum tanquam quid superiorius, & latius patens ad suum inferius, ergo natura Michaëlis sic præcisa, ex modo nostro concipiendi subit intentionem prædicabilitatis, & fit formaliter vniuersalis.

ii. Confirmatur: quia natura sic præcisa prædicatur verè de suo individuo, prædicatione formalī; non prædicatur autem ut genus, neque ut differentia, vel proprium, aut accidentis, ergo ut species, & consequenter ut quid vniuersale.

Probatur tertio. Michaël est verè individuum aliquod determinatum, directè positum in prædicamento substantiæ, tanquam basis, & fundamentum omnium prædicatorum superiorum: non potest autem aliquod esse individuum, quod non constituantur sub aliqua specie infima: ideoque Michaël, secundum quod à nobis apprehenditur, intelligitur subiecti naturæ sive specificæ: relatio autem respondens subiectibilitati individui, est relatio prædicabilitatis speciei, ut constat ex dictis: ergo natura specifica Michaëlis ut à nobis intelligitur, veram habet rationem vniuersalis, & prædicabilis.

Hæc opinio, & authoritate diui Thomæ, & suis rationibus probabilis evadit, nec videtur impugnanda, nisi velimus quæstionem agitare de nomine. Quia enim, ut rectè aduertit Caietanus loco citato primæ partis, sub finem articuli 9. quando Gábriel dicitur vniuersale, & prædicabile de multis, & species &c. sufficit ista verificari non de eo absolutè, sed ut obiecto, & cognito à nobis, & constet posse ipsum à nobis sic apprehendi, non est cur in hoc sensu explicata sententia reiici debeat: nisi quis velit contendere ad rationem propriam vniuersalis requiri, ut natura sit communicabilis multis, non solum ut à nobis intelligitur, sed etiam ex parte sua, eoquod Aristoteles definiendo vniuersale, ait ipsum esse aptum natum, seu naturā aptū inesse multis. Quæ verba hoc modo absolutè prolatæ videntur debere intelligi potius de aptitudine reali, quam intellectuali solâ: ex quo.

12. Respondetur ad primum argumentum huius sententiæ, illud esse speciem à Porphyrio definitam, quod potest verè prædicari de multis numero differentibus: natura verò Michaëlis, cum sit ex parte rei immultiplicabilis numero, non potest verè enunciari de multis numero differentibus. Et quod hæc sit mens Porphyri, patet ex eo, quod post definitionem datam, affert exemplum de specie, quæ absolute prædicabilis est de multis.

Respondetur ad secundum, non sufficere ad hoc ut natura Michaëlis sit vniuersalis, quod non concipiatur ut singularis, & determinata: sed requiri quod ex parte rei apta nata sit existendi in multis, alioquin eius vniuersalitas esset merum figuratum, nec posset verè dici prædicabilis de multis. Neque verum est quod omne indifferens, & indeterminatum comparetur ad suum determinatum tanquam aliquid superiorius, & latius pa-

tens, vt patet de subiecto, & propria eius passione v. g. de homine, & risibilitate. Sufficit ergo vt comparetur tanquam forma ad materiam, & vt quid coniungibile cum propria singularitate.

Vnde patet solutio ad confirmationem, quia ad prædicationem formam non requiritur, vt prædicatum habeat rationem propriam alicuius ex quinque prædicabilibus: nam ista est formalis, & quidditativa, *Petrus est ens*, & tamen ad nullum ex quinque prædicabilibus pertinet, nisi reductiuè, secundum istos authores. De quo vide quæstionem præcedentem numero 6. in fine. & q. 6. lib. 2. num. 27.

Adde quod potest dici huiusmodi naturam prædicari vt speciem Physiscam, non vero vt vniuersalem, defectu individuorum possibilium.

Respondeatur ad tertium, concedendo Michaëlem esse verum individuum substantiæ, directè positum in illius prædicamento, & subiectum prædicatis superioribus substantiæ, & spiritus, &c. sed quando comparatur ad naturam propriam, vt præcisam per intellectum à sua singularitate, non respicit eam vt quid superius, quia ex hac sententia, talis natura non magis latè patet, quam ipse Michaël, sed eam respicit sicut suppositum propriam naturam, aut vt totum propriam formam constituentem. Ad rationem autem generis, & speciei requiritur, vt patet ex proprijs eorum definitionibus, vt natura determinabilis, & actuabilis, latius pateat, quam determinatum, vt patet in homine respectu Petri, &c.

13. Secunda sententia communis est Scotistarum, & recentiorum, asserentium nullam rem posse dici speciem, à Porphyrio definitam, si à parte rei non possit multiplicari numero, & verè per intellectum prædicari de multis individuis, saltem possibilibus.

Probatur hæc sententia primò, quia Aristoteles definiendo vniuersale, dixit ipsum debere esse aptum existendi in pluribus, absolutè, & simpliciter: ergo hoc debet potius intelligi de aptitudine reali, quam de illa aptitudine intellectuali. Vt enim habet dictum commune *analogum ab solute prolatum sumitur pro principali analogato*. Ergo ad speciem vniuersalem ex mente Aristotelis, & Porphyrii non sufficit sola aptitudo existendi in multis, quam intellectus naturæ, ex se ad hoc incapaci attribuit.

Respondeo Aristotèlem, & Porphyrium loqui de vniuersali secundum rem, & secundum rationem, vtpote quod absolutè, & simpliciter sibi vindicat propriam rationem vniuersalis: sed non ideo negaverunt vniuersale secundum rationem tantum, modo explicato, numero 9. vnde rectè dixit Auicenna 5. Metaph. cap. 1. vniuersale esse id, quod in intellectu non est impossibile prædicari de multis.

Probatur secundò. Si huiusmodi aptitudo existendi in multis secundum rationem tantum, sufficeret ad vniuersale, sequeretur naturam diuinam posse fieri vniuersalem ex modo nostro concipiendi, quia vt docet D. Thomas 1. p. q. 13. art. 9. licet hoc nomen *Dens*, incomunicabile

sit secundum rem : est tamen communicabile secundum opinionem : & ita nihil vetat naturam diuinam præscindi à supposito , seu singularitate ac proinde vt sic apprehendi , tanquam quid commune multis naturis diuinis , si essent , quod perabsurdum videtur.

Confirmatur : quia species infima posset quoque dici genus. Nam littera natura humana v. g. sit à parte rei immultiplicabilis specie , concepta tamen conceptu imperfecto , non inuoluit talem immultiplicabilitatem , & consequenter fit indifferens ex parte intellectus ad multiplicationem specificam : atque adeò induit naturam generis. Vnde hoc modo confunduntur rationes propriæ omnium prædicabilium.

14. Respondeo , Caietanum non existimare sequelam absurdam : sic enim habet q. 9. de ente , & essentia , in responsione ad secundum. *Hoc eodem modo est prædicabilis quidditas intelligentia de pluribus , scilicet nec actu , nec aptitudine , sed ut obiecta est intellectui , ut ab auicenna habes 5. Metap. quinimò ipsa quidditas diuina hoc modo communis , & vniuersalis secundum rationem est : Vnde & numerum pluraliter apud grammaticos habet.*

Alij tamen eam negant , quia Deus , etiam vt à nobis imperfectè apprehensus , intelligitur essentialiter singularis , & vnum numero , quia nomine Dei intelligitur ab omnibus ens independens , & supra omne aliud ens , ac proinde aliquid quod non potest esse nisi vnum numero. Hæc autem ratio non includitur in conceptu naturæ Angelicæ ; quæ propterea potest præscindi à singularitate , & ita comparari ad plura induitua.

Ad confirmationem , nego speciem infimam posse dici genus. Quamuis enim imperfectè concepta non inuoluat immultiplicabilitatem specificam in suo præciso conceptu : tamen vt possit appellari genus , debet positivè apprehendi , vt apta ex parte rei existendi in multis , specie differentibus , vt adnotauimus q. 5. lib. 2. numero 13. aut saltem abstrahi à pluribus , specie diuersis. At vero natura Michaëlis , cùm ex se sit specifica , & composita ex genere , & differentia , tantum exigit concipi absque singularitate , vt possit denominari apta existendi in multis induitua , & subire intentionem speciei vniuersalis : quia , cùm multiplicatio , seu diuisio numerica alicuius naturæ , sit ultima diuisio , & nulla alia relucet in tali natura , intellectus suapte propensione fertur in multiplicationem induituarum , non autem in multiplicationem specierum.

Dicunt aliqui non posse concipi speciem infimam , quin concipiatur vt immultiplicabilis specie : sed hoc non videtur verum quando imperfectè apprehenditur : nam quando concipitur natura humana , vt est animal rationale præcisè , in tali conceptu non includitur formaliter immultiplicabilitas eius specifica , vt constat.

15. Probatur tertio. Species à Porphyrio definita debet posse prædicari de multis , sed natura Angelica , quæ est in Michaële , non potest prædicari de multis , ergo , &c. Probatur minor , quia illa multa vel sunt

actu existentia, vel possibilia, vel ab intellectu conficta? Duo priora non sunt vera ex suppositione huius sententiae: tertium autem nullo modo potest dici, quia species est quidditas communis individuorum, & de illis essentialiter praedicatur. Cum autem natura Angelica sit realis, & illa individua conficta, meraque entia rationis, non potest essentialiter de illis praedicari, vt patet.

Adde quod omne vniuersale fit per abstractionem naturae communis a singularibus cum fundamento in re, & deinde per comparationem eius ad illa singularia: cum autem impossibilia sint huiusmodi singularia, nullum potest dari fundamentum talis abstractionis, nec consequenter vlla legitima comparatio.

Respondeo negando minorem. Ad probationem dico non esse opus configere talia individua possibilia, vt natura Michaëlis censeatur apta esse in multis: sed sufficit vt huiusmodi natura ex modo nostro intelligendi, hunc acquirat statum in nostro intellectu, vt ei prout sic concepta, nihil repugnet, quo minus in plura singularia possit diuidi, eisque communicari: quia ita comparatur ad proprium individuum, vt respectu illius sit superior, & indifferens, ac si haberet plura alia. Neque opus est vt abstrahatur a pluribus, aut ad plura comparetur, sicut fit in vniuersali secundum rem, & secundum rationem: sed sufficit vt concipiatur non concepta vlla singularitate: & ita comparetur ad proprium individuum, ac si haberet plura alia.

Dicunt tamen alii, naturam cum fundamento in re posse sic abstrahi, & praescindere, atque ad plura individua comparari: ita ut fundamentum præcisionis remotum, sit distinctio virtualis, quæ est inter naturam specificam Angelici, & suam singularitatem, quia natura secundum se, & primariò importat tantum sua praedicata essentialia, vt spiritualitatem, & immaterialitatem, ex quibus tanquam proprietas consequitur singularitas, & immultiplicabilitas numerica. Proximum vero fundamentum se tenet ex parte modi nostri intelligendi, quo quidditas Angelici repræsentatur intellectui nostro, non repræsentatis conditionibus individuationis, vt sic: ac proinde cum hoc modo repræsentetur in statu indifferentia, potest comparari ad plura individua, quæ concipiuntur possibilia cum fundamento in re, licet de facto sint impossibilia.

16. Instabis: non potest aliqua natura concipi sub ratione opposita rationi suæ formalis, & quidditatiæ: sed aptitudo existendi in multis, est ratio opposita, & repugnans rationi formalis, & quidditatiæ, ipsius naturæ Angelicæ; ergo non potest sic concipi, nisi omnino chimericæ, & fictitiæ: atque adeo nullo modo potest reponi inter vniuersalia Logica. Minor constat, quia spiritualitas est de ratione formalis, & specifica naturæ Angelicæ, quâ per se primò distinguitur à substantijs materialibus: ergo ex sua ratione formalis repugnat illi multiplicatio numerica, quia de essentia eius est, vt careat materia, quæ est principium talis multiplicationis, numerica.

Respondeo primò ad maiorem, non potest natura aliqua concipi sub ratione opposita suæ rationi formalis, si perfectè concipiatur ut est à parte rei, concedo, si concipiatur imperfectè, & vt obijcitur intellectui nostro, nego. Vnde, vt benè aduertit Caietanus loco citato primæ partis, quando dicitur non repugnare naturæ Michaëlis ex sua ratione formalis, communicari pluribus, *ratio formalis* non sonat definitionem, sed importat modum essendi in ratione nostra: *ita quod sensus est*, inquit, *quod omnis natura specifica, ut obiecta est intellectui nostro, communis est pluribus, quia obijcitur non ut hac, sed ut natura specifica.*

Respondeo secundò ad minorem, aptitudo existendi in multis, est ratio opposita rationi formalis naturæ Angelicæ, directè, & primariò, nego, indirectè, secundariò, & consequenter, concedo. Immultiplicabilitas enim, & singularitas, est veluti proprietas quæ deriuatur ex spiritualitate. Vnde sicut materia duplex habet officium respectu compositi Physici, alterum, quo ipsum constituit tanquam pars essentialis illius; alterum quo distinguit ipsum numero à quovis alio composito: ita spiritualitas, & immaterialitas Angeli duplex munus exercet, vnum primarium, constituendo ipsum in tali rerum ordine, seu in tali quidditate, & essentia specifica; alterum secundarium, distinguendo ipsum numericè à quovis alio Angelo, quod est aliquid consequens ad constitutionem specificam, & quidditatiam.

## SECTIO IV.

*Quid sit individuum.*

17. **S**I C Y T species est immediatum generis correlatum, ita individuum speciei: & ideo quædam hic de individuo subijcimus, ad plenam tum generis, tum speciei explicationem conducentia.

Individuum itaque ex vi vocabuli significat rem individuam, seu individuabilem, vt punctum, & quæ carent quantitate, aut partibus. Ad sensum autem Logicum, individuum idem est quod singulare, & vnum numero: quod scilicet ita est realiter in se vnum, vt non possit communicari multis inferioribus, aut multiplicari per realem sui divisionem in plura, quorum singula sint ipsum, vt Petrus, qui potest quidem diuidi in animam, corpus, caput, pedes, sed nihil horum est Petrus. Item totum homogeneum, vt aqua potest diuidi in partes similares, quorum quælibet sit aqua, & eiusdem rationis cum toto diuiso, sed nulla est illa prima, quæ diuisa est, sed tantum pars integralis illius. Et sic individuum opponitur vniuersali, quia vniuersale est quid diuisibile in plura, quorum

quorum singula sunt id quod diuiditur, adeò ut de illis omnibus sub eodem nomine, & sub eadem ratione dicatur, vt homo in Petrum, Paulum, & ceteros singulares homines. Vnde Aristoteles 3. Metap. cap. 4. ante medium, ait idem esse singulare, ac vnum numero: vniuersale verò esse, quod est in multis. Lege quæ de eo diximus lib. 2. q. 3. initio.

18. Duas autem indiuidui definitiones tradit Porphyrius c. de specie circa finem: prima est hæc, *indiuiduum est: quod de uno tantum prædicatur*. Et hoc idem definit Aristoteles cap. 5. de interpretatione his verbis, *singulare est id, quod non est prædicabile de multis*. Quæ definitio conuenit omnibus indiuiduis, siue substantiarum, siue accidentium. Secunda verò solis indiuiduis substantiæ, immo solis animalibus. & sic habet, *indiuiduum est, cuius omnes simul proprietates alteri conuenire non possunt*. Has autem proprietates, siue accidentia numero septenario conclusit Albertus Magnus, & hoc versiculo continentur.

*Forma, figura, locus, nomen, stirps, patria, tempus.*

Vbi figura significat partium proportionem, & lineamenta: forma verò singularem complexionem, siue etiam molem corporis; & tempus, ipsius generationis, aut nativitatis momentum. Cetera patent.

Potest etiam definiri in ordine ad speciem hoc modo, *indiuiduum est: quod ponitur sub specie immediate*: vel *de quo species prædicatur in quid completere*. Atque etiam in ordine ad genus hoc modo, *indiuiduum est: quod mediante specie subiicitur generi*, aut *de quo genus mediante specie prædicatur in quid incomplete*. Ex quibus definitionibus quædam oriuntur difficultates, quas vbi enodauerimus, huic sectioni finem imponemus.

Prima difficultas proponitur contra definitiones à Porphyrio traditas. Nam in primis Aristoteles c. 2. in anteprædicamentis, & in prædic. cap. de subst. & 7. Metaph. cap. 3. ait primam substantiam, hoc est, indiuiduum substantiæ de nullo subiecto prædicari: & cap. 15. afferit singularium neque definitionem esse, neque demonstrationem. Igitur nec debet definiri indiuiduum, nec debet dici de aliquo prædicari. Contra verò indiuiduum de multis prædicatur. Veræ quippe sunt istæ propositiones *hoc animal est Petrus: hæc substantia est Petrus: hic homo est Petrus*. Iten *Petrus est indiuiduum: Paulus est indiuiduum: aut hoc indiuiduum est indiuiduum*. Denique accidentia, in secunda definitione comprehensa, vel intelliguntur eadem specie, vel numero? non specie: quia nihil vetat eadem specie accidentia in Petro, & Paulo reperiri: neque etiam numero, quia satis fuisset dicere, cuius nulla proprietas potest esse in alio: nam idem accidens numero non potest, nisi diuinitus in duobus esse subiectis.

19. Ad hæc ita respondere oportet: ad primum quidem Aristotelem tantum velle indiuiduum substantiæ non prædicari de subiecto attributionis, seu de aliquo inferiori, sicut prædicantur substantiæ secundæ, seu vniuersalitatem.

sales: neque de subiecto inhaesione, vt accidentia: non autem negare quin individuum dicatur de seipso, vt *Petrus est Petrus*, quae est propositio vera, & identica, cui similibus vt cur fæpe Aristoteles, vt secundo de interpretatione c. vlt. in fine, *omne bonum est bonum*. Et 5. Metaph. cap. 18. in fine, *homo est homo*. Vnde non est cur Auerroes 1. prior. in digressione de quarta figura, prædicationem identicam vocet abominationem.

Quando item negat Aristoteles de singulari dari definitionem, & demonstrationem, loquitur de hoc & illo individuo, vel singulari, materialiter, & in particulari sumpto, prout includit determinatum individuationis principium, & sumitur cum determinato modo singulariter effendi, vt significatur nomine Petri, Pauli: non autem de individuo, abstractendo à tali, & tali particulari modo effendi, & sumpto secundum rationem communem singularitatis, quia sic potest de eo dari aliqualis definitio, vt rectè ait sanctus Thomas 1. p. q. 29. art. 1. ad 1. & q. 9. de potentia, art. 2. ad 1. hoc enim modo definit ipse Aristoteles primam substantiam, cap. de subst. in prædicamentis.

Ad secundum dicendum est tria hæc, *hoc animal*, *hæc substantia*, *hic homo*, esse unum idemque individuum, de quo Petrus identice prædicatione dicitur: non verò de pluribus diuersis, quorum unum non sit aliud, sicut prædicatur vniuersale. Negari tamen non debet individuum prædicari de multis, vt allatæ propositiones ostendunt: sed non sumitur tunc primò intentionaliter pro illo, vel illo singulari determinato, de quo debet intelligi definitio Porphyrij: sed pro notione quadam communi, per intellectum apprehensa, secundum quam omnia individua, seu ies omnes singulares intelliguntur in hoc conuenire, quod sint singularia, & individua, seu habentia modum particulariter effendi.

Licet enim ex parte rei, quatenus singularia sunt, & naturæ particulares, dicantur primò diuersa, & in nullo conuenire, vt adnotauimus q. 3. lib. 2. sect. 4. ad 2. tamen intellectus pro sua fecunditate potest apprehendere illa omnia in hoc conuenire, quod in nullo conueniant: sicut æquiuoca, licet habeant rationem omnino diuersam sub eodem nomine, in hoc conuenient omnia, quod in ratione significata per nomen non conueniant, solumque nomen habeant commune.

20. Dices: si individuum hoc modo prædicetur de multis, erit vniuersale, & ita nouum vniuersale admittendum erit, præterea, quæ superius enumerauimus q. 6. sect. 2. lib. 2.

Respondeo, aliquos existimare huiusmodi prædicationes non esse prædicationes individui, quia individuum dicitur tantum de uno: sed esse prædicationes, vel quinti prædicabilis, vt istæ, *Petrus est individuum*, *Paulus est individuum*: vel secundi, vt ista; *individuum est individuum*, vt patet a simili in genere: nam ista, *homo est animal*, est propria generis: ista verò, *animal est genus*, est quinti prædicabilis: & ista secundi,

*hoc genus est genus.* Et sic non constituitur nouum vniuersale. Quia vero individuum hoc modo sumptum, non tantum de numero differentibus, sed etiam de differentibus specie prædicatur: verum enim est quod Buridanus sit individuum, Bucephalus quoque, & hoc animal, & hæc planta, &c. ideo alij volunt, quod individuum sit etiam genus.

Nihilominus, quamvis hæc doctrina suam habeat probabilitatem, videtur potius dicendum id, quod de individuo vago diximus supra lib. 2. q. 6. sect. 3. num. 22. scilicet nomine individui significari formaliter modum particulariter existendi, seu incomunicabilitatem, & immultiplicabilitatem numericam, quæ est ratio omnino opposita vniuersalitati. Vnde communitas importata per hoc nomen *individuum*, non est communitas rei, eoquod individua omnia, ut sic, in nullo quidditatue conueniunt: sed est tantum communitas rationis, & secundæ intentionis, proueniens ab intellectu, concipiente confusè rationem singularitatis omnibus individuis conuenire. Nam licet individuum sit incomunicabile: tamen modus existendi incomunicabiliter, potest intelligi ut communis omnibus individuis, cuiuscunque naturæ sint. Lege diuum: Thom. 1. p. q. 30. art. 4.

Ad ultimum dicendum est, hic intelligi eadem accidentia numero: neque verum est nullum idem numero accidens, quando est extrinsecum, posse duobus subiectis conuenire, ut patria, nomen, sanguis, seu propria. Vel forte melius dices intelligendum esse de accidentibus omnino similibus. Nunquam enim nisi sunt duo homines, de quibus maximè intelligitur illa definitio, eiusdem omnino indolis, formæ, staturæ, ætatis, stirpis, &c. Ceterum talis definitio essentialis non est, quasi individuum constituatur per illa accidentia; sed solum per illa indicatur, & à nobis cognoscitur. Per quid autem constituatur intrinsecè in ratione individui, ad Metaphysicam alias, & nunc remisimus.

## S E C T I O V.

*Quomodo individuum referatur ad genus, & è conuerso.*

21. **T**RIA hic querimus; primum, an individuum referatur ad speciem, &c. ad genus vnicâ relatione: secundum, an talis relatio sit eiusdem rationis cum ea, quâ species respicit idem genus: tertium, an relatio, quâ genus respicit individuum, sit eiusdem rationis cum ea, quâ species ad idem individuum terminatur.

Circa primam quæstionem opinio est fonsecæ 5. Metaph. cap. 23. q. 14. sectione 4. de Raonis tract. 1. de vniuers. in appendice sect. 2. c. 4.

& aliorum existimantium individuum vnicā relatione referri ad speciem; & genus: ita ut respectu speciei sit relatio subiectibilitatis completa, & extensione ad genus euadat incompleta.

Probatur primo hæc sententia, quia si individuum diuersâ relatione speciem, & genus respiceret, species ipsa diuersis quoque relationibus referretur ad genus proximum, & ad remota: & individuum ipsum diuersâ habitudine tenderet ad differentiam proximam, & remotam: quod nullus concedet. Parem autem utrobique rationem esse ostenditur, quia utrobique reperitur terminus mediatus, & immediatus: utrobique subiectio completa, & incompleta.

Respondetur quodvis genus, & quamlibet differentiam, siue proxime, siue remotè ad inferiora descendant, esse semper eorum partes, & incompletè ab illis suscipi: at individuum semper completem subiectum speciei; incompletè verò generi: & ob eam diuersitatem diuersâ relatione utrumque respicit. Et quamvis differentia inferior dicatur magis completa, quam superior, ut sensibile, quam animatum; & rationale, quam sensibile: hæc diuersitas est tantum secundum magis, & minus, quæ discrimen essentialis non inducunt, nec consequenter duplarem relationem specie diuersam.

Probatur secundò eadem sententia. Genus vnicā relatione respicit speciem, & individua, ut supra dictum est, illam immediatè, & proxime; ista verò mediante specie. ergo pariter individuum respicit genus, & speciem eadē relatione, speciem immediate; genus verò per speciem. Probatur hæc consequentia, quia relativa mutua, ut sunt genus, & individuum, eodem modo se respicere debent.

Respondetur negatione consequentiæ. Ratio disparitatis est, quia genus participatur semper incompletè, tum ab specie, tum ab individuis, quia est semper eorum pars; & ita potest eadē relatione ad utramque tendere. Species autem participatur completem ab ipsis individuis, quorum est tota essentia communis; ideoque debet ab ipsis aliter respici, quam genus. Vnde probatio illius consequentiæ ruit quando relativis mutuâ diuersas conditiones includunt, quæ similem respectum impediunt, ut hic accidit. Nam proximus terminus individui, nempe species, impedit quod minus eodem respectu, quo in eam incurrit, ad genus deeducatur, ob rationem nimis completi, & incompleti, ut dictum est.

22. Probatur ultimò, quia individuum ex communi sententia, & definitione superius assignata, remotè tantum, & mediante specie subiectum generi: ergo eandem relationem habet ad utrumque. Probatur consequentia, quia si mediante specie respicit genus, eadem relatio, per quam respicit genus, debet prius incurrire in speciem, alioquin utrumque immediate attingeret, nec unum interuentu alterius.

Respondent conimbricenses individuum esse subiectibile remotum generis, non quia prius tendat in speciem, & postea in genus: sed quia,

licet immediate genus attingat, supponit tamen speciem iam prius pertenisse ad genus: atque adeo species est correlatum generis proximum; individuum vero remotum.

Verum haec responsio, nec veritati consona videtur, nec in ea sibi ipsis videntur consentire eius authores. Nam q. 1. de specie, art. 1. ad 3. approbant differentiam istam inter subiectiōnem speciei, & individui, quod species proxime generi subsit, individuum autem remotē, & interuentu speciei, inquiunt: & ita non debent negare q. 2. art. 2. ad 2. individuum subiecti generi mediante specie, eiusque interuentu.

Deinde genus descendit ad individuum mediante specie, ut dictum est q. præcedenti numero 48. neque hoc ipsi negant: ergo pariter individuum ascensit ad genus interuentu speciei: ideo enim refertur ad genus, quia ipsum participat: ergo, sicut illud participat, & suscipit per speciem, ita per speciem quoque suam reciprocat relationem: eo modo, quo auus respicit nepotem interuentu filij; & nepos respicit auum interuentu patris, quia esse ab auo recipit per patrem.

Denique haec solutio interturbat seriem prædicamentalem, in qua secundum rectam lineam à supremo genere descenditur ad individuum per speciem; & ab individuo rursus ascenditur per speciem ad supremum genus: siue huiusmodi gradus prædicamentales distinguuntur ex natura rei, siue tantum per intellectum. Intellectus enim, si connaturali ordine, & cognitione distinguitur procedat, sicut à supremo genere descendit ad individuum per speciem, ita ab individuo ad genus per speciem ascendere debet, alioquin confusè tantum, & præposterior cognitione obiectum attingit. Atque adeo necesse est individuum subiecti generi mediante specie, non vero immediate per se: & ita relatio, quā generi subiectitur, prius ferit speciem, quam ipsum genus. Vnde argumentum stat semper in suo robore.

Respondeo igitur distinguendo consequentiam hoc modo, ergo eandem relationem habet ad utrumque, eandem inadæquate, & partialiter, concedo; eandem adæquate, nego. Sicut enim individuum componitur ex genere, & differentia, ita relatio eius debet intelligi composita quasi ex duabus partialibus; & per utramque simul sumptam ad modum unius respicere speciem, eique completem subiecti, quia ab ea naturam suam integrum, & completam suscipit: per eandem vero incompletē, & partialiter sumptam respicere genns, eique subiecti incompletē, quia partem tantum naturæ suæ habet à genere, interuentu speciei. Et hac ratione sufficienter intelligitur individuum diuersas specificè relationes habere ad speciem, & genus.

23. Contraria sententia, quod scilicet individuum respiciat genus relatione specificè diuersā ab ea, quā respicit speciem, communior est, & potest probari.

Primo, quia prima prædicabilia, genus nempe, & species, differunt

essentialiter per *completè*, & *incompletè* prædicari, vt visum est supra ergo subijcibilia debent specificè differre per *subiçi completè*, & *incompletè*, cùm par sit vtrōbique ratio: sed indiuiduum subiicitur speciei *completè*, incompletè verò generi: ergo subiectio completa differt specie à subiectione incompleta: & consequenter relations super vtraque subiectione fundatæ debent inter se specificè distingui.

Respondetur negatione primæ consequentia: quia *completè*, & *incompletè* ex parte prædicabilium sunt differentiæ per se: ex parte verò subijcibilium *completè*, quidem est differentia per se respectu indiuidui, quia indiuiduum subiicitur necessariò speciei: *incompletè* verò est differentia per accidens, quia multa sunt indiuidua, quæ genere carent, vt hæc materia prima, ex probabili sententia: hæc anima rationalis: hoc punctum: & consequenter non habent talem subiectiōnem, quæ ideo, absolute loquendo, se habet per accidens respectu indiuidui.

Hæc tamen solutio impugnari potest ex eo quod, licet concederetur aliqua indiuidua nullum habere genus, cui subsint: ea tamen quæ genus habent, necessariò ei subiiciuntur, & illud atque speciem diuerso modo participant, ideoque generi subesse, non se habet in illis per accidens: sicut non se habet per accidens ad Petrum, quod subsit generi qualitatibus, posito quod sit albus.

Probatur secundò eadem sententia, quia si indiuiduum vnicā relatione referatur ad genus, & ad speciem, ex eo quod eadem participatione, quā recipit speciem, recipit etiam genus, vt dicitur in tertio superiori argumento: necesse est ipsum vnicā similiter relatione referri ad genus, & ad differentiam generis, vt Petrum, verbi gratia, ad animal, & sensibile: quia eadem quoque participatione quā suscipit speciem, aut genus, suscipit differentiam generis. Hoc autem est absurdum.

Respondetur diuersam esse relationem in indiuiduo ad speciem, & ad differentiam generis, quia subiicitur speciei, & generi *in quid*, & directè per rectam lineam; differentiæ verò *in quale quid*, & indirectè: & ita diuersum est genus subiectiōnis, quod non inducitur simpliciter per *subiçi completè*, & *incompletè*.

Ex his liquidò constat posse vtramque sententiam probabiliter sustinēti: neque ex illa parte argumenta conuincere: ideo quæstiōnem hanc sub problemate relinquo.

24. Circè quæstiōnem secundam: an videlicet relatio, quā indiuiduum respicit genus, sit eadem cum relatione, quā species idem genus respicit, probabilius censeo esse eandem specie; numero tamen diuersam.

Ratio primæ partis est, quia in indiuiduo, & in specie reperitur eadem, ratio fundandi relationem, nimirum participatio incompleta generis. Neque obstat quod species prius tendat in genus, quam tendat indiuidum, quia hoc tantum indicat dependentiam Physicam, aut quasi Phy-

sicam inter naturas, quæ referuntur; ratione cuius genus prius reperitur, & contrahitur ad speciem, quam ad individuum. At vero in ratione essentiali relationis, una non dependet ab alia; & ideo nihil cogit inter eas discrimen esse.

Dixi dependentiam Physicam, aut quasi Physicam, quia, licet differentia individualis dicatur non distingui ex parte rei à natura specifica, intellectus, si ordinatè procedit, intelligit genus contrahi prius ad speciem, quam ad individuum.

Ratio secundæ partis petitur ex huiusmodi prioritate contractionis, & ex distinctione extremitum, propter quam intellectus per actus diversos efficitur relations illas. Sed haec sunt parui momenti, nec diuitius in eis immorandum est.

Quoad tertiam quæstionem, an eadem sit relatio generis, & speciei ad individuum, patet ex dictis eandem non esse, sed duas specie diuersas: quia genus est in individuo, tantum ut pars, & incompletæ species vero completæ, & ut tota communis essentia illius: quæ sunt differentiæ essentiales, & per se ex parte universalium, & prædicabilium, ut dictum est. Et haec de specie, & individuo sint satis.



## QVAESTIO III.

### De differentia.

**D**E specie prius quam de differentia à nobis actum est, quia licet differentia prioritate quâdam naturæ speciem antecedat, ut pars totum, & constitutus constitutum: tamen species, cum sit correlatum generis, debuit prius explicari, eoquod correlativa sunt simul natura, & cognitione; & unius perfecta cognitio ab alterius notitia dependet. Deinde universalia, quæ prædicantur *in quid*, ut genus, & species, debent prius explicari, quam ea, quæ prædicantur *in quale*; eoquod tractatus iste ordinatur ad categorias, in quibus maximè habetur ratio generum, & specierum, quæ in illis per se, & in recta linea collocantur: differentiæ vero tantum indirectè, & in lineis lateralibus. Tertio igitur hoc loco de differentia disputabimus, sequuti Porphyrium.

## SECTIO I.

*De nomine, diuisione, & definitione differentiae.*

**D**IFFERENTIA amplè, & secundum yim nominis sumpta, significat distinctionem, seu diuersitatem inter aliqua, aut id omne, quod rem vnām ab alia discernit, atque etiam à seipsa diuerso tempore: quomodo sessio facit differre Petrum à seipso stante, siue alioquin differentia sit quid distinctum re, vel ratione ab eo, quod facit differre, siue non: etenim ipsa quoque differentiae dicuntur inter se differre, vt rationale, & irrationalē; non per aliiquid distinctum, sed per seipſas.

Porphyrius autem triplicem differentiam distinguit, communem, propriam, & propriissimam. Communis est aliquod accidens commune, separabile, vt albedo respectu parietis albi, & nigri. Propria est aliquod accidens inseparabile, siue per se, & naturā suā, vt risibilitas, quā homo differt ab equo: siue per accidens, vt nigredo, quā corius differt à cygno. Differentia denique propriissima est pars substantiæ rei, cuius differentia dicitur, & pertinet ad intrinsecam, & essentialem illius rationem, vt rationale respectu hominis; sensibile respectu animalis. Diversis alijs modis diuiditur à Porphyrio differentia, sed omnes cum tribus istis coincidunt.

2. Quæritur autem primò circa diuisionem istam, vtrum adæquata sit: ad quod respondeatur communiter adæquatam esse: quia quicquid ab alio differt, necesse est vt differat, vel secundum essentiam, vel secundum accidentia: si secundum essentiam, erit differentia essentialis, & maximè propria: si secundum accidentia: vel accidens erit proprium, aut inseparabile, & erit differentia propria; vel separabile, & commune, & erit communis.

Dices primò: homo differt à planta per genus, seu per animal: & substantia, quæ genus summum dicitur, quamlibet substantiam à quoouis accidente discriminat. Forma item Physica distinguit vnum compositum ab alio, vt anima distinguit corpus humanum à lapide. Hæc autem omnia non sunt differentia, prout à Porphyrio diuisa est: igitur prædicta diuisio non est adæquata.

Respondeo, differentiam propriissimam posse dici quocumque prædicatum essentiale, distinguens rem unam ab alia: & sic prædicta includuntur in diuisione assignata. Vel melius dicendum est differentiam hic sumi à Porphyrio pro ea ratione, quæ intelligitur aduenire rei, iam convenienti cum alijs rebus per rationem aliquam priorem: & consequenter differentia

differentia distinguitur contra genus , quod est prima veluti rātio , per quam vna species conuenit cum alia.

Quare animal duo includit , scilicet rationem animati , & rationem sensibilis ; per primam conuenit homo cum planta ; & ab ea differt per secundam , quæ est differentia animalis , vt patet , & consequenter distinguit quodvis animal ab omni eo , quod animal non est . Similiter substantia includit rationem entis , per quam conuenit cum accidente , & rationem perfectatis , per quam substantia qualibet distinguitur ab omni accidente . Denique forma Physica , si debito modo exprimatur , nomine videlicet concreto , vt *homo est animatus* , habet rationem differentiæ propriissimæ , vt de se constat .

Dices secundò : differentia individualis est vera differentia , & ad nullam prædictarum reduci potest : non est enim accidens proprium , aut commune , quia Petrus , & Paulus substantialiter inter se distinguuntur per Petritatem , & Pauleitatem : non est item propriissima , quia non ponit distinctionem essentiale .

Respondeo eam reduci ad propriissimam , quatenus constituit rem substantialiter , eamque ab aliis eiusdem speciei , substantialiter distinguit . Vel dicendum sub prædicta divisione eam non comprehendendi , quia agitur huc tantum de differentia quæ est vniuersalis , & potest de multis prædicari , qualis non est individualis .

3. Quæritur secundò , an prædicta divisione sit vniuoca : ad quod respondetur primò , si differentia sumatur primò intentionaliter pro rebus , quæ faciunt differre , solutionem pendere ex alia questione ; scilicet an ens sit vniuocum , vel analogum tantum , ad substantiam , & accidens , de qua alibi .

Si verò sumatur pro ratione formalis differendi , abstrahendo à natura formæ , quæ facit differre , Tataretus hoc capite , articulo primo , cum alijs quibusdam , vult esse æquiuocam . Sed nullâ ratione nititur .

Alij volunt esse vniuocam , & generis in species , primò , quia ratio formalis differendi conuenit simpliciter , & æqualiter tribus differentijs assignatis , nec vni dependenter , aut per habitudinem ad aliam . Quia licet non daretur propriissima , adhuc aliæ essent differentiæ . Vnde sicut ratio vniuersalis , aut prædicabilis æqualiter conuenit quinque prædicabilibus , licet tria priora prædicentur essentialiter , & duo posteriora accidentaliter : ita ratio differendi , æqualiter conuenit tribus differentijs , licet vna faciat differre essentialiter , & aliae accidentaliter : hoc enim non officit rationi communi , sed particularibus tantum differentijs proprium est .

Nec obstat quod differentia communis , & propria Physicè quodammodo fluant , seu dependant à propriissima , quia etiam accidens Physicè dependet à substantia ; & tamen vniuocè conueniunt in ratione generis , vt animal , & color ; aut speciei , vt homo , & albedo .

Præterea eadem vniuocatio ostenditur , quia quando intellectus con-

cipit coruum in communi differre à cygno per nigredinem: aut hominem ab equo per risibilitatem, eius intellectio non attingit quartum, vel quintum prædicabile, quia nigredo non comparatur ad coruum ut quid ei contingens: neque risibilitas ad hominem, ut quid fluens ab eius essentia, sed ut distinguens illum ab equo: ergo attingit tertium prædicabile: & sic huiusmodi differentiæ sunt simpliciter tertij prædicabilis, non secus ac propriissima: atque adeò vniuocè cum ea conueniunt in ratione formalí differentiæ.

4. Dicendum nihilominus existimo, quod si habeatur ratio differentiæ secundum quod constituit tertium vniuersale, diuisio illa non potest esse vniuoca, quia differentia constitutiva tertij vniuersalis, componit essentialiter speciem vñā cū genere, ita ut genus habeat rationem potentiaz, & differentia rationem actus: ad hoc autem ut fiat species, & vnum per se, potentia & actus debent esse eiusdem generis: vnde sicut genus pertinet ad essentiam rei; ita & differentia debet esse illi essentialis. Ideoque differentia communis & propria, reduciuè tantum, & secundum aliquam proportionem ad hoc spectant prædicabile.

Præterea: si differentia communis, & propria pertinerent simpliciter ad istud vniuersale, falsum esset quod communiter asserunt Philosophi, differentiam esse prædicabile essentialie & dici *in quale quid* de multis.

Tertiò. Quæ differunt accidentaliter, non tam debent dici differre, quam habere, seu recipere in se accidentia differentia. Nam idem subjectum manens idem in se dicitur differre à se, quando de nigro fit album: qui modus differendi est valde improprius, & tantum connotatiuus rei extraneæ, vt patet: ideoque hæc diuisio est tantum analogia.

Vnde ad primam rationem in contrarium, negandum est rationem formalem differendi, æqualiter pertinere ad triplicem differentiam assignatam, quia communis, & propria sunt actus extranei respectu subiecti, & faciunt tantum compositionem accidentalem: cùm differentia, tertij prædicabilis constitutiva, sit actus substantialis potentiaz generis, & cum ea faciat vnum per se. Vnde sublatâ differentiâ propriissimâ, auferretur tertium prædicabile, tum Physicè, tum Logicè: sublato verò quouis vniuersali, non ideo tolluntur alia, Logicè loquendo: quia quodlibet independenter ab alio habet quicquid requiritur ad rationem vniuersalis: & ideo possunt vniuocè conuenire.

5. Ad secundam respondeo intellectum apprehendendo coruum differre à cygno per nigredinem, vel hominem ab equo per risibilitatem, non attingere propriæ quartum, aut quintum prædicabile; sed neque tertium; benè autem aliquam communem rationem differendi, quæ ad tertium prædicabile reducitur: sicut dum apprehendit materiam, aut formam, non apprehendit propriæ rationem prædicamenti substantiaz, sed tantum aliquid ad illud reducibile.

Dixi si habeatur ratio differentiæ secundum quod constituit tertium

vniuersale: quia si absolutè sumatur, prout dicit distinctionem, & diueritatem inter aliqua, potest concedi tria diuisionis supradictæ membra vniocè conuenire, vt rationes illæ ostendunt, & fauet Porphyrius, dum ostendit nomine differentiæ absolutè prolatu, ipsa significari, & ea vocat species differentiæ. Vnde, licet ea, quæ essentialitar differunt, magis absolutè & simpliciter differre videantur, vt habetur in tertio superiori argumento: hoc non cadit supra communem differentiæ rationem, sed tantum ut coarctatur ad tertium prædicabile.

Diuiditur secundò differentia in subalternam, & infimam, non secùs ac speciem supra in infimam, & subalternam diuisimus. Subalterna est, quæ speciem subalternam constituit, & à cæteris omnibus distinguit, vt sensibile animal. Infima verò est ea, quæ constituit speciem infimam, & eam à cæteris differre facit, vt est rationale respectu hominis, & hæc dici solet specifica: illa verò generica. Est tamen controuersia an admitti debeant differentiæ infinitæ, quæ speciebus non latius pateant, de qua, sentiōne sequenti.

6. Quod spectat ad definitionem differentiæ, quintuplicem assignat Porphyrius in secunda capituli parte. Prima sic habet. *Differentia est, quæ species excedit genus*: vt homo supra animal, habet rationale. Nam genus in suo præciso conceptu continet tantum in potentia differentias, sicut materia formas: species autem actu, & exprimè.

Secunda definitio est. *Differentia est, quæ de pluribus differentiis specie prædicatur in quale quid*: vt volatile de coruo, cygno, aquila. Si enim queratur quid est aquila, rectè respondebitur esse animal: & si queratur quale animal sit, rectè respondebitur quòd sit volatile.

Tertia definitio est: *differentia est quæ vim habet secernendi ea, quæ sunt sub eodem genere*: vt rationale secernit hominem ab equo, qui subditur animali sicut homo.

Quarta traditur his verbis. *Differentia est id, quo singula differunt*.

Quintam denique exactius, &, vt videtur, ex propria sententia assignat hoc modo, *differentia est quod distinguit ea, quæ sub eodem genere collocantur* (hoc est species) *quodque ad rationem, definitionemque rei pertinet, et est pars illius*.

Multum autem laborant multi, vt has definitiones tueantur, Porphyriumque defendant, sed frustrè: nam eas non assignat ex propria sententia, sed ex antiquorum scriptis haurit, vt patet ex textu. Vnde prima videtur desiderare has particulas, *differentia est pars formalis speciei, per quam excedit genus*. Secunda verò strictrior est, quia non comprehendit differentiam infimam, quæ de solo numero differentiis prædicari potest. Tertia nimis latè patet, si loquamur de differentia, constitutiva tertij prædicabilis, quia accidentia communia, & propria secernunt etiam species, eidem generi subiectas, vt risibile hominem ab equo; albedo cygnum à coruo. Quarta denique latior quoque est: nam homo differt à



planta per animal, per risibile, per alia accidentia: & ita hæc definitio conuenit generibus, & accidentibus. Quinta autem legitima est, nec aliquid comprehendit, quod verè differentia non sit.

7. Cæterum seruando modum, quem in tradendis definitionibus generis, & speciei obseruauimus, sic differentiam, vt tertium vniuersale est, clare definire poterimus: *differentia est quod aptum est inesse multis, vt pars eorum essentialis formalis, actualis, & determinativa*. Et si addantur istæ particulæ, *quod aptum est inesse multis specie, vel numero differentibus*, utraque differentia, subalterna nimurum, & infima expreſſe comprehendetur.

Dum dicitur pars, differt à specie, quæ est tota essentia; & à proprio, atque aœidente, quæ non sunt partes rei: quia verò ponitur formalis, & actualis, differt à genere, vt patet ex q. de genere. Et hæc definitio est essentialis; secunda verò, quam tradit Porphyrius, est descriptiva, & poterit conuenire utriusque differentiæ, si tollantur particulæ, *specie differentibus*, hoc modo. *differentia est, quod prædicatur de multis in quale quid: aut de multis specie, vel numero differentibus in quale quid.* Quomodo differt à specie, & genere, quæ in quid simpliciter dicuntur: & à proprio, & accidente, quæ simpliciter in quale prædicantur, vt diximus lectione primâ de genere.

Quando verò Aristoteles 7. Topicorum cap. 3. ait differentiam prædicari in quid; loquitur de ea, quando in definitione ponitur, quia tunc sequitur modum prædicationis generis, vt si dicas, *quid est homo?* respondetur, *animal rationale*.

Dices: omnis bona definitio constare debet genere, & differentia: sed differentia non potest habere aliam differentiam, per quam differat ab alijs, quia sic daretur processus infinitus: hæc enim aliam peteret, & illa aliam &c, ergo differentia non potest definiri.

Respondeo, differentiam per seipsum differre à cæteris: tum vt vniuersalis est; tum vt in se spectatur. Rationale enim per se differt ab innibili, & à cæteris omnibus differentijs. Ut autem est tertium vniuersale, est pars formalis essentiæ rei; & vt sic, differt ab omnibus alijs vniuersilibus modo prædicto, non per aliam differentiam, sed per seipsum: & ita non datur processus infinitus in differentijs.



## SECTIO II.

*An dentur differentiæ infimæ, speciebus infimis propriæ.*

8. **V**ORVM DAM antiquorum fuit sententia teste Alberto Magno Tractatu 5. c. 6. & tribuitur Auerroī 7. Metaph. text. 43. Themistio 2. post. cap. 20. Philopono cap. 14. & alijs, nullas dari differentias infimas, simplices, sed tantum subalternas: & consequenter ad definiendam aliquam speciem infimam, sumendas esse plures differentias subalternas, quarum singulæ seorsim latius pateant specie definita; simul autem sumptæ eam constituant, distinguant à ceteris, & cum ea conuertantur.

Verbi gratia homo definitur hic à Porphyrio post Arist. cap. de subst. in præd. text. 2. *animal rationale mortale*. Vbi rationale conuenit Deo, hoc est Angelis, ex mente Porphyrij: & ita latius patet homine: mortale vero conuenit bruto; & consequenter latius etiam patet homine: at rationale, & mortale simul sumpta, soli homini conueniunt. Item Trinitas, seu numerus ternarius, definitur ab Aristotele 2. post. c. 14. *numerus impar primus*: vbi impar conuenit etiam quinario, septenario, &c. primus autem conuenit binario: at esse imparem primum simul, conuenit soli ternario. Cum igitur differentiæ subalternæ, hoc modo coniunctæ, sufficienter constituant species infimas, & ab omnibus alijs distinguant, frustra ponuntur aliæ differentiæ infimæ simplices, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Et hæc sit prima huius sententia probatio.

Secunda vero petitur ex autoritate Porphyrij, & Aristotelis. Porph. enī, vt supra vidimus, definiens differentiam in communi, solam genericam complexus est, quæ de multis specie differentiis est prædicabilis: & ipse semper vtitur pluribus differentijs ad definiendam speciem infimam. Aristoteles autem loco citato posteriorum ait, in definitione speciei infimæ tot collocari debere differentias, vt licet vnaquæque illarum pluribus competat; simul tamen sumptæ, cum specie definita conuertantur: & libro sexto Topicorum cap. 3. ait differentiam de pluribus prædicari, quām speciem. His tamen non obstantibus.

9. Dicendum est, dari differentias infimas simplices præter subalternas, quæ cum infimis speciebus recurrent, nec latius, aut minus latè extendantur. Ita D. Thomas 2. posteriorum lectione 13. & 7. Metap. lect. 12. Scotus 2. post. quæst. 52. Caïetanus cap. de differentia, Suares disp. 15. Metaph. sectione 11. num. 23. Mafius, complutenses, & alij communiter.

Probatur primò hæc sententia, quia duæ differentiæ subalternæ non

possunt speciem vnam infimam constituere: ergò necessariæ sunt infimæ simplices ad species infimas constituantas. Probatur aut. illa enim duo genera, quæ constituantur per duas illas differentias subalternas, ~~ne~~ sunt subalternatim posita, hoc est vnum sub altero, vel sunt disparata, nec vnum sub alio constitutum? Si sint disparata, tunc vna species infima, sub utroque genere constituetur, quod est impossibile. Nam huiusmodi differentia, cum sint disparatae, sunt incompossibilis, nec possunt vnum compositum per se Metaphysicum componere, quia vna non se habet ut actus, & alia, ut potentia: vnde species constituta non esset vna essentia specialis, sed aggregatum ex multis.

Si vero sint vnum sub altero, non potest ostendi, in quo differat species ab ultimo genere, sub quo collocatur, quia duæ huiusmodi, vel plures differentiae necessariæ vniuntur in illo genere immediato, & ultimo. Deinde cum differentiae constitutiae superiorum generum, semper descendant ad species, illis subiectas, ut sensibile ad hominem, equum, &c. vna species infima non differet ab alia.

10. Probatur secundò, quia in rebus materialibus differentia sumitur à forma, ut in homine ab anima rationali: ergo, sicut in qualibet re est forma specialis, diuersa à forma aliarum, per quam in suo esse ultimo constituitur, & à cæteris omnibus Physicè distinguitur: ita debet esse specialis differentia, per quam essentialiter constituitur, & à cæteris Metaphysicè distinguitur: & sicut forma, quæ ultimè constituit Physicè, est unica, & simplex: ita differentia ultima debet esse unica, & simplex. Rectè enim dixit Aristoteles 8. Metaph. cap. 3. differentiam respondere formæ. Et hoc idem valet in rebus non compositis ex materia, & forma.

Probatur tertio: quia nulla potest assignari ratio, cur duæ differentiae subalterne coniungantur in una specie infima, nisi ponatur tertia differentia simplex, per quam & ipsæ, & natura generica, cuius differentiae sunt, contrahantur, & determinantur ad huiusmodi speciem. Nam tales differentiae subalterne non contrahuntur per genus quod constituant, quia sic idem esset actus, & potentia, materia, & forma, differentia, & genus, minus, & magis commune: nec etiam illud contrahunt, sed aliud superius, quod diuidunt, ut sensibile non contrahit animal ad hominem, sed viuens ad animal. Igitur necessaria est differentia infima, quæ cum specie infima coniungatur, ad tales differentias, & talem naturam genericam contrahendam ad speciem infimam. Nam differentia, sicut & genus per aliam differentiam contrahitur ex 7. Metaph. cap. 12, text. 43.

11. Probatur quartò: quia species infimæ sunt essentialiter perfectiores generibus, quibus subiectæ sunt, ut ostendemus infra: ergo habent gradum aliquem perfectionis essentialis, qui in illis generibus non reperitur: non haberent autem si non darentur differentiae propriæ, & infimæ. Antecedens communiter conceditur, in his saltem speciebus, in

quibus differentiæ eleuant genus ad altiorem gradum naturæ, ut est animalium, quod eleuat corpus mixtum ad gradum viteæ, & rationale, quod eleuat animal gradum intellectui. Consequens autem probatur, quia si in specie infima non erint nisi differentiæ subalternae, quæ in generibus superioribus reperiuntur, non erunt in specie animaliæ in illa, quam in illorum quolibet.

Probatur quintò, quod à gradu imperfetto, quem forma tribuit, videntur vera differentiæ simplex, verbi gratiâ, si ab anima secundum quod constituit animal, oritur sensibile, quod est differentia simplex ex opposita sententiâ, quare ab eadem, consideratâ secundum gradum perfectiorum, sicut quatenus est rationalis, non oritur vera, & propria differentia simplex, & infima?

Probatur sextò. Nam sensibile verbi gratiâ, etiam secundum Porphyrium, est proprium quarto modo hominis: ita vt ei soli, & semper conueniat: ergo differentia, neque rationale, à qua radicaliter profluit, debet illi esse ita propria, vt nulli alteri speciei conueniat, alioquin risibile reperiaretur quoque in illa altera specie: ergo talis differentia est simplex, & infima in homine.

Probatur hæc utraque consequentia. Nam vel mortale, & immortale, quæ iuncta cum rationali, constituunt hominem, & Angelum, vt sensibile dicitur Porphyrius; diuersificant essentialiter ipsum rationale in homine, & Angelo, vel non? si diuersificant: ergo in homine non habet rationem differentiæ subalternae, sed infimæ, & simplicis: si autem non diuersificant; ergo in utroque debet habere easdem passiones, & proprietates: quod est contra Porphyrium, & authores illius sententiarum.

12. Nunc ad argumenta in contarium respondetur: ad primum quidem negando differentias subalternas sufficienter constituere, & distinguere species infimas: quod satis ostendunt argumenta iam facta. Vnde quando Aristoteles, & alij, plures differentias subalternas assumunt in definitione alicuius speciei, dicendum est tales differentias esse accidentales rei definitæ, tantumque adhiberi ad declarandam aliquam ratione differentiam propriam, & ultimam, quæ alioquin ignota est.

Vnde, cum numerus adæquate dividatur in primum, & non primum, tum etiam in parem, & non parem: non possunt illæ omnes differentiæ essentialiter illum dividere: quia idem genus semel tantum in species dividit potest; atque adeò quædam ex illis differentijs sunt necessariò accidentales speciebus subiectis. Et hac ratione debet intelligi Aristoteles loco citato posteriorum: in Topicis autem, & alibi loquitur de differentijs genericis, quæ prædicantur de pluribus, quam species infimæ.

Quod autem hæc sit mens Aristotelis patet ex 7. Metaph. cap. 12, vbi, postquam dixit in differentijs dividendis tandem procedendum esse, donec veniantur ad non differentia, id est ad ultimas differentias, quæ in alias dividii non possint: sic concludit. *Sigilatur hæc ita se habeant, manifestum.*

stum est , quod ultima differentia , rei substantia erit , & definitio . Et paulo post . Si igitur differentia differentia fiat , una qua ultima est , erit species , & substantia . In quibus evidenter patet Auctoritem differentias ultimas , aequales species pluribus vitudinis . Vnde 4 . Topic . cap . I . satis ante finem , expetit ait differentiam dici de pluribus , quam speciem , aut de aequalibus , ergo ex mente eius datur differentia aequalis species .

Quod spectat ad auctoritatem Porphyrij , dum priores differentias in definitione specierum insimularum apponit , eodem modo assumus cum interpretari , quo Aristotelem . Quando vero definiuit differentiam de pluribus , specie differentibus , praedicabilem . Vel solam generalem comprehendere voluit , ut censet Scotus q . 27 . in Porphyrium , & alij fecerunt communiter , quia scilicet notior est , & eius usus frequentior in divisionibus , disputationibus , &c . vel quia tradidit alias definitiones utriusque conuenientes : vnde cap . II . & 12 . praedicabilium ait differentia in pluribus saepe speciebus consideratur . Differentia de pluribus saepe speciebus dicitur . Vbi particula saepe , indicat hoc non tempore contingere . Denique dicunt alij ipsum talem definitionem non attulisse ex propria sententia : vnde his verbis vtitur . Atque etiam hoc modo eam definiunt .

## SECVNDA PARS SECTIONIS.

### Defenditur opposita sententia .

13. **R**AFAEL de Auera q . 13 . se ct . 3 . medium tenens viam , assertit quasdam esse species , tum infimas , tum subalternas , habentes sibi proprias , & adaequatas differentias ; quasdam vero non habentes : & ita conciliantur discrepantia tum Aristotelis , tum Porphyrij loca .

Regulam autem generalem ad cognoscendum quae species habeant adaequatas sibi differentias , quae non , hanc tradit . Quando differentia perfecte praescindit a genere , tunc potest extra illud inueniri , & consequenter non est propria speciei , quam sub illo genere constituit : si autem non perfecte praescindat , sed in suo conceptu essentiali genus includit , de quo infra se ct . 5 . tunc propria est speciei , quam constituit , nec extra genus illud inuenitur .

Verbi gratia Rationale sumptum pro intellectivo , dependente aphantasmatis , & a cognitione sensitiva , est differentia adaequata homini , nec extra genus animalis inueniri potest . Item sensitivum est differentia adaequata animali sub genere viuentis , nec in alio genere potest inueniri . At quando

do corpus diuiditur in viuens, & non viuens, differentia viuentis inuenit in Angelis, & sic non est propria, & adæquata corpori. Similiter dum quantitas continua diuiditur in permanentem, & successivam, tales differentia reperiuntur in quantitate discreta, & constituunt numerum, & orationem.

Præterea dum habitus diuiduntur in intellectuales & morales: ratio intellectualis conuenit actibus, & excurrit extra genus habitus, ideoque non est differentia habitus adæquata. Vnde in definitione huiusmodi specierum non vnicam differentiam adhibere oportet, sed plures, quarum qualibet latius patebit specie definita: simul autem sumptæ, cum ipsa conuertentur: & sic tempus definietur *quantitas continua successiva*: *oratio quantitas discreta successiva*, &c. his præmissis. Respondendum est ad argumenta præcedentis sectionis, vt sequitur.

14. Ad primum igitur nego antecedens: ad cuius probationem dico eandem speciem posse sub generibus disparatis constitui. Nam homo ponitur sub genere substantiæ intellectuæ, & sub genere substantiæ corporeæ, quæ non sunt subalternatim posita. Item voluntas est sub genere potentiaæ appetitiuæ, & sub genere potentiaæ spiritalis, & rationalis. Rursus cælum ponitur sub substantia corporea, & sub substantia incorruptibili, quorum neutrum ponitur sub alio: æquè enim primò, & immediate diuidi potest substantia in corpoream, & incorpoream; atque in corruptibilem & in incorruptibilem: & sic vnum æquè latè patet, ac aliud: & non est maior ratio, cur incorruptibile ponatur sub corporeo, quam corporeum sub incorruptibili.

Neque inde sequitur speciem constitutam, esse aggregatum per accidens, & veluti acerutum multorum prædicatorum sine ordine, & proportione, quia talia prædicata non sunt veluti partes Physicæ, ex natura rei distinctæ, sed tantum concipiuntur per diuersos actus intellectus cum fundamento in re, prout eadem species conuenit, vel differt ab alijs. Nam idem essentiale prædicatum potest sumi vel vt genus, vel vt differentia, si ad diuersa comparetur: vt intellectuum potest constitui pro genere hominis, communi ei cum Angelis: & pro differentia ratio corporei, vel mortalis, vel sensitivæ: aut è contrâ potest sumi pro genere sensitivum, vel viuens, quo conuenit cum alijs animalibus; pro differentia vero ratio intellectuvi.

Alia, quæ vt absurdâ in argumendo ponuntur, sequentur quidem, si genera collocarentur immediate vnum sub alio, sed vocari possunt subalternata, modò vtrumque ponatur sub tertio, quod est genus ipsorum: & tunc differentiæ sumptæ non patent latius tali communi genere, licet latius pateant quouis aliorum, vt patet in definitione ternarij: nam impar non latius patet numero: & de his loquitur Aristoteles loco citato posteriorum.

15. Respondeo ad secundum, comparationem generis cum materia;

& differentiæ cum forma , non valere in omnibus , quia fit transitus à genere Physico ad Metaphysicum. Vnde , licet forma , quæ constituit compositum Physicum in ultimo esse Physico , sit vna , & simplex: pof sunt tamen in ea distingui multi gradus , multaque prædicata essentialia , ratione quorum differat , aut conueniat cum alijs multis rebus. Et ita anima rationalis in gradu intellectu conuenit cum Angelis ; in gradu sensitivu ab ijsdem differt: & per gradum sensitivu conuenit cum anima brutorum ; per gradum verò intellectu ab ea differt. Vnde hæ duæ rationes , aut aliæ similes , simul sumptæ constituunt animam rationalem in suo esse , eamque à cœteris rebus distingunt: quæ sigillatim tamen acceptæ , rebus alijs sunt communes. Et ita de alijs est Philosophandum,

Respondeo ad tertium , rationem differentiæ , & rationem generis se mutuò determinare. Sic enim intellectuum , commune Angelo & homini , determinatur ad hominem per sensibile , siue animal: & sensibile commune homini , & cœteris animalibus , determinatur ad hominem per intellectuum: & ita de alijs. Vnde absurdum non est vnum , & idem comparatione diuersorum , habere modò rationem generis , modò rationem differentiæ , modò materiæ , modò formæ ; & esse nunc magis commune altero , nunc minùs. Cūm enim talis determinatio non sit aliqua realis causalitas , sed pendeat ab intellectu cum fundamento in re , potest nunc pro uno , nunc pro altero facile exerceri , vt patet in exemplis allatis , secundùm quod multiplex similitudo , vel dissimilitudo cum alijs multis rebus postulare videtur.

16. Respondeo ad quartum , non omnem speciem esse perfectiorem genere ratione differentiæ , ex probabili sententia , de qua fecit .6. in his autem , in quibus differentia eleuat genus ad statum nobiliorem , facile est ostendere perfectionem speciei supra genus: vt , si homo constituantur per rationale mortale , patet quod per rationale nobilior est quam animal genus. Et si Angelus esset animal rationale immortale , vt voluit Porphyrius , excederet in perfectione animal , non tantum per rationale , sed etiam per immortale.

Deinde : etiam si quælibet differentia dicatur perfectior suo genere , quia habet rationem actus , & formæ respectu illius , non ideo contingent , quæ in consequentia ponuntur : quia , dum in aliqua specie constituenda plures differentiæ subalternæ concurrunt , illæ omnes non sunt differentiæ generum , directè sibi subalternatorum , sed subalternatorum vni tertio , vt dictum est: ideoque non reperiuntur simul sumptæ in aliquo alio , nisi in specie constituta : quo fit vt maior in ea sit perfectio , quam in quoquis genere superiori , vt potest facilè ex iam dictis intelligi.

Respondeo ad quintum , aliquando oriri à gradu , tum perfecto , tum imperfecto formæ , differentiam simplicem , vt constat ex supra dictis ; aliquando verò non , ob diuersarum rerum conditiones ; cā saltem ratione , vt talis differentia sufficienter constituat speciem , eamque ab alijs

sufficienter distinguat , vt patet in rationali , sumpto in communi pro simplici gradu intellectui , quod non distinguit sufficienter hominem ab Angelo. Patet item in forma Metaphysica , respe&tu temporis v. g. quod exigit tum rationem continui , tum rationem successivi ad sui constitutionem.

Respondeo ad sextum , rationale , quandiu intelligitur præcism ab animali , à corpore , à sensu , &c. esse commune Angelo , & homini , & vt sic , non intelligitur esse risibile , seu principium risibilitatis : quatenus verò intelligitur coniunctum gradui sensu in corpore idoneo , tunc intelligitur esse principium risibilitatis , quæ est consequenter proprietas , soli homini conueniens , non Angelo. Neque enim necesse est formam , aut differentiam habere ubique easdem proprietates. Nam anima non habet sensum in ossibus. Item genus , v.g. animal , non habet visum in talpa , nec gressum in conchilijs , &c. Et hoc non variat essentiam , aut conceptum rationalis : sicut rationale non variat essentiam , aut conceptum animalis : & eodem modo Philosophandum est in alijs.

## S E C T I O III.

*Vtrum differentia sit uniuersalis in ordine ad speciem , quam constituit.*

17. **D**IFFERENTIAE plurima conueniunt officia , vt notat Scotus in 2. d. 3. q. 6. numero 11. 12. 13. & colligi possunt ex definitionibus , quas tradit Porphyrius hoc capite. Primum est dividere genus , & ipsum contrahere , seu determinare ad varias species eo modo , quo forma Physica determinat materiam primam ad diuersa composita . sicut enim adueniente formâ ignis , materia prima , ex se indifferens , fit propria ignis: ita per hinnibilitatem coarctatur animal ad equum , per rationalitatem ad hominem , & ita de alijs.

Secundum munus , quod ex præcedenti nascitur , est constituere speciem : & hoc utrumque comprehenditur primâ definitione differentiæ: nimurum , *differentia est quæ species excedit genus.* Additâ enim differentiâ ipsi generi , simul contrahitur genus , & constituitur aliqua species , vt explicatum est.

Tertium officium est , speciem constitutam , à cæteris omnibus , sub eodem genere contentis distinguere: *per illud enim res qualibet ab alijs distinguitur , per quod constituitur* , vt habet axioma commune. Differentiæ autem iuxta tertium hoc officium , adaptari potest *tertia eius definitio : differentia est quæ vim habet secernendi ea , quæ sunt sub eodem*

genere. Atque etiam quarta, scilicet, *differentia est id, quo singula differunt.* Cum obseruationibus tamen lectione primum allatis.

Quartum denique officium est praedicari de multis *in quale quid:* cui quadrat secunda definitio, superius assignata.

Ex his patet differentiam tripliciter posse comparari; primò ad genus, quod contrahit, ut rationale ad animal: secundò ad speciem, quam constituit, ut idem rationale ad hominem: tertio ad inferiora illius speciei, ut ad Petrum, Paulum, &c. Et potest addi quarta comparatio, ad propria nimis inferiora sua, de quibus potest praedicari tanquam species, ut rationale de hoc, & illo rationali in particulari.

Quærimus ergo hic, per quem respectum, & respectu cuius termini ex epumeratis constituantur differentia in esse vniuersalis, & tertij praedicabilis: pro quo.

18. Dicendum est primò differentiam non habere rationem vniuersalis per ordinem ad genus, quod diuidit. Ita communiter Philosophi. Probatur primò, quia vniuersale dicit ordinem ad multa: genus autem diuisum à quauis differentia, est unicum, ut animal respectu rationalis, & irrationalis.

Secundò: vniuersale intelligitur esse semper aliquid superius; comparatum ad ea, respectu quorum est vniuersale: hic autem contrarium euenit: nam genus est potius superius, & latius patens differentiam, ipsum dividente, & contrahente.

Tertiò: differentia, ut est tertium praedicabile, dicitur *in quale quid,* & essentialiter: at non dicitur essentialiter de genere: neque enim rationale est de essentia animalis, alioquin ipsum ubique comitaretur, & sic reperiretur in bruto; ergo respectu generis non potest habere vniuersalitatem differentiae.

Dices: differentia dicitur praedicari *in quale*, & per modum formæ adiacentis; sed non est forma adiacens respectu speciei, quam constituit neque respectu individuorum illius, quia ea in esse constituit: quod autem adiacet alicui, supponit illud in suo esse constitutum: ergo tantum praedicatur *in quale* de genere, & ita respectu illius tantum, est vniuersale.

Deinde: ista praedicatio, *animal est rationale*, vera est, & formalis, quia rationale habet rationem formæ respectu animalis, & animal rationem materiæ recipientis rationale: ergo pertinet ad aliquod praedicabile, non ad aliud quam ad tertium, seu differentiam, ut videtur: & ita differentia habet rationem vniuersalis respectu generis.

Respondeo ad primum, differentiam praedicari *in quale*, & per modum formæ, tum de specie, quam constituit; tum de eius individuis: quia ad hoc sufficit, quod generi adiaceat. Pars enim eo modo dicitur esse in toto, quo illud componit, differentia autem componit speciem, diacendo generi, tanquam forma materiæ. Vnde, sicut forma Physica,

dicitur actus corporis naturalis , quia est actus , & forma ipsius materiae: ita differentia dicitur forma speciei , quia est forma generis , ex quo species componitur , ut ex potentia , & materia.

Respondeo ad secundum , differentiam praedicari de genere praedicatione indirecta , non vero formalis , seu directa : quia ad praedicationem formalem non tantum requiritur , ut praedicatum habeat rationem formae , respectu subiecti ; sed in super ut sit superius , vel saltem aquale respectu illius : quod hic non contingit , cum rationale sit inferius ad animal . Vno verbo , cum non praedicetur de eo ad modum vniuersalis , talis praedicatione non pertinet propriè ad aliquod praedicabile : & ad quintum potius , quam ad tertium reuocari deberet , quia conceptus differentiae est extraneus generi , & illi accidentalis.

19. Dicendum est secundò , differentiam non esse vniuersalem in ratione tertij praedicabilis per ordinem ad sua propria inferiora , ut rationale per ordinem ad illud , & illud rationale in particulari . Est communis . Ratio est , quia differentia in ratione tertij praedicabilis praedicatur ut pars formalis essentiae , & in quale quid , ut dictum est sectione 1. at quando praedicatur de suis proprijs inferioribus , praedicatur simpliciter in quid , & ut tota eorum essentia communis , ut in ipsis propositionibus , hoc rationale est rationale : hoc sensibile est sensibile : & consequenter , ut sic , habet rationem speciei , non vero tertij praedicabilis , sive differentiae , ut in simili dictum est de genere q. 1. numero 45. in fine.

Obijcies : vniuersale , & particula sunt correlativa , & quodlibet vniuersale habet sua propria particularia , respectu quorum est vniuersale : sed differentiae particularia non sunt species , neque individua specierum ; sed haec , & illa differentia particularis : ergo , &c. Probatur minor : nam propria particularia rationalis non sunt homo , nec Petrus , & Paulus , quia homo est correlatum generis , & Petrus speciei.

Respondeo , eandem rem materialiter sumptam posse ad multa referri , & multorum terminare relations . Nam idem homo refertur ad genus , & ad propria individua . Idem Petrus refertur ad animal , ut ad genus : & ad hominem , ut ad speciem . Quatenus ergo refertur ad animal est inferioris , & particula generis : quatenus refertur ad hominem , est particula , & correlatum speciei : & consequenter ut respicit differentiam , tanquam partem formalem sui , & suæ essentiae constitutuam , est particula differentiae . Vnde hic attendenda sunt rationes formales praedicabilitatis , & subiectibilitatis ; non vero tantum natura in esse rei , & materialiter sumpta .

20. Dicendum est tertio differentiam non constitui in esse vniuersalis per ordinem ad speciem , quam constituit ; sed per ordinem ad individua illius speciei . Est contra Toletum hoc capite , dubio 4. & alios quosdam recentiores .

Probatur primò auctoritate Porphyrij , definientis differentiam , non

per ordinem ad speciem, sed per ordinem ad inferiora speciei.

Probatur secundò ex definitione vniuersalis, quā dicitur *vnum ap-tum inesse multis, & prædicari de multis.* Non est autem aptum incelle multis, & prædicari de multis respectu speciei, quam constituit, quia hæc vnicam est: vt rationale constituit vnicam speciem, scilicet hominem: sensibile item vnicam, nempe animal: & ita de alijs.

Denique vniuersale semper est aliquid superius ad ea, quorum respectu est vniuersale, vt nomen ipsum indicat: at differentia non est quid superius ad speciem, quam constituit, sed quid æquale, cum valeat subsistendi consequentia ab alterutro ad aliud: si enim est animal, est sensibile; & si est sensibile, est animal: & sic de alijs.

Obijcies: hæc prædicatio, *homo est rationalis*, est formalis, & directa; ergo est alicuius prædicabilis; non alterius autem, quam differentia: ergo differentia est vniuersalis in ordine ad speciem, quam constituit.

Deinde: per illud habet differentia vt sit vniuersalis, per quod habet vt sit differentia: nam differentia, vt sic, est vnum ex quinque vniuersalibus; sed habet vt sit differentia per ordinem ad speciem, quia per eum dicitur esse pars formalis, & constitutiva illius, per quod discrepat a ceteris vniuersalibus.

Tertio: genus constituitur in esse vniuersalis per ordinem ad species, quia de illis immediatè prædicatur: non autem per ordinem ad individua: ergo similiter differentia debet constitui in esse vniuersalis per ordinem ad speciem, quia de ea immediatè prædicatur; de individuis autem tantum mediante specie.

21. Respondeo ad primum, talem prædicationem reduci posse ad tertium prædicabile, quia id quod prædicatur, constituit tertium prædicabile, si comparetur ad individua, seu inferiora speciei. Et ideo aliqui vocant talem prædicationem, *tertij prædicati*. Per se autem directè non est tertij prædicabilis; sed potius pertinet ad *prædicabile de uno tantum*, quod continet individuum, & alias prædicationes isti similes.

Respondeo ad secundum sicut in simili dixi de specie sect. 2. videlicet differentiam duo includere, nimirum rationem communem vniuersalis, positam in respectu ad multa: & rationem particularem, per quam constituitur in esse talis vniuersalis, positam in ordine, & respectu ad speciem, ad quam comparata, dicitur pars formalis, perfectiva, & actualis: & per hanc rationem particularem contrahitur vniuersale in communi, & fit tale vniuersale, à ceteris diuersum: sicut per rationale contrahitur animal ad hominem, & fit tale animal, diuersum à ceteris.

Sicut ergo rationale, vt sic, non est formaliter animal, sed solum differentia animalis, vt dicam sectione sequenti: ita differentia, vt sic, formaliter, & in ordine ad speciem, non est vniuersale, sed differentia vniuersalis. Absolutè tamen loquendo potest concedi differentiam vt differentiam, esse vnum ex quinque vniuersalibus, & vt sic esse vniuersalem:

quia ut est tertium vniuersale, & dicitur absolutè differentia, utramque rationem includit, scilicet ordinem ad speciem, & ordinem ad inferiora specie: licet per illum non sit vniuersalis, nisi materialiter; per istum vero formaliter.

Respondeo ad tertium: negando paritatem. Genus enim est vniuersale per ordinem ad ea, quæ immediate respicit, scilicet species, quia multa sunt: at illud, quod differentia respicit immediate, est vnum, non multa; & sic in ordine ad illud, nequit esse vniuersalis. Sicut autem genus est vniuersale, etiam respectu eorum, de quibus mediate tantum dicitur, hoc est, respectu individuorum, ut ostendimus q. i. sectione 8. ita differentia potest dici vniuersalis respectu eorum, de quibus mediate tantum dicitur.

Instabis: quando genus prædicatur de vna tantum specie, v. g. animal de homine, est vniuersale, & genus, quia nihil prohibet ipsum prædicari de multis alijs speciebus: ergo similiter differentia, dum prædicitur de sua specie, erit vniuersalis, quia potest prædicari de individuis talis speciei. Nam, licet Physicè æqualis sit speciei; Logicè tamen habet rationem superioris, quia prædicatur de pluribus, quam species, nimirum de specie, & individuis; species autem de solis individuis. Adde quòd dum prædicatur de specie, talis prædicatio æquivalet prædicationi de individuis: tum quia individua virtute continentur in specie: tum quia illud, quod prædicatur essentialiter de specie, prædicabile quoque est de inferioribus speciei.

Respondeo ad primum, negando paritatem, quia omnes generis species adunantur in vna communi ratione, ab ipsis abstracta, quæ indifferenter, & vuniformiter omnes illas respicit, & ab ipsis omnibus contrahitur, in eisque multiplicatur: quo sit, vt dum prædicatur de vna, sit proximè prædicabilis de quavis alia: at species, & individua non adunantur hoc modo in vna communi ratione differentiæ, quæ sit ab utrisque abstracta, & in utrisque multiplicata: non enim multiplicatur in specie, sed in individuis solum: neque ut abstrahitur ab specie, abstrahitur ut superioris ab inferiori, sed ut forma à subiecto, & materia: & ideo, cum de illa prædicatur, non habet rationem vniuersalis, aut superioris, alioquin nulla esset prædicatio æqualis de æquali, contra communem opinionem.

Respondeo ad secundum, inde tantum concludi posse, differentiam respectu speciei, esse virtualiter vniuersalem. Quia enim species continet sub se plura; hinc est quòd differentia talis speciei dici possit de pluribus: at ut sic, non est formaliter vniuersalis: tum quia individua, ut virtute continentur in sua specie, sunt potius simpliciter vnum, sicut ipsa species, quam multa: tum quia, dum differentia prædicatur de specie, species habet rationem subiecti, & ut sic respicit suum prædicatum, nempe differentiam; non vero sua inferiora, seu sua individua: & consequenter ut sic præcise, illa non continet virtute, sed tantum ut intelligitur esse prædicabilis de illis per alium respectum.

23. Cœterū, quamvis vltima ista conclusio vera sit de differentijs infinitis, quæ propriæ sunt infinitis speciebus, cum eisque conuertuntur: tamen secundo sententiam illam, quæ aliquas species per plures differentias subalternas constitui contendit: siue quæ afferit eandem speciem posse sub duobus generibus non subalternatis reponi, vt sectione præcedenti à numero 12. explicatum est: dicendum est cum Auersa q. 12. i.e. 3. aliquas differentias prædicari de pluribus speciebus, & sic esse vniuersales respectu illarum.

Exemplum afferre possumus de quantitate continua, quæ diuiditur in permanentem, & successiuam: & similiter quantitas discreta diuiditur in permanentem, & successiuam, numerum scilicet, & orationem: & sic ratio successivæ, est differentia, quæ dicitur de pluribus speciebus quantitatis, sub diuersis generibus constitutis: atque adeò respectu illarum potest habere propriam vniuersalis rationem.

Similiter substantia corporea diuiditur in viuentem, & non viuentem: viuens autem est differentia conueniens, non solum corpori animato, sed etiam Angelis, qui sunt in genere diuerso à corpore: & ita prædicari potest de multis speciebus, ac proinde in ordine ad ipsas vniuersalis est.

Verum, istarum rationum solutionen habes sectione præcedenti, numero 12. nimirum quando genus aliquod adæquatè diuiditur duplii divisione, alteram esse illi accidentalem, cuiusmodi est diuisio quantitatis in permanentem, & successiuam: ideoque ratio successivæ potest pluribus speciebus conuenire, de eisque prædicari, sicut albedo de cygno, niue, calce: sed non prædicatione differentiæ, quæ est tertium prædicabile, & de qua est hic sermo. Similiter ratio viuentis, quæ conuenit Angelis, est omnino disparata, & extra genus viuentis, quod conuenit corpori animato: vnde non debet dici quod eadem differentia prædicetur de diuersis speciebus, à se constitutis.

#### S E C T I O I V.

### *Vtrum differentia inferior includat formaliter superiores.*

24. **S**ENSUS huius questionis est, an differentia inferior sit ita conceptus simplex in se, vt in sua ratione formaliter, & præcisa nullam differentiam superiorem includat: adeò vt propositiones istæ veræ sint, *rationale ut rationale formaliter, non est sensibile: sensibile ut sensibile formaliter, non est viuens.* Quod si huiusmodi reduplications,

cationes, & præcisions non addantur, dubium non est quin inferior differentia includat superiores, in sensu nimirum materiali, & identico. Nam rationale *v.g.* ex modo significandi dicit rationalitatem, & id, in quo est rationalitas, ac proinde hominem, omniaque prædicata superiora, quæ in homine includuntur, scilicet sensituum, viuens, corporeum, &c. Et deinde hæc omnia realiter identificantur in homine, nisi forte corporeum excipias: ideoque in sensu materiali, & identico, rationale est animal, viuens, corporeum, substantiale. Procedit igitur quæstio ista in sensu formali, in quo.

25. Dicendum est differentiam inferiorem non includere formaliter superiorem. Ita Philosophi communiter, ferè omnes: citantur tamen nominales pro contraria sententia, & Soncinas eam defendit exercitij gratiâ, 7. Metaph. q. 37. Auersa verò ex parte sequitur q. 13. sect. 5. cuius opinionem explicabo sectione sequenti.

Probatur primò conclusio ex Arist. 4. Topic. c. 1. longè post medium, vbi habet, *omne quod participat genus, vel species est, vel individuum: differentia autem neque species est, neque individuum: manifestum igitur quod non participat genus differentia.* Idem habet 7. Metaph. cap. 12. sub initium: & lib. 3. cap. 3. textu 10. ait genus non prædicari de differentijs; & ideo ens non esse genus, quia non habet differentias, in quibus non includatur. Vnde licet inferre, *differentia non participat genus; ergo neque superiore differentiam.* Quod enim non participat animal, non participat sensituum. Item genus non prædicatur de differentijs, ergo non includitur in illis formaliter.

Probatur secundò. Differentia, & genus se habent ut actus, & potentia, & ut partes componentes speciem, ex communi sententia post Aristotelem 7. Metap. c. 10. & 12. omnis autem pars in quauis compositione præscindit ab alia, nec eam in sua formalis ratione includit, alioquin non esset alia, & alia pars. Item actus est extra rationem potentiarum, alioquin idem esset formaliter, & sub eadem ratione, actus, & potentia, quod est absurdum. Cùm ergo non tantum genus contrahatur per differentias; sed etiam ipsæ differentiæ superiores contrahantur, & dividantur vñà cum genere per inferiores, ut docet Aristoteles 7. Metap. c. 12. in medio, ab eisque perficiantur sicut genus; necesse est eas esse extra essentiam, & rationem formalem inferiorum.

26. Probatur tertio: quia si rationale *v.g.* ut rationale formaliter, esset sensituum, homo non differret ab alijs animalibus: conuenit enim vniuersaliter cum ipsis in ratione animalis, & sensitivi; & conueniret etiam per rationale, ut sic; ergo nullo modo ab eis differret: quia rationale solum ponitur pro essentiali differentia illius à coeteris. Vnde vterius sequeretur, ipsum bis esse sensituum, semel ratione differentiæ superioris, nempe sensitivi; & semel ratione infirmæ, nempe rationalis; & sic esse plura animalia. Quod est argumentum Aristotclis 6. Topic. cap. 3.

multò post medium : & inculcatur à Iauello 3. Metap. q. 2. aliquantò post initium.

Probatur quartò: quia differentia esset idem cum specie ; diceret enim totam rei essentiam ; genus nimirū in ratione differentiæ superioris ; & differentiam , ratione inferioris : & ita definiendo hominem , satis esset dicere , *homo est rationale*. Et si diceretur *animal rationale*, esset nugatio , & bis idem repeteretur : idem enim esset ac dicere, *homo est animal, animal rationale* : vel *est sensibile, sensibile rationale*. Quod vitandum monet Aristoteles 7. Metap. c. 12.

Probatur quintò. Differentiæ vltimæ sunt primò diuersæ , hoc est, se totis differunt , & in nullo conueniunt ; ergo non includunt differentias superiores. Consequentia est clara. Si enim rationale , & hinnibile in cluderent sensituum , in eo conuenirent. Antecedens verò est Aristote lis , loco Metap. proximè citato , vbi ait tandiù procedendum esse in differentijs diuidendis , donec veniatur ad non differentia , id est , omnino di uersa , & quæ in nullo conueniant.

Distinguit enim ipse diuersum à differenti , lib. 5. cap. 9. Metap. & lib. 10. cap. 3. quodd necesse sit differentia , in aliquo conuenire , & per aliud discrepare ; non autem diuersa : quia quodlibet potest esse diuersum ab alio per seipsum. Et ratio etiam illius antecedentis est manifesta : quia si differentiæ vltimæ , non sunt omnino diuersæ , debent in aliquo conuenire , & per alias differentias differre. Quæram ergo de illis alijs differentijs , an sint se totis diuersæ , & in nullo conuenientes ? & sic habebitur intentum : an verò per alias differentias differant ? & sic dabitur processus infinitus in differentijs. Quod est absurdum.

27. Obijcies primò Aristotelem 7. Metap. c. 12. vbi ait , nihil referre siue in definitione ponantur omnes differentiæ superiores , siue sola vltima , quia vltima est rei substantia , & definitio , & consequenter omnes superiores includit. Vnde fieret nugatio , si aliqua ex superioribus pone retur cum vltima , vt si diceretur , inquit , *homo animal bipes, habens pedes* , quia bipes , quæ est differentia infima , dicit habens pedes. Dicit etiam ibidem quod ad inueniendam vltimam differentiam , diuidenda est superior per inferiores , quæ sint per se diuersæ illius , vt animal habens pedes , non debet diuidi per plumiferum , & implum , quia hæc non conueniunt ei prout habet pedes ; sed per habere pedes fissos , & non fissos . *Nam fissio pedum, aliqua peditas est* , inquit. Vbi peditas , quæ est differentia superior , dicitur de inferiori , scilicet fissione. Et verò membra diuidentia debent participare naturam diuisi.

Respondeo Aristotele in hic repeteret doctrinam , à se traditam 2. post. c. 14. nimirū definitionem speciei infimæ posse tradi duobus modis , primo , pónendo in ea supremum genus , & omnes differentias inferiores inclusa vltimā , vt si dicas , *homo est substantia corporea, animata, sensitiva, rationalis*. Secundo , ponendo genus proximum , & vltimam

differentiam sic, *homo est animal rationale*. Nihil autem refert utrouis modo definitionem tradas: non quod ultima differentia includat formaliter superiores, sed quia genus proximum, in definitione positum, includit genus supremum, & differentias intermedias: unde si adderetur aliqua differentia superior, inutiliter adderetur, ut si dices, *homo est animal rationale sensituum*. Et ita explicat Aristotelem diuus Thomas ibi lect. 12. & Scotus in 4. sent. d. 11. q. 3. num. 48. §. ad rationes.

Dicit autem differentiam infimam, esse rei substantiam, vel quia est pars praecipua illius, ut ait Alexander: vel quia omnium superiorum differentiarum munera exequitur, virtutemque earum continet, sicut anima rationalis praefat officia vegetantis, & sentientis. Ita D. Thomas ibi. Vel denique est tota rei substantia completiore, quia est ultimus actus, & complementum illius. Ita Scotus loco citato, num. 47. & q. 17. super Porphyri. Vno verbo loquitur Aristoteles in sensu identico, & materiali, non vero formaliter: unde in illo verae sunt istae prædicationes, *rationale est sensituum*: *fissio pedis est peditas*; non vero in isto. Vel sensus est, inquit Scotus numero 49. *fissio pedis est pedalitas*, hoc est, per se particulat pedalitatem, & ideo per se diuidit habens pedes.

28. Obijcies secundò. Rugitus, ut rugitus formaliter, est operatio animalis, seu est formaliter sensatio: ergo debet procedere à principio formaliter sensitivo: sed procedit à rugibili, ut rugibile est, seu ut est differentia leonis: ergo rugibile differentia inferior, est formaliter sensibile, quod est differentia superior.

Respondeo, rugitum includere duplē formalitatem, alteram generis, alteram differentiæ. Est enim sensatio, & talis sensatio: prout est sensatio, prouenit ab animali, seu à natura sensitiva; prout est talis sensatio, prouenit à tali animali, seu à tali natura sensitiva, contracta per rugibilitatem: & ita in contractione, seu determinatione actionis communis, hoc est, sensationis, non includitur sentire, sed præsupponitur: sentire quippe conuenit animali in communi, sed non tali, vel tali modo: unde modum illum accipit à differentia: & ideo falsum est quod modulus ille, seu formalitas differentiæ, sit formalitas generis intrinsecè.

Quare negari debet antecedens obiectionis. Neque enim rugitus formaliter, ut præcisè dicit formalitatem à differentia leonis prouenientem, est sensatio, sed formalitas, & differentia sensationis: atque adeò illam tantum connotat, & contrahit, non vero in suo conceptu intrinsecè, & transcendentaliter includit: & ita eius principium non debet esse formaliter sensituum, sed solum differentia sensitivi.

Neque aliter respondendum est dum obijcitur: rationale est substantia, ergo est corporea, vel spiritualis; & ita differentia superior prædicatur de infima. Vera enim est prædicatio tantum in sensu identico, & materiali. In formaliter quippe rationale non est substantia categorica, sed differentia substantiæ: neque est corporea, nisi extrinsecè, & connotatiuè.

quia est differentia substantiae alicuius corporeae, nempe hominis. Dixi nou esse substantiam categoricam, quia est quidem substantia, prout substantia distinguitur contra accidens. Verum.

29. Obijcies tertio. Differentiae diuidentes substantiam in spiritalem, & corpoream, sunt intrinsecè substanciales, quia species substancialis non possunt constitui differentijs non substancialibus: sunt etiam intrinsecè inclusæ in inferioribus differentijs. Nam differentia constitutiva speciei cherubim, non potest non esse spiritualis formaliter, & intrinsecè, quia si abstrahat à spiritali, & corporeo, erit indifferens ad utrumque, & sic poterit in specie corporea reperiri: quod est absurdum.

Similiter dum relatio diuiditur in suas species per differentias: vel differentiae sunt essentialiter relatiæ, vel absolutæ, vel abstrahentes ab absoluto, & relatio non absolutæ, vt patet, quia relatio non potest contrahi per quid absolutum. Neque sunt abstrahentes ab utroque, quia idem sequeretur absurdum: communes enim essent, etiam entibus absolutis. Sunt ergo relatiæ, & ita differentia includant genus; atque adeò superiores differentias, generum constitutivas.

Hoc etiam potest ostendti in genere viuentis, quod diuiditur in vegetativum, sensitivum, & rationale. Nam ratio viuentis posita est in eo quod viens se ab intrinseco moueat, & perficiat immanenter, vt dicitur in libris de anima. At neque vegetativum, neque sensitivum, neque rationale possunt praescindere ab illa ratione viuentis: sed intrinsecè includunt posse immanenter, seu vitaliter operari.

Præterea dum linea definitur longitudi natus expers, vel quantitas longa sine latitudine: tunc longitudi nus est differentia lineæ; & tamen intrinsecè includit quantitatem, quia longitudi nus est essentialiter extensio, quæ idem est, ac quantitas.

Denique rationale coarctatum ad hominem, quatenus ipsum distinguit, non solum à brutis, sed etiam ab Angelis, includit essentialiter, & formaliter sensibile: nam vt sic, dicit ordinem adphantasmata, & dependentiam à cognitione sensitiva, quia non potest aliter differre à rationali Angelorum, maximè si ipsi discurrent, vt probabilis habet opinio.

Respondeo, ad hæc omnia sufficere solutionem proximè datam. Hæc enim solum probant differentiam connotare genus, illud determinare, & ad ipsum ordinari; seu includere ipsum extrinsecè, non vero essentialiter, & transcendentaliter. Vnde ratione huius connotationis, & ordinis potest dici, quod differentia relationis non abstrahit ab absoluto, & relatio: neque differentia cherubim est indifferens ad corporeum, & spiritale, quia est intrinsecè ordinata ad constituendum quid spirituale: sicut differentia similitudinis &c. g. ad constituendum quid relativum. Eadem ratione accidens includit in suo conceptu substantiam, & dicitur ab Aristotele ens.

30. Obijcies quartò vulgare istud argumentum in D A R A P T I. om-

*nis homo est formaliter sensitivus: omnis homo est formaliter rationalius: ergo rationale est formaliter sensitivum.* Est enim in forma, & præmissæ sunt veræ; ergo & conclusio, quæ destruit nostram sententiam.

Respondeo primò argumentum esse in forma, & tres eius propostiones veras, etiam in sensu formalis, non tantum identico: nego tamen sententiam nostram destrui per conclusionem, quia in ea rationale supponit, non pro formalis, & præcisæ differencia hominis, sed pro ipso homine, seu supposito rationali, quod importat ex modo significandi concretorum. Et ita verum est quod rationale, hoc modo sumptum, sit formaliter sensitivum, quia utramque rationem includit, & sensibilis, & rationalis.

Respondeo secundò, argumentum non esse in forma, quia mutatur in conclusione modus prædicandi. Nam in præmissis rationalis, & sensitivum prædicantur adiectiū, & *in quale quid*: in conclusione vero sensitivum prædicatur substantiū, & *in quid* de rationali; vt sensus sit *rationalitas est sensibilitas*, alioquin non concluderet intentum.

Respondeo tertio cum Iauello, 3. Metap. q. 2. sub finem, cum Matio, Ruuio, & alijs, conclusionem non esse veram in sensu formalis, quamvis præmissæ in eo sensu veræ sint: quia non est opus, vt duo extremitatē vniōne inter se vniāntur, quantā vniuntur cum medio, seu cum uno tertio. Quod patet in primis Physicē in materia, & forma, quæ realiter, & essentialiter vniuntur cum toto composito; adeò vt utraque sit de essentia totius: at vero inter se omnino distinctæ sunt, nec una est de essentia alterius. Patet item Logicē, & Metaphysicē in isto syllogismo, *omnis homo est animal: omnis homo est sensibilis: ergo sensibile est animal.* In quo præmissæ veræ sunt in sensu formalis: conclusio vero in sensu tantum identico, & materiali. Affert est istud exemplum Iauellus, *homo necessariō est animal: homo necessariō est substantia: ergo substantia necessariō est animal.* Vbi conclusio non valeret, quia potest esse substantia, inquit, remoto quocunque animali. Verum si conclusio fieret particularis, vt esse debet in tercia figura, valeret conclusio, vt patet: vnde pri-  
mum exemplum melius est.

31. Instabis, hanc solutionem non valere in argumēto isto negatiuo, *nullum rationale formaliter est sensibile: omnis homo est formaliter rationalis: ergo nullus homo est formaliter sensibilis.* In quo conclusio est falsa; ergo altera præmissarum; non minor, vt patet; ergo maior.

Respondeo primò, *formaliter* in maiori afficere rationale, vt gradum à sensibili distinctum; in minori vero hominem, vt sensus sit, *homo formaliter vt homo, est rationalis:* & ita mutatur appellatio. Quod si dicatur in minori afficere rationale, ipsa falsa est, quia rationale, vt rationale formaliter, idem sonat ac rationalitas. Falsum autem est, quod homo sit rationalitas, seu gradus præcisis rationalitatis.

Respondeo secundò, concedendo conclusionem: nam in ea homo sumi-

tur formaliter ut homo, hoc est, secundum gradum rationalitatis: in minori autem sumitur etiam formaliter ut homo est, alioquin falsa esset: nam homo rationalis non est, ut animal est. Vnde si in conclusione non sumeretur in eodem sensu, essent quatuor termini. Et hoc maximè verum est in sententia Scoti, in qua hæc propositio est falsa, etiam ex parte rei, *homo ut homo, hoc est, ut rationalis, est substantia, est corpus, viuens, animal*, quia hi gradus distinguntur ex natura rei, & independenter ab intellectu.

Obijcies quinto ex Sonciate. Si differentia infima non includeret subalternas, esset conceptus simpliciter simplex, qui non posset in plures conceptus: e solu: hoc autem est falsum, quia non potest esse simplicior conceptu generis supremi, qui resolutur in conceptum entis, & talis entis, seu modi proprij vniuersitatisque.

Respondeo differentiam infimam, esto dicatur simplicior generibus sup-  
premis; quia est ultimus actus constitutivus essentiae: non ideo tamen est conceptus simpliciter simplex, quia est quid creatum, multum habens potentialitatis. Solus enim Deus est actus purus, & simpliciter simplex.

Ex his patet solutio aliarum quæstionum, quæ cum ista coincidunt, videlicet an genus prædicetur de differentijs, per quas diuiditur: an formaliter includatur in ultimis: an subalternae prædicentur per se de infimis, &c.

## S E C T I O V.

### *Quasdam differentias infimas includere formaliter superiores.*

32. **E**X rationibus contentis in obiectionibus præcedentis sectionis satis apparet opinionem illam probabilem esse, quamvis à paucis defendatur, quæ asserit quasdam differentias infimas non tam omnes, includere formaliter, & intrinsecè differentias, atque genera superiora: ita tamen, ut adæquate, & perfectè eas non includant sed tantum imperfectè, præscindentes ab eis præcisione imperfectâ, & quasi partiali, de qua egimus q. 2. libri 2. numero 9. Vnde quæstio ista procedit in ea sententia, quæ negat distinctionem formalem Scoti inter gradus Metaphysicos. Ut autem problematicè sustineri possit, antequam argumenta contraria soluamus.

Notanda est regula generalis ad cognoscendum quæ differentiae perfectè præscindant à genere, & superioribus differentijs, quæ vero non

præscindant. Quando igitur differentia diuisua generis, & constitutua speciei, ita accipitur ut intelligatur esse propria tali generi, & speciei, nec illi alteri conuenire possit, tunc non perfectè præscindit, sed includit essentialiter ipsum genus. Verbi gratia sensituum, quod diuidit viuens, & constituit animal, est ita proprium, tum viuenti, tum animali, ut de nullo alio dici possit, & ideo essentialiter includit viuens, nec ab eo potest perfectè præscindere.

Si autem talis differentia possit, tum generi diuiso, tum alteri conuenire, tunc perfectè præscindet ab illo genere diuiso, nec illud in suo conceptu includet: quomodo se habet intellectuum, dum sumitur ut genus commune Angelis, & homini; & sensituum, quod potest esse differentia hominis ab Angelis. Ita enim unum ab alio præscindit, ut neutrum includat alterum in suo conceptu essentiali, ut diximus citato loco.

33. Ratio autem huius regulæ perspicua est, quia, cum differentia non tantum conueniat generi quod diuidit, sed etiam alteri: neque adæquata sit una certæ speciei sub tali genere diuiso, sed extra illam excurrat, non potest in suo conceptu essentiali genus illud diuisum includere: sicut genus, quia potest in multis speciebus inueniri, non potest aliquam particularē in suo conceptu essentialiter includere.

Quod autem diximus de differentia inferiori respectu generis, & differentiæ superioris, dicendum quoque est de genere respectu differentiæ: quod nimis genus includat differentias, & species, nec ab eis perfectè præscindat: & hoc satis superne probauimus sectione 4. de genere. Cum hoc tamen discrimine, quod genus includat species, & differentias per modum aggregationis, seu collectionis, & actu tantum confuso, nec prius unam, quam aliam: differentia verò includat genus explicitè, & essentialiter in suo conceptu. Vnde viuens, verbi gratiâ, in confuso dicit totam rationem viuentis intellectui, nec relinquit aliquid in intellectuo, quod non sit essentialiter ratio viuentis, quasi alia sit ratio viuentis, alia intellectui. Intellectuum autem expressè, & determinatè dicit tacitum gradum viuentis, & consequenter includit essentialiter viuens.

Dices: si differentia includit essentialiter, & explicitè ipsum genus, & differentias superiores, non potest dici quod præscindat à genere, & ab illis differentijs superioribus, nec quidem imperfectè: ergo falsa est tradita doctrina.

Respondeo: licet differentia inferior includat explicitè naturam generis, & differentiarum superiorum; ab eis tamen imperfectè præscindit, quatenus non dicit totum quod dicit genus. Genus enim dicit confusè omnes species, & differentias, modo explicato: differentia autem dicit naturam quidem generis, aut differentiæ superioris; at non ut communem omnibus, sed ut determinatam, & propriam speciei, vel individuo, cuius est differentia. Vnde animal dicit confusè rationale, & brutum, & ita est communе utriusque: rationale verò dicit expressè animal, seu

naturam sensitivam, sed determinatam, & propriam factam homini: & sic discriben istud est penes explicitum, & implicitum.

34. Ex his colligi debet constitutionem speciei ex genere, & differentia, aliquando fieri per modum compositionis ex duabus partibus; aliquando per modum maioris expressionis, eiusdem conceptus, & essentiae. Quando enim differentia perfecte praescindit a genere, tunc genus, & differentia concipiuntur tanquam duas partes distinctae, ita ut neutra includat alteram, nec illa seorsim sumpta dicat totam essentiam speciei: & ita intelliguntur simul coniungi ad componendam speciem.

Quando vero una non praescindit perfecte ab altera, tunc non se habent ut partes distinctae; sed qualibet dicit totam essentiam speciei, & conceptus differentiae explicitem, & determinatè continet id, quod conceptus generis continet implicitem, confusè, & indeterminatè: ideoque constitutio speciei tunc fit, non quasi per additionem partis ad partem, sed per explicationem, & maiorem expressionem eiusdem conceptus, ut explicatis constat.

Dicitur tamen species, & eius definitio constitui ex genere, & differentia, quocunque ex duobus modis praedictis se habeant, quia, licet differentia dicat explicitem totam essentiam speciei, quando non praescindit perfecte a genere: tamen dum speciem definimus, ratione distinguimus genus, & differentiam, quatenus altero conceptu concipimus rem confusè, altero explicitem, ex quibus duobus coalefcit definitio. Vnde in ordine ad nostrum modum intelligendi, recte dicitur species absolute constitui ex genere, & differentia: quamvis magis propriè hoc dicatur, quando genus, & differentia perfecte ab inuicem praescindunt.

35. Nunc ad argumenta precedenti sectione facta responderi facile potest. In primis quidem ad Authoritatem Aristotelis ex 4. Topic. & 7. Metaph. desumptam dicitur vel Aristotelem loqui solum de differentijs, quae perfecte praescindunt a genere: vel intelligere de omnibus differentijs in ordine ad distinctionem nostrorum conceptuum. Quando enim concipimus genus, non concipimus determinatè differentiam ullam: & quando concipimus differentiam, licet in tali conceptu includatur natura generis, vt pote eadem cum natura differentiae: tamen non intelligitur sub ratione generis, & ut communis multis; sed ut propria, & determinata ad unam tantum particularē speciem, vel individuum.

Eodemque modo debet intelligi Porphyrius, dum ait differentiam esse, quā species excedit genus, videlicet secundum habitudinem ad nostrum modum intelligendi cum fundamento in re. Ad locum autem ex 3. Metaph. dicitur Aristotelem in toto illo libro, & præsertim loco citato non loqui asserendo, sed dubitando, & inquirendo, ut patet ex ipso tex-  
tu. Præterea tantum hæc ratione, probatur, ens, & unum non esse genera illa, quæ a veteribus asserabantur esse rerum principia, & elemen-  
ta: quia hæc debebant esse partes ex quibus res componerentur; & præter ipsa

ipsa debcbant dari differentiæ, de quibus talia genera non prædicarentur. Vnde ex defcstu distinctionis entis à suis differentijs, non poterat ipsum esse tale genus: & tamen sequi videbatur ex positione antiquorum, ipsum esse maximè principium, vtpote summum omnium genus.

Ad secundum respondetur, hæc omnia indicare tantum nostrum intelligendi modum. Genus enim, conceptum vt genus, intelligitur vt quid potentiale, & actuabile per differentiam, in ratione differentiæ conceptam: & eodem modo intelligitur vt pars præscindens à differentia: & differentia similiter intelligitur vt actus, & vt pars perficiens, & determinans aliam partem, scilicet genus, à cuius natura, seu substrato non præscindit; licet præscindat ab eo vt genus est, modo explicato in responsione primi. Vnde omnia in obiectione allata saluantur, etiam si differentia inferior includat formaliter superiorem, ipsumque genus, vt patet.

36. Ad tertium negatur hominem non differre ab alijs animalibus. Quamvis enim rationale sit formaliter sensituum; illud tamen sensituum est proprium hominis, & specie diuersum à sensituo aliorum animalium: & ita per sensituum, inadæquate, & indeterminate sumptum, conuenit cum illis: per sensituum autem determinate sumptum, ab eisdem differt, quia determinate sumptum idem est a rationale. Vnde homo non est bis sensitius ex parte rei, sed per habitudinem ad rationem tantum, quatenus semel intelligitur sensitius in communi, & vt conueniens cum alijs animalibus: & semel in speciali, & vt differens ab alijs, sicut iam dice.

Quartum conceditur differentiam infimam dicere totam rei essentiam, & definitionem, non secùs ac speciem, & hoc aperte afferit Aristoteles 7. Metaph. c. 12; non ideo tamen satis esset dicere definiendo hominem, *homo est rationale*, quia differentia explicat tantum conceptum proprium speciei, vt differentis ab alijs; non verò conceptum, quo cum alijs conuenit: & ideo debet poni genus in eius definitione. Et quamvis ratio animalis includatur in rationali, non interuenit nugatio, quia non est nugatio, licet bis idem ponatur, si non ponatur eodem modo, sed semel in communi, & postea in speciali: semel substantiæ, & *in quid*, ratione generis: semel adiectiæ, & *in quale quid*, ratione differentiæ. Aristoteles autem tantum reprehendit similem repetitionem, & in verbis eisdem: vt si diceretur *animal bipes, habens pedes*: & sàpe, etiam ex oppositis authoribus, hoc contingit non inutiliter in definitionibus, vt cum dicitur *linea quantitas, vel magnitudo longa sine latitudine, & profunditate*. Nam vocabulum *longa*, dicit magnitudinem, & quantitatem. Item dum dicitur *quantitas bicubita*, non potest intelligi bicubitum, qui in concipiatur *quantitas*, & ita de similibus.

Ad quintum respondetur negatâ consequentiâ. Quamvis enim differentiæ vltimæ includant superiores, vt quamvis rationale, & hinnibile includant sensituum, non ideo conueniunt in sensituo, quatenus diffe-

rentia sunt, quia sensituum, quod sic includunt, sit proprium, & determinatur ita ad unam speciem, ut alteri non conueniat: species enim conueniunt in eo ut in genere, seu ut confusè cognito; non autem ut cognito determinatè, & explicitè, sicut sapientius dictum est. Vnde non datur processus infinitus in differentijs, ut patet. Quomodo autem eadem natura specifica possit ab alia simul differre, & cum eadem conuenire à parte rei per unam simplicem entitatem, fundamentaliter, & virtualiter multiplicem, fusè explicui lib. 2. q. 2. numero 35.

---

## SECTIO VI.

*Vtrum omnis differentia sit perfectior genere,  
quod diuidit.*

37. **P**O RPHYRIVS, ut vidimus supra, definiuit differentiam *id,*  
*quo species excedit genus.* Vnde hic querimus *vtrum excessus*  
*ille sit in perfectione substantiali;* ita ut omnis differentia sit per-  
fectior genere illo, quod diuidit, seu contrahit. Circa quod.

Opinio est Onnx, q. 1. de differentia, art. 5. & quorundam aliorum,  
concedentium hoc de differentijs illis, quæ eleuant genus ad altiorem  
naturæ gradum, ut est animatum, eleuans corpus mixtum ad gradum  
vitæ: & rationale, eleuans animal ad gradum intellectui: non vero  
de alijs.

Probatur autem hæc opinio primò, quia volitio libera in communi,  
quæ est genus ad bonam, & malam, est perfectior volitione mala in par-  
ticulari, ut constat, quia mali nulla est perfectio: ergo differentia, per  
quam ad malam determinatur, & contrahitur, non est perfectior suo  
genere.

Respondeo, antecedens esse verum de volitione mala formaliter, ut  
mala est in genere moris: at in genere Physico, & in esse rei, quatenus  
ab obiecto sumit speciem, habet differentiam aliquam realem, quæ per-  
fectior est genere suo.

Probatur secundò. Sapientia in communi sumpta, est perfectio simi-  
pliciter simplex, ut vocant, vnde conuenit formaliter Deo: ergo est nobis  
lior quam sapientia creata, quæ Deo conuenire non potest: & ita dif-  
ferentia creati, est ignobilior suo genere.

Respondent Thomistæ, sapientiam non esse genus, sed analogum ad  
creatam, & increatam: analogum autem maiorem dicere perfectionem,  
quam analogata minus præcipua. Sed quia ex Scotistis sapientia vniuoca

est, ideo dicunt ipsi sapientiam in communi esse quid potentiale, & contrahibile; nec magis, ut sic, determinari ad Deum, quam ad creaturam, & consequenter nouam acquirere perfectionem, dum suis differentijs coniungitur. Vnde sicut animal in communi conuenit formaliter homini, animalium perfectissimo; non autem animal hinnibile; & tamen animal hinnibile perfectius est, quam animal in communi: ita licet sapientia in communi conueniat Deo, non autem sapientia creata: tamen sapientia creata nobilior est sapientia in communi.

38. Probatur tertio. Si genus acquirat nouam perfectionem essentialem per quamlibet differentiam, habebit etiam in qualibet specie nouam, & distinctam operationem, à tali differentia prouenientem: hoc autem est falsum, quia multæ sunt animalium species, quæ potius multis carent operationibus, conuenientibus eis ratione generis, ut moueri in quibusdam conchilijs, rupibus maris affixis: videre in talpis: olfacere in quibusdam piscibus, &c. Vnde tantum abest ut addant perfectionem generi, quin potius auferunt, quia tollunt aliquid illius, & perfectionem eius coarctant, & limitant.

Respondeo, quasdam differentias eleuare genus ad altiorem naturæ gradum, ut animatum respectu mixti; rationale respectu animalis: & haec sunt radix nouæ, distinctæque operationis. Quasdam vero non eleuare illud ad altiorem naturam, sed intra terminos eiusdem naturæ, distinguere diuersos gradus, seu modos eiusdem operationis, propter quos perfectius, vel imperfectius ab speciesbus participetur. Et quamvis animalia quædam aliquibus careant operationibus sensitiuis, quæ animali in communi competunt: semper tamen animal, in communi spectatum, est imperfectius, quia est illimitatum, & indeterminatum: illimitatio autem in genere causæ materialis importat imperfectionem, quia prouenit ex priuatione actus, & formæ determinantis, ut patet in materia prima.

39. Secunda opinio communis est, omnem differentiam perfectiorem esse suo genere: & probatur primo ex Aristotele, 8. Metaph. cap. 3. textu 10. vbi ait species, & essentias rerum se habere ut numeros, quia sicut aliquo addito, vel ablato ab uno numero, idem numerus non remanet: ita non erit eadem essentia, vel species, si aliquid ei addatur, aut detrahatur. Vnde sicut numeri se inuicem excedunt per additionem nouæ unitatis: ita species per differentias suas se in perfectione superant. Ergo differentia qualibet perfectior est suo genere, alioquin species non essent aliae alijs perfectiores, quia non sunt perfectiores per genus, quod in omnibus idem est.

Confirmatur ex 3. Metaph. cap. 3. textu 11. vbi Aristoteles docet sub genere inter species dari prius, & posterius, hoc est perfectius, & imperfectius; melius, & deterius: non autem inter individua eiusdem speciei.

Respondeo, comparationem illam eò tantum tendere, ut ostendatur eandem definitionem, & essentiam non manere si ei aliquid addatur, aut

detrahatur: sed inde non benè infertur omnem differentiam esse genere nobiliorem, aut omnes species esse inæqualis perfectionis: quia potest una esse diuersa ab alia, etiam si non sit illa perfectior, aut imperfectior? Quomodo relatio inæqualitatis inter quantitatem bipalmarem, & palmarum; & relatio æqualitatis inter duas palmates, sunt relationes diuersæ speciei: & tamen nihil appetet perfectionis maioris in vna, quam in alia. Et si respondeatur relationem non dicere perfectionem: faltem necesse est concedere illas non esse inæquales, & tamen esse diuersas. Quod item patet in relationibus diuinis, paternitate, & filiatione, de quibus dixit Athanasius in symbolo, *in hac Trinitate nihil maius aut minus: sed tota tres persona sibi sunt coæquales*. Item non potest ostendi quis numerus sit perfectior alio: nec fortè quis color, nec quæ figura, nec quæ præsentia localis ad hoc vel illud spatium.

In alio verò loco loquitur Aristoteles indefinitè: esse nimirum ordinem inter species eiusdem generis, qui non reperitur inter individua eiusdem speciei: sed non esse necessariò inter omnes species, quamvis inter multas resperiatur.

40. Probatur secundò eadem sententia, quia omne genus habet rationem potentiae, & materiae respectu differentiarum; & ipsa differentia rationem actus, & formæ, ut constat tum ex utriusque definitione, superius tradita: tum ex Aristotele 8. Metaph. cap. 3. & 6. & lib. 7. cap. 10. & alibi. Omnis item forma, & omnis actus est perfectior potentia secundum communem Philosophorum sensum, si utrumque sit eiusdem generis. Ergo omnis differentia addit aliquam perfectionem generi, illoque nobilior est. Dico si utrumque sit eiusdem generis, quia, si actus esset accidens, & potentia esset substantia: tunc potentia in entitate esset quid nobilius actu: sed actus, ut sic, esset aliquid perfectius potentia, eo quod potentia sic appellatur, quia dicit habitudinem ad aliud, à quo perficitur, & completetur.

Respondeo negando minorem. Non est enim opus omnem actum, & formam, esse perfectiorem potentiam, cuius est actus, & forma, etiam si sint eiusdem generis. Nam habitus scientiæ &c. est forma, & actus potentiae intellectiæ: virtus item moralis, ut temperantia, iustitia &c. est actus potentiae voluntiæ: & tamen nec scientia perfectior est intellectu, nec virtus moralis voluntate. Vnde perficiunt illas potentias, non quia maiorem habent perfectionem, sed quia diuersam: sicut anima perficitur à voluntate, & intellectu, & quævis substantia à suis accidentibus, & tamen perfectior illis est.

Neque ratio actus in communii innuit aliquid perfectius potentiam materiali, & receptiæ, sed tantum innuit perfectionem completiæ potentiae, eiusque appetitui, & desiderio conformem, sine sit maior siue non. Et differentia individualis, siue distinguatur à natura specifica ex parte rei, siue non, habet rationem actus, & formæ determinantis; &

tamen communiter censetur, etiam ab aduersarijs , esse imperfectior ipsâ naturâ , quam contrahit , & determinat.

- Ex quibus constat utramque hanc sententiam suâ non carere probabilitate , & ideo problematicè posse defendi.



## Q V A E S T I O I V .

De proprio , & accidente communi.

### S E C T I O . I .

*Quid, & quotuplex sit proprium.*

I.  R O P R I V M in materia præsenti usurpatur à dialecticis pro eo quod non est commune , sed peculiare alicui rei ; & in hoc sensu quatuor proprij acceptiones adducit Porphyrius , quas mutatis terminis hauſit ex Aristotele I. Topic. c. 4. & lib. 5. c. 1. & alibi.

Prima est , quâ proprium dicitur illud , quod alicui speciei soli accedit , sed non omnibus individuis illius , vt esse medicum respectu hominis : soli enim speciei humanae competit : at non omnibus , & singulis hominibus : ideoque hoc intelligi debet , non de generali , & naturali capacitate , seu aptitudine acquirendi artem medicinæ , quia sic omnis homo medicus est ; sed de actu , aut habitu acquisito illius scientiæ : vel de peculiari habilitate , & inclinatione , quâ aliqui aptiores , & propensiores sunt ad vnam artem , quam ad aliam , vt interpretatur Sotus , & alij.

Secunda acceptio est pro eo quod accedit alicui speciei , & omnibus individuis eius , non tamen solis , vt homini esse bipedem : & hoc vocavit Aristoteles proprium ad aliud. Esse enim bipedem , non est absolute proprium homini , cum alijs animalibus conueniat , sed comparatione equi &c. & aliorum quadrupedum. Debet autem hic sumi pro aptitudine , quia non conuenit omni homini habere actu duos pedes.

2. Tertia acceptio est , quâ significat illud , quod vni soli speciei , & omnibus individuis eius conuenit ; sed non semper , siue pro quoquis tempore , vt discurrere conuenit omni , & soli homini , non pro quoquis tempore , sed quando rationis usum attigit. Affert exemplum Porphy-

rius de canitie. Canescere enim conuenit omni, & soli homini, non in quauis ætate, sed in senectute. Vnde vocatur ab Aristotele proprium aliquando. Debet autem hoc intelligi de nativa canitie, & à natura præstuta, quia ob vigilias, curas, morbos, &c. *Nascuntur & in iuuenibus viris cani*, inquit Pindarus in Olymp. Imò narrat Ctesias, in Indiæ montibus esse homines canos à primo ortu usque ad annum 30. & inde incipere nigrescere. Debet item intelligi de actuali canitie, vel de potestate canescendi proxima, & formalis, quæ includit dispositiones ad canescendum: quia, si intelligeretur de potestate remota, quæ est ipsa natura hominis, proit potest tales acquirere dispositiones, ex quibus oritur canities, tunc conueniret ei semper, & pro omni tempore.

Huic tamen exemplo obstare videtur Aristoteles, qui 3. de Histor. animal. cap. 11. ait alia animalia canescere: & 5. de generat. animal. c. 5. ait equum inter alia animalia maximè canescere. Et reuerà causa canitiei, quam Aristoteles afferit ibi c. 4. scilicet humor putrescens in radicibus pilorum, qui vi caloris naturalis non potest absumi, nec concoqui, potest & què reperi in alijs animalibus, ac in homine. Hoc idein afferit Plinius lib. 11. cap. 37.

Ad hoc aliqui dicunt illum colorem albantem, non esse propriè canitiem. Sed huic solutioni repugnat ratio desumpta à cauâ canitiei. Vnde alij dicunt non esse opus ut exemplum sit ex omni parte uerum: & ita Porphyrius attulit id quod vt plurimum contingit. 'Canities enim frequentior est, magisque nota in homine: ideoque Aristoteles lib. 5. de gener. animal. c. 1. & sect. 10. problem. q. 62. ait solum hominem manifestè canescere.'

3. Quartâ denique acceptione propium, quod communiter dicitur proprium quarto modo, illud est, quod vni soli speciei, omnibus individuis eius, & semper conuenit, hoc est, omni tempore, vel etiam necessariò; ut infra dicetur. Hoe modo esse risibilem, conuenit soli homini, & cuiilibet homini, & quoquis tempore. Licet enim non semper actu rideat: imò licet nunquam rideret, ut de Crasso, auo illius Crassi, qui apud Parthos occidit, narrat Plinius lib. 7. cap. 19. semper tamen est risibilis: id est, habet aptitudinem, & facultatem ridendi: sicut equus semper est hinnibilis, licet non semper actu hinniat. Et hoc vocavit Aristoteles proprium per se, & vi suâ: quod etiam vocatur aliquando ab ipso potentia, quia est formale, & proximum principium operationum: aliquando differentia, quia per illud deducimur in cognitionem differentiarum essentiales, & quia etiam per illud differimus ab alijs, quibus non conuenit: dicitur denique passio, quod idem est ac proprietas: vnde huiusmodi propria vocantur communiter passiones.

De hoc autem proprio quarto modo præcipue, hic quæstio nobis est, utpote huius quarti prædicabilis constitutio, ut constabit ex dicendis: & diuidi solet in proprium insunum, seu specificum, quod soli speciei

infimæ conuenit, vt est risibile respectu hominis; & in subalternum, seu genericum, quod conuenit speciei subalternæ, vt est sensibile respectu animalis: sumendo sensibile formaliter, pro principio primo sentiendi, quia sumptum radicaliter, est differentia essentialis, constitutiva animalis. His positis.

4. Dicendum est, proprium quarto modo sic rectè definiri, *proprium est, quod ab essentia rei necessariò, & adaequatè fluit.* Quia fluit ab essentia rei, ditinguitur à genere, differentia, & specie, quæ essentiam rei constituunt. Item ab accidente communi, quod non oritur ex principijs essentialibus, sed tantum ex materialibus, & accidentalibus, vt explicabimus. Particula *necessariò*, excludit quædam accidentia, quæ dimanant quidem ab essentia, sicut à prima radice, vt intelligere, videre, &c. non fluunt tanien necessariò, sed contingenter eliciuntur. Particula *adequatè*, excludit quædam accidentia, quæ fluunt ab essentia rerum, & tamen, vt multi volunt, non conuertuntur cum aliqua natura communi generica, aut specifica, & ita non sunt propria quarto modo, vt esse intellectuum, conuenit homini, & Angelo, & ab eorum essentia fluit: non autem conuenit alicui generi, utriusque communi. Item esse volatile, gressibile, &c. quæ conueniunt varijs animalium speciebus, nec cum aliquo genere reciprocantur.

Ad istud tamen rectè dici potest dari aliquem gradum essentialiem intellectui, communem Angelo, & homini, ex quo intellectuum formale, seu proprietas oriatur, & cum eo reciproccetur. Similiter dari gradus aliquos essentialies sub genere animalis, pro quibus esse gressibile, esse volatile, &c. sumuntur, sicut sumuntur pro proprietatibus; ideoque hæc esse propria quarto modo: idemque de similibus.

Particula autem, *fluit*, in definitione posita, debet latè sumi pro eo quod est necessariò essentiam comitari: tum quia certum non est an proprietates distinguuntur ex natura rei ab essentia: tum vt comprehendantur multa, quæ proprietates dicuntur, licet non fluant ab essentia, vt proprietates entis rationis, quædam item, negationes, vt non esse hinnibilem respectu hominis, &c. similiter particula *necessariò*, debet sumi pro necessitate simpliciter, quæ Logica dicitur: non vero pro Physica tantum.

5. Est autem necessitas Logica, quæ petitur ab essentia, & natura subiecti: quando nimirum accidens nullâ habità ratione causarum extrinsecarum, inseparabili emanatione fluit ab essentia, aut nexus indissolubili eam comitatur: vt se habet risibile respectu hominis. Physica verò necessitas dependet à causis extrinsecis, ex quarum concursu producuntur talia, val talia accidentia, eà ratione, vt sine illis subiecta produci non possint: sicut se habet albedo respectu cygni, niuis, calcis &c. nigredo in Æthiope, coruo, hébeno. Quia tamen huiusmodi accidentia pendent vel ex qualitate ciborum, vel ex situ regionis, & ex primarum complectione qualitatum, quæ pro ætate, tempore, & alijs circumstantijs variari

possunt: ideo necessitas illa non dicitur necessitas simpliciter, sed necessitas physica.

Quod itaque ad proprium quarto modo, requiratur necessitas simpliciter, tenet diuus Thomas i. p. q. 77. art. 6. & alij afferentes proprium emanare ab essentia rei. Probatur autem primò ex Porphyrio, qui cum Aristotele 10. Metaph. c. 9. ait accidentis proprium in hoc differre à communī, quod proprium conuenit primò speciei, & ratione speciei individuis: commune verò priùs individui, deinde speciei: ideo enim homo est albus, quia Petrus, vel aliud individuum habet albedinem: at econtra, ideo Petrus est risibilis, quia homo est risibilis. Quod autem primò conuenit speciei, est independens ab omni causa extrinseca, & ab ipsa existentia, ideoque ab eius essentia manat. Capite item 5. ponit inter accidentia communia, albedinem in cygno, & nigredinem in coruo, quæ tamen eis Physicā necessitate conueniunt. Igitur ad proprium requirit necessitatem Logicam.

Probatur secundò, quia existentia conuenit contingenter cuilibet rei creatæ: ergo ea, quæ conueniunt illi supposita existentiæ, conueniunt simpliciter contingenter: ergo ut sint accidentia propria, non debent dependere à causis extrinsecis, sed emanare ab essentia, & consequenter ei necessariò simpliciter esse connexa.

Ex quibus patet, optimè dixisse Porphyrium, *proprium esse quod omni soli, & semper conuenit*. Et Aristotelem i. Top. c. 4. quod non declarat quid res sit, *soli que conuenit, & de re vicissim dicitur*. Si enim nexus indissolubili essentiam consequitur, oportet ut sit ubique repetitur talis essentia, & ita conueniet omni habenti illam. Deinde ubi non erit talis essentia, nec etiam erit proprium, & ideo conueniet soli. Denique tandem aderit illud proprium, quandiu aderit essentia: essentia autem semper rei conuenit, quia est immutabilis: ergo & semper conueniet illi proprium.

### S E C T I O II.

#### *De proprio ut est quartum prædicabile.*

6. **D**IENDVM est primò proprium, ut est quartum prædicabile, seu uniuersale, rectè definiri hoc modo. *Proprium est, quod multis, specie, vel solo numero differentibus inesse natum est, ut quid fluens ab essentia: vel quod natum est prædicari de multis specie, vel solo numero differentibus, in quale reciprocè, & necessariò.* In quibus verbis indicatur duplex proprium, scilicet infimum,

&amp;

& subalternum: & per *necessariò*, intelligitur necessitas Logica, ut proprium differat ab accidente communi. Coetera patent ex dictis.

Ex hac definitione colligitur proprium non esse uniuersale in ordine ad speciem, cum qua reciprocatur, sed per ordinem ad inferiora talis speciei: quia, ut saepe dictum est in superioribus, uniuersale dicit ordinem ad multa, species autem, cui proprium conuenit, unica est. Nec obstat quod uniuersale sit quid commune, quod proprio videtur opponi: quia idem potest dici proprium respectu unius speciei, & commune comparatione inferiorum ipsius speciei. Neque etiam obstat, quod prius competit speciei, quam individuis, quia non omne uniuersale est uniuersale respectu eorum, de quibus immediatè dicitur, ut patet ex dictis q. precedenti, numero 21. & alibi.

7. Obijcies primò figura dicitur communiter proprium quartò modo respectu corporis quanti: & reuerā non potest naturaliter corpus esse sine figura, nec figura sine quantitate, & ita figura conuenit omni, solidi, & semper: at non conuenit necessariò: ergo hæc particula male ponitur in superiori definitione. Probatur minor, quia genus non potest necessariò convenire, quando omnes eius species conueniunt contingenter: quævis autem figura potest naturaliter mutari, & variari in omni corpore, ut constat.

Respondeo negando minorem: ad cuius probationem dico genus posse alicui rei necessariò competere, quamvis singulæ eius species contingenter illi competant: cuius ratio est, quia genus potest effectum suum æquè communicare per unam, ac per aliam: sicut materia prima, quia potest compleri per quilibet formam substantialem specificam, non respicit aliquam in particulari necessario, licet habeat ordinem necessarium ad formam substantialem in communi. Sicut etiam quilibet homo necessariò petit visibilitatem; non tamen hanc, vel illam numero, ex probabili sententia, de qua in Physicis.

Obijcies secundò. Quatuor primæ qualitates, ut calor, frigus, dicuntur communiter proprietates elementorum; & tamen non conueniunt solidi elementis, ut patet: immo non conueniunt illis semper: nam aqua bulliens non est frigida.

Respondeo, quatuor primas qualitates, quæ ex principijs essentialibus elementorum oriuntur, ut asserit D. Thomas, c. 7. de ente, & essentia, literā g. Caiet. ibidem, Ferrariensis 1. contra gent. c. II. & alijs, non competere alijs corporibus eo modo, quo elementis, scilicet in gradu summo, aut excellenti: sed tantum in remissio, & temperato: & si aliquando dicantur esse in summo, ut forte calor in ferro candenti, non sunt naturaliter debitæ. Quamvis item remittantur in elementis, ut frigus in aqua calida: semper tamen eis insunt quoad debitum, & conuenientiam, quo pacto naturam proprietatum obtinent, &c, ut sic, non suscipiunt magis, & minus. Nisi dicere malis cum Scoto, eas non esse

proprietates elementorum, etiam in summo gradu: sed tantum quatenus sumuntur pro realitatibus, formaliter distinctis ab essentia, ex quibus oriuntur qualitates, quæ vulgo primæ dicuntur. De quo lib. 2. Physicorum c. 4. in secunda parte sectionis 2. in responsionibus ad 2. aliqua tangimus.

8. Dicendum est secundò, solum proprium quarto modo constitutere quartum prædicabile; cetera verò ad quintum pertinere, aut reductiū tantum in quarto collocari debere. Ita Caiet, Lauellus, Sotus Compluentes, & alij hoc capite, contra multos, quorum alij volunt proprium, etiam in tribus primis acceptationibus simpliciter ad istud prædicabile pertinere: alij in secunda: alij denique etiam in tertia.

Probatur tamen priuò ex Aristotele, & Porphyrio, quorum iste hoc capite in fine ait proprium quarto modo, esse verè, seu maximè proprium, quia conuertitur cum ipsare, eique ita addictum est ut nulli alteri competat: hoc autem est esse absolute proprium, secundùm quod opponitur communi, vt hic debet sumi. Et cap. vltimo ait, in hoc distingui proprium à genere, differentia, & accidenti, quod de una sola specie, seu de yna aliqua natura communi dicatur, & cum ea reciprocetur. Quod satis ostendit ipsum loqui de proprio, prout constituit quartum prædicabile.

Aristoteles autem i. Topic. c. 4. idem sapientius asserit, & tandem in fine capitii ita concludit. *Ex quibus id quoque perspicuum est accidens ad quoddam tempus. & cum aliquo collatum, proprij nomen obtinere: cum tamen omnino, & simpliciter proprium non sit.* Vbi particulæ ad quoddam tempus, continent tertiam acceptiōnē proprij; particulæ vero, cum aliquo collatum, continent duas priores, vt esse bipedem, esse medicum, quæ non sunt propria absolute, sed comparatione alterius, siue speciei, siue individui, vt patet ex dicti; in prima seccióne. Vnde manifestum relinquitur, solum proprium quarto modo, ex mente Aristoteles constituere quartum prædicabile, distinctum à quinto.

Probatur secundo, quia proprium constituens quartum prædicabile, debet esse necessariò connexum cum natura, necessitate Logicâ, vt ostensum est numero 5. nam albedo coiuexa est cum cygno necessitate Physicâ, & tamen pertinet ad quintum prædicabile: at solum proprium quarto modo, sic te habet: quia ad tales necessitatēs requiritur, vt ex principijs essentialib[us] dimitaret: cetera autem propria oriuntur ex causis extrinsecis, aut ex principijs materialibus, & individualibus, non autem ab essentia, vt essentia est, alioquin vbi cunque adesset talis essentia, ad essent illa accidentia, & è contrario, quod falsum esse patet multis exemplis. Vnde, licet natura hominis exigat habere duos pedes, & ratione tempore statuto: haec tamen, vt sic, proueniunt à dispositione materiali, sicut & esso iuuenem, canum, grammaticum, &c.

9. Obiectis priuò, proprium in tribus primis acceptationibus respicit

- subiectum, vel sub ratione solius, vel ut conueniens omni non soli, vel omni, & soli, non semper: accidens vero commune respicit subiectum sub ratione tantum contingentis: ergo huiusmodi propria non possunt ad quintum praedicabile pertinere.

Respondeo, negando consequentiam, quia speciales huiusmodi rationes respiciendi subiectum, constituant proprium tantum secundum quid, & ideo pertinent simpliciter ad accidens commune: secundum quid autem, & reductiuē ad quartum praedicabile.

Obijcies secundō: proprium subalternum non conuenit soli speciei infimae; ergo vel est accidens respectu illius, vel ad rationem proprii non requiritur, ut conueniat soli: & ita proprium secundo modo ad quartum praedicabile spectabit.

Respondeo: dum dicitur proprium conuenire soli, intelligitur conuenire vni soli essentia communis, siue communis sit diuersis speciebus, siue foliis individuis: vnde si in proprio secundi modi non possit assignari talis conditio, quā pertinere possit ad proprium quarti modi, non pertinet quoque ad quartum praedicabile, nisi reductiuē.

Obijcies tertio: ad propriam rationem veræ passionis non requiritur ut omni tempore conueniat: ergo proprium tertio modo potest ad quartum praedicabile pertinere. Probatur antecedens, quia ad veram passionem sufficit ut oriatur ab essentia: huiusmodi autem conditio non tollitur ex eo quod non semper oriatur, ut patet in potentia visuā multorum animalium, quæ oritur tantum nono die, ut in canibus. Itcm aliquando totaliter perit, ut in senibus, & alijs, organo corrupto.

Respondeo, negando antecedens: ad eius probationem dico id, quod oritur ab essentia, semper ab ea oritur, quia semper habet in ea causam efficacem, atque inuariabilem sui ortus, alioquin non haberet necessariam cum ea connexionem. Huiusmodi autem causam non habet canities, & alia eius generis accidentia, quia in his contingit mutatio, ut in humoribus, in temperamento, &c. quapropter potentia visuā semper oritur in cane, licet defectu dispositionis in organo, non elicit aētum visionis: atque adeo corrupto organo non corruptitur ut volunt multi: vel, si corruptitur, ut alij contendunt, hoc est per accidens, defectu organi: & ita quoad conuenientiam potest verè de animali affirmari, licet negetur quoad existentiam.

Denique dici potest animæ potentias, præfertim organicas, non esse proprietates, sed pura accidentia, non secūs ac calorem in igne, & frigus in aqua: vim autem, & principium productuum illarum, esse proprium quarto modo, necessariò coniunctum cum anima, & gradum eius ab ea formaliter ex natura rei distinctum, ut vult. Scotus in 2. d. 16. q. vñca.

## SECTIO III.

*Quid sit accidens commune?*

io. **D**I V V S Thomas in q. de spiritualibus creaturis art. II. duas affert acceptiones accidentis. Prima est quā significat id omne, quod non est substantia; & vocari solet accidens Physicum, & prædicamentale, quia diuiditur in nouem prædicamenta, quantitatem, qualitatem, relationem, &c. licet quædam ex his sint substantiaz secundum malorum opinionem. Secundo sumitur pro eo omni, quod non est de essentia rei, & de primario eius conceptu, sed accidentaliter, & contingenter ei conuenit, siue sit in se substantia, siue accidentis, siue ens reale, siue ens rationis: & vocari solet accidens Logicum, siue prædicabile, distinctum ab accidente proprio, quod contingenter non inest, sed necessario. Huiusmodi est albedo, nigredo, calor in aqua, in manu, &c. similiter esse vestitum, esse aureum, ligneum, &c. quamvis enim vestis, aurum, lignum sint substantia; tamen esse aureum, ligneum, &c. est quid accidentale, & contingens respectu circuli, cathedræ, &c. quia possunt confici ex alia materia. Addi potest tertia acceptio, quā accidens sumitur pro eo, quod fortuitum est, & casu accedit, quomodo accidens esse dicitur, quod quis arando, thesaurum inuenierit.

Tres autem definitiones accidentis assignat Porphyrius, prima sic habet, *accidens est quod adest, & abest absque subiecti corruptione*. Secundam tradit his verbis, *accidens est quod eidem inesse, & non inesse potest*. Tertiam denique sic, *accidens est, quod neque genus est, neque differentia, neque species, neque proprium: semper autem est in subiecto*. Quia scilicet extra subiectum naturaliter existere non potest: & ideo vel non existit, vel est in alio, ex lib. 7. Metaph. c. I. & cap. I. categoriarum. Has autem duas postremas sumpsit ex Aristotele; ultimam quidem ex lib. I. Topic. c. 4. alteram verò ibidem, & lib. 4. c. I.

Vltimam non magni facit Aristoteles, quia traditur per negationem, & potius indicat quid res non sit, quam quid res sit. Huius generis tamen definitiones utiles esse possunt, quando res per quarum negationem traduntur, fuerunt iam antea explicatae: & præsertim cum aliquid positivum additur, ut sit in ista, dum accidens dicitur semper esse in subiecto: & etiam particula *quod*, indicat aliquid positivum, idemque est ac vniuersale, aut subiectum vniuersalitatis secundum varias sententias, de quibus in definitione generis actum est. Sed de ista nihil nobis amplius dicendum hic venit.

Quod attinet ad primam, & secundam, idem planè sensus est utrius-

que, nisi quid prima traditur per actum; altera per potentiam, seu aptitudinem ad essendum, vel non essendum in subiecto. Vnde malecūdam recentiores reiiciunt priuatum, quāsi a veritate alienam, cūm Aristotelica sit. Dum enim dicitur *accidens posse inesse, vel non inesse eidem*; particula *eidem*, ostendit subiectum idem, & incorruptum permanere, accidente addito, vel amissō. Huiusmodi porro definitiones non aliud habent sensum, quam quæ communiter à dialecticis assignantur; scilicet, *accidens est quod aptum est inesse multis, specie, vel numero differentibus, contingenter: vel quod predicatur de multis in quale accidentario, & contingenter.* Per quas ultimas particulas differt a ceteris praedicabilibus, vt tatis patet ex dictis. Vnde male carpitur Porphyrius ab Auicenna, quāsi nullam tradiderit definitionem accidentis, vt constituit quintum praedicabile.

Vtrum autem istæ particula *quod abest, & adest absque subiecti corruptione*, debeant intelligi de reali inherētia, & reali separatione accidentis à subiecto; vel de intentionalī tantum, seu de affirmatione, & negatione facta ab intellectu, controversia est, & utraque controversiæ pars mihi probabilis apparet, & sub problemate sustinenda. Quare sic.

## PRIMA PARS CONTROVERSIÆ.

**P**RIMA sententia est diuī Thomæ q. vñicā de spiritualibus creaturis, art. ultimo ad 7. & Opusc. 48. cap. 8. Scoti q. 35. vñiversaliū, Tatareti art. *sciendum est quarto*, Caietani, Sotii, complutensium, cap. de accidente, & multorum aliorum, definitionem accidentis intelligendam esse de prædicatione quæ fit ab intellectu, negante, vel affirmante accidentis de subiecto; non verò de reali inherētia, aut separatione eius à subiecto.

Probatur primò autoritate ipsius Porphyrii, qui vbi dūisit accidentis in separabile, & in inseparabile: separabile quidem, vt est calor ab aqua: inseparabile verò, vt est atror à coruō: videns contra definitionem datam obiecti posse, accidentis inseparabile non posse abesse à subiecto absque eius corruptione, tacite respondet obiectioni, dicens huiusmodi accidentis abesse posse per intellectum. *Potest enim, inquit, intelligi cornu albus, & Aethiops sine nigredine, absque subiecti corruptione.*

Respondeo, definitionem intelligendam esse de reali separatione, veluti sub conditione: ita vt sensus sit, accidentis eius naturæ est, vt quāuis inseparabile sit realiter à subiecto: positâ tamen reali eitis separatione non sequatur inde necessariò destrūctio subiecti quoad essentiam eius; licet quoad existentiam destruatur. Quod non contingit in separatione

proprij ut ostendemus infra. Ita ferè Boëtius hic. Pro signo autem, atque indicio huius conditionis, & naturæ accidentis dedit Porphyrius separationem intentionalem; quia nimirum potest mente concipi subiectum siue accidente; non autem sine proprio, ut inferius explicabitur.

12. Probatur secundo: quia ista prædicatio, *candelabrum est aureum: cathedra est lignea*, est prædicatio quinti prædicabilis, ut constat: at lignum, & aurum sunt substantiaz, quæ non possunt realiter inhærente cathedralæ, vel candelabro: igitur definitio non potest intelligi de reali inhærentia, vel separatione, sed de attributo affirmationis, vel negationis.

Confirmatur: quia prædicationes secundarum intentionum de primis, ut cum dicitur *animal est genus*, sunt accidentales, & quinti prædicabilis propriæ: & tamen illæ intentiones non inhærent realiter alicui subiecto, ut notum est.

Respondeo, huiusmodi prædicationes debere reduci ad quintum prædicabile; sed non esse propriæ prædicationes accidentis. Aliud enim est esse accidens, aliud esse quid accidentale: hæc sunt accidentalia, seu extranea subiecto, de quo dicuntur; non autem accidentia. Adde quod sub ea ratione, quæ accidentia dicuntur, insunt, & absunt realiter ab eo, de quo dicuntur, absque interitu essentiaz eius artificialis, ut patet in soluzione primi.

Idemque dicendum est ad confirmationem. Sicut enim ens rationis est tantum umbra entis, ita est tantum umbra veri accidentis.

Probatur tertio. Non potest nigredo separari realiter à coruo absque interitu corui: igitur quando accidens dicitur abesse à subiecto absque eius corruptione, non debet intelligi de separatione reali, sed de intentionali: alioquin Porphyrius statim post prædictam definitionem male diuisisset accidens in separabile, & in inseparabile: cum inseparabile non possit abesse à subiecto absque illius interitu.

Respondeo eodem modo, quo ad primum, scilicet positâ sub conditione, separatione nigredinis à coruo, non destrui corui essentiam, quia præsentia, vel absentia nigredinis non repugnat essentiaz corui, licet existentia corrumpatur.

13. Dicunt aliqui recentiores, omnes particulas definitionis non esse intelligendas de eodem accidente: sed istam *quod adest*, tam de separabili, quam inseparabili: istam vero, *quod abest*, de separabili tantum: sicut dum natura definitur *principium motus et quietis*. Particula *motus*, conuenit cœlis, non terræ: particula vero, *quietis*, conuenit terra, non cœlis. Et hoc est proprium definitionum quæ traduntur per membra contraria.

Potest etiam dici, quod sumendo subiectum in eomuni, & accidentis quoque in eomuni, & in sua specie, verum erit ipsum posse adesse, & abesse realiter absque iubieisti interitu: quia ad hoc, opus non est, ut separetur ab eo, cui inseparabiliter inest, sed sufficit ut possit abesse ab ali-

quo uno, cui separabiliter inest. Vnde quamvis atrox non possit realiter à corvo separari, absque eius interitu: potest tamen separari à pariete, à vultu, &c. ita Aphrodisius i. Topic. c. 4. Averroë q. 14. sect. 4. & alij. Eumque sensum iadicauit Aristoteles loco citato Topic. cùm dixit accidentis posse inesse, & non inesse cuius vni rei: hoc est, posse separari ab uno aliquo subiecto, quodcumque illud sit.

Et verò, cùm proprium inest omni, soli, & semper; accidentis erit, cui aliqua ex his conditionibus deficiet: & ita recte dicetur abesse absque subiecti corruptione. Nam si non inest omni, abest ab aliquibus, vt albedo ab Æthiope, grammatica à rustico: si non inest soli, illud, quod est in alia specie, abest ab ista, & præterea habet diuersa principia sui esse in diuersis speciebus: & ita si in una sit inseparabile, erit separabile in alia. Denique si non inest semper, abest pro aliquo tempore. Proprium autem nullo ex his modis abest à suo subiecto, cùm omni, soli, & semper inest.

## SECUNDA PARS CONTROVERSIÆ.

**S**E C V N D A M sententiam teget Ruinus cum alijs, quos citat, delicit prædicta definitionis verba debere intelligi de absentia, & præsentia reali accidentis in subiecto, quæ præter solutionem probabilem argumentorum alterius sententiaz, iam allatam, vltiem.

Probatur primo ex ipso Porphyrio, qui post definitionem traditam, statim diuidit accidentis in separabile, & in inseparabile, & loquitur de separabilitate, & inseparabilitate reali, vt omnes concedunt, quia alioquin nullum esset accidentis inseparabile, cùm nullum sit, quod mente separari non possit à subiecto: ergo pariter in definitione loquitur de absentia, & præsentia reali, alioquin valde æquiuocè loqueretur.

Respondeo, aliter intellegendam esse definitionem, aliter diuisionem; nec in hoc æquiuocationem esse, cùm expressè dixerit Porphyrius, respiciendo ad definitionem traditam, accidentis, etiam realiter inseparabile, tali definitione comprehendendi, quia mente abesse possit à subiecto.

Probatur secundò: quia alioquin definitio illa conueniret proprio quarto modo: cùm enim non sit de conceptu, & quidditate rei, cuius est proprium, vt constat, potest saltu mente præscindi, & intelligi absque subiecto, manente integrâ subiecti definitione, & quidditate: potest ergo abesse absque subiecti corruptione, quæ est definitio accidentis communis.

Respondeo, negando maiorem. Ad probationem concedo proprium posse concipi non concepta essentia, & essentiam non concepto proprio, abstractione præcisiuâ, vt vocant: non autem abstractione negatiuâ. Illa est, cùm unum simpliciter concipi potest non concepto alio: ista vero

dām vnum sine alio non solum intelligitur, sed etiam de eo, tanquam absens negatur: ut si dicas, *homo non est risibilis*. Non enim potest hoc modo negari proprium de subiecto, quin subiecti essentia destruatur, saltem consecutū, & secundariō. Nam quod risibile non est, homo non est. Et ratio huius rei patet ex dictis, quia, cūm proprium oriatur ab essentia nexū indissolubili, vt risibile ab homine, quatenus est animal rationale: si de eo negetur, quod sit principium risibilitatis, negabitur quod sit animal rationale.

15. Hic tamen non asseto, vt abstraham à distinctione formalī Scoti, risibilitatem actualem, quoad realē existentiam, non posse negari de subiecto, cūm proprium possit ex Thomistis diuinū ab ipso separari; & in illo priori naturā, quo subiectum antecedit passionem, subiectum ipsum sine actuali passione sit, saltem prioritatem à qua; sed loquor de risibilitate quoad conuenientiam; ita vt non possit intelligi essentia sine proprio, eo modo, quo proprium illi conuenit, scilicet per exigentiam, & debitum naturale. At verò potest intelligi subiectum absque accidente, illæsā subiecti naturā, eo modo, quo accidens illi conuenit, videlicet per habitudinem, & exigentiam contingētem.

Potest & alia deduci responsio ex ipso Porphyrio, scilicet quod potest intelligi subiectum sine proprio, æquè ac sine accidente: at non cum proprietate opposita; vt potest homo intelligi sine risibilitate, non verò cum hinnibilitate, tanquam ei debita. Si enim concipiatur hinnibilitas, vt homini debita, concipitur vt fluens ab essentia eius: & ita essentia hominis concipitur vt principium exigens hinnibilitatem: tale autem principium est formaliter essentia equi, & consequenter destruitur essentia hominis. At verò siue intelligatur cygnus non albus, siue niger, illæsa manet eius essentia. Et hoc indicauit Porphyrius dicens, *poteſt tamen mente concipi corvus albus, & Aethiops non niger sine subiecti corruptione.*

Probatur tertio eadem sententia. Si accidens, etiam inseparabile, posset affirmari, & negari indifferenter de subiecto, vt habet contraria sententia, sequeretur duas contradictiones esse simul veras. Nam cūm omnis cygnus sit albus, vera est ista propositio, *cygnus est albus*. Et cūm albedo possit negari de eo æquè ac affirmari, vera etiam erit ista, *cygnus non est albus*. Quod absurdum non sequitur, intelligendo definitionem de reali separatione, & coniunctione.

Respondeo, negando sequelam maioris: ad cuius probationem dico idem accidens non verè affirmari, & negari simul de eodem subiecto simpliciter, & absolutè: benè autem posse affirmari, & negari cum addito, vt hic fit. Dicitur enim accidens posse affirmari, & negari de subiecto, non simpliciter, sed absque eius corruptione. Siue enim dicatur corvus albus, siue niger, illæsa manet eius essentia. Vnde ista propositio, *cygnus est albus*, vera est; ista verò, *cygnus non est albus*, est falsa: sed tamen cum addito vera esse potest; si numerū dicatur, *cygnus non est albus*.

*albus necessariò , & secundum exigentiam principiorum essentia-  
lium.*

---

## S E C T I O I V .

*Soluuntur quædam difficultates contra definitio-  
nem accidentis.*

16. **C**ONTRA duplēm modūm intelligendi definitionem acci-  
dētis , iam explicatum , proponuntur instantiæ quædam , non  
paruae , vt videtur , difficultatis , quas propterea in hoc specia-  
li loco soluere oportet .

Primò itaque obijcitur , esse quædam accidentia quæ nec reipsā , nec  
per intellectum abesse possunt à subiecto , absque eius corruptione : ergo  
definitio accidentis , quous modo intelligatur , non est rectè tradita .  
Antecedens ostenditur in existentia , quæ est accidens essentiæ , saltem se-  
cundo modo , tradito numero 10 . & tamen non potest abesse à re existen-  
te , nec per intellectum quidem , quin res ipsa intelligatur corrumpi , siue  
perire .

Respondetur , sublatâ existentiâ , integrā semper manere essentiam .  
Siue enim homo existat , siue non existat , nihil lēditur eius definitio , &  
essentia , vt patet , quamvis ipsa actualis essentia pereat , quia conceptus  
essentialis hominis non consistit in esse actuali , sed in esse possibili , & in  
connexione necessaria animalis , & rationalis , vt explicatum est lib . 2 . q . 6 .  
sect . 1 .

Obijcitur secundò , esse item quædam accidentia , quæ nec re , nec ra-  
tione possunt messe subiecto , quin ipsum intereat , cuiusmodi est mors ,  
combustio , iugulatio : sunt enim actiones , sicut comburi , iugulari ,  
sunt passiones : & tamen subiecta sua destruunt .

Variæ sunt ad hoc argumentum responsiones , quæ satis egregiam  
doctrinam continent , ideo præcipuas saltem afferam , & quam veritatem  
habeant , examinabo .

Albertus magnus , & Caietanus hic dubio 2. alijque dicunt hæc non  
esse accidentia , sed destructiones subiectorum : accidentis enim debet fa-  
cere prædicatum subiecto conueniens , non verò repugnans .

Verum hæc responsio videtur esse petitio principij . Hic enim queritur  
quomodo sint accidentia , cum subiectum destruant . Deinde excluden-  
da essent plurima accidentia ab ista definitione , quæ sunt vera accidentia ,  
& ad istud prædicabile propriè pertinentia : scilicet omnia subiecto contra-

ria, vt calor aquæ, humiditas terræ &c. quod absurdum valde est, præfertim cùm nullum ferè sit accidens, conueniens alicui subiecto, quod alteri contrarium non sit, aut repugnans. Denique licet ista propositio, *homo est mortuus*, non sit vera, nisi per ampliationem, vt ait Caietanus, hoc modo, qui fuit homo, est mortuus: tamen istæ, *homo moritur. domus comburitur*, veræ sunt ab ille ampliatione. Vnde combustio est accidens, quo subiectum corrumpitur.

17. Louanienses cum Ammonio, per subiectum hic intelligunt materiam primam, quæ cùm sit incorruptibilis, quovis accidente posito salua manet.

Sed hæc solutio non omnibus placet, quia subiectum mortis debet idem esse, quod vitæ: subiectum autem vitæ est totum compositum, & ideo materia non dicitur mori, sed homo, nec comburi, sed domus. Adeo quod sublato proprio, materia non interit. Vnde hæc definitio conueniret proprio.

Sotus hoc capite, & alij quidam aiunt, *esse mortuum*, prædicationem esse quinti prædicabilis, sumpto homine per Synecdochem pro corpore. Nam idem corpus, quod antea viuebat per animam, modò per animæ absentiam mortuum est, idemque censetur ratione materiae, quantitatis, & aliorum accidentium, & ita homines communiter loquuntur: nam dicimus Christum iacuisse in sepulchro, & domum esse combustam, &c. quod si homo, domus, &c. sumantur pro toto composito, hæc accidentia non spectabunt ad quintum prædicabile, quia *esse hominem*, & *esse mortuum*, sunt de materia disparata, & termini incompossibilis: at verò omnia prædicabilia dicuntur de suis subiectis, aut in materia necessaria, vt priora quatuor; aut in contingentia, ad quod requiritur, inquit Sotus, vt subiecto propositionis eodem manente, seu sine ampliatione supponente, prædicatum possit affirmari, & negari de ipso; quomodo *esse mortuum*, non est accidens hominis.

Contra hanc solutionem instatur, quia, vt dictum est ad primam, istæ propositiones veræ sunt, *domus comburitur. homo moritur*, absque ampliatione: adeò vt *domus*, & *combustio* in fieri sint simul.

Quarta solutio est Pauli veneti, & aliorum dicentium, hic definiri accidentia, quæ denotant aliquam entitatem positivam: prædicta verò esse tantum priuationes formarum, & amotiones quædam entium. Sed & ista patitur eandem difficultatem, quia combustio est actio realis, & accidens positivum, ipsius subiecti destruictuum.

18. Quintò dicunt alij, vt Aegydius 1. post. textu 18. istas particulas, *sine subiecti corruptione*, non debere coniungi cum vtroque verbo, *adest*, & *abest*: sed solum cum verbo *abest*, sensumque hunc esse, accidens est, quod ita adest subiecto, vt abesse possit sine eius corruptione.

Verum hoc est tortuere definitionis verba: nec potest ostendi quare potius ista pars, *sine subiecti corruptione*, debeat coniungi verbo *adest*,

quām verbo *abest*. Adde quod accidens inseparabile, vt nigredo in coruo, non potest realiter abesse à coruo, quin ipse intereat.

Vnde sexto dicunt alij, conjunctionem & significare *vel*: itaut sensus sit, accidens est quod adest, vel abest absque interitu subiecti, sicut suprà insinuauimus de definitione naturæ, quā dicitur *principium motus & quietis*. Hoc est, motus, vel quietis. Sed nulla est ratio cur definitio sic explicata, non conueniat proprio, quod adest absque subiecti corruptione. Quare.

Septimò dici potest huiusmodi accidentia non afferre interitum per se, sed per accidens, nam combustio, seu ignitio est actio per se productiva formæ ignis, cuius aduentu corruptitur forma præcedens, & consequenter compositum: & ita corruptio non prouenit per se, & directè ab accidentibus, sed à forma substantiali, de nouo introducta.

Octauò denique, conformiter ad iam dicta, possumus idem afferere de morte, combustione, & similibus, quod de existentia: & miror autores plurimos, qui eum dicant existentiam esse accidens, quia eā corrupta, manet semper essentia, & definitio rei integra, non idem respondent de morte, & combustione, &c. Itaque accidens quocunque, adest, & abest absque subiecti corruptione quoad essentiam, quia non repugnat rei essentiæ, præsentia, aut absentia cuiusuis accidentis.

Neque verum est quod difficilis solutionis reputant Complutenses q. 1. in fine num. 6. mortem scilicet tollere ab homine prædicatum essentiale, nempe viuens, tollit enim quoad existentiam tantum, & absque ullo essentiæ detimento: quia siue viuat homo, siue mortuus sit, semper cadem manet illius definitio, & essentia, eique prædicatum *vivens* essentialiter conuenit, non secus ac rationale, intellectuum, &c. vide q. 6. libri 2. num. 6.

## S E C T I O V.

*De differentijs accidentis proprij, & communis.*

<sup>19.</sup> **N** VLLVM discrimen statuunt Louanienses cum alijs quibusdam, inter accidens commune, & proprium, nisi respectuum, seu per comparationem ad diuersa subiecta: itaut omne accidens sit propria passio respectu subiecti sui proprij, & adæquati, quamvis respectu partialis, & inadæquati dicatur accidens commune. Vnde color, qui respectu corui, cygni, parietis est accidens; respectu corporis mixti est proprium, cum ei conuertibiliter insit.

Ratio huius opinionis est, quia ista propositio, *mixtum est coloratum;*  
V u ij

potest probari per veram demonstrationem, & consequenter prædicatum, nempe color, debet necessariò, & ut propria passio conuenire subiecto. Adde authoritatem Aristotelis. *Metaph. c. 5.* vbi ait masculinum, & fœmininum esse proprias passiones animalis: & tamen oriuntur ex dispositione materia, & vario Animalis temperamento. Vnde sequitur quodlibet accidens habere rationem passionis, saltem habitu respectu ad temperamentum, ex quo resultat, cum sit effectus per se illius: & ita non esse necessarium ad rationem proprij, ut oriatur ab essentia.

Hæc tamen sententia communiter rejici solet: tum quia multa sunt accidentia, quæ respectu sui subiecti proprij, & adæquati sunt omnino contingentia, ut intellectio, & volitio respectu intellectus, & voluntatis, alioquin istæ propositiones, *homo intelligit, homo vult.* Possent demonstrari, quod est falsum. Tum etiam quia in isto syllogismo, *omne mixtum est coloratum, omnis homo est mixtum, ergo omnis homo est coloratus,* consequentia est contingens ex hac sententia, quia homo non est subiectum adæquatum coloris: & tamen duæ præmissæ sunt necessariae: maior quidem ut habet ista opinio: minor vero, quia mixtum est genus hominis. Absurdum autem est dicere ex antecedenti necessario, *icque* consequens contingens.

Denique licet ex tali complexione qualitatum, & ex tali dispositione materia semper orientur talia accidentia, & ideo possint Physicè demonstrari de tali materia, sic disposita. Quia tamen huiusmodi dispositio planè contingens est, à causis extrinsecis magnâ ex parte proueniens, & si habens per accidens respectu essentiæ rei, cui competit, ideo illa accidentia debent censeri communia, & non propria, nisi Physicè, & secundum quid, & respectu sui principij immediati, ratione cuius prædictantur de suo subiecto adæquato in quarto modo dicendi per se, ex his, quos assignat Aristoteles *I. post. c. 4.*

Neque aliud vult ipse Aristoteles loco citato *Metaph.* ut patet ex textu. Sic enim a *t. masculinum, & fœmininum, propria quidem Animalis passiones sunt, sed non secundum substantiam, verum in materia, & corpore.* Quali diceret non esse passiones simpliciter, & absolute, sed secundum quid, ratione materiae, & dispositionis materialis.

20. His præmissis, hæc inter proprium, & accidens commune discriminalicet assignare. Primum est, de quo supra loquuti sumus: scilicet proprium oriri ex principijs essentialibus, & formalibus rei: accidens vero ex materialibus, & individualibus. Principia formalia sunt, quæ competunt rei ratione differentiæ specificæ, & essentialis, quæ maximè petunt à forma: materialia vero sunt, quæ competunt rei ratione differentiæ individualis, & conditionum materialium. Quo sit ut accidentia communia conueniant propriè individuali, & ideo sape non conuenient omnibus, cum propria cuique sit differentia individualis, diversa ab altera, & coniuncta in quolibet cum diuersis circunstantijs, conditionibus, &

causis extrinsecis, unde diuersa oriuntur accidentia. Propria vero conuenient speciei, & ideo omnibus individuis, cum eandem speciem participent.

Et haec est expressa doctrina Aristotelis 10. Metaph. c. 9. vbi querens cur aliquæ differentiæ contrariae arguant diuersitatem specificam, ut volatile, & gressibile: non vero aliæ, vt album, & nigrum. Respondet hoc ideo esse, quia volatile, & gressibile sunt propriæ passiones animalis; non vero album, & nigrum. Quare autem illa passiones sint, non vero ista, rationem hanc reddit, quia priora illa sequuntur formam: ista vero materiam, modo explicato.

Secundum discrimen est, quod proprium conuenit primo speciei, & ratione speciei ipsis individuis: accidens vero primo individuis, & eorum interuentu, speciei. Vi de Aristoteles loco citato ait, *albus est homo, quia callias est albus. Igitur per accidens homo est albus.* At vero ideo callias est rufibilis, quia homo est rufibilis. Ratio est evidens, quia cum passio oriatur ab essentia speciei, vel generis, deo conuenit alicui particulari individuo, quia individuum habet essentiam illam. Quia vero accidens commune non sequitur essentiam communem, consequenter non conuenit alicui individuo, quia habet essentiam illam, alioquin conueniret omni habenti illam: ideoque non potest absolute praedicari de illa essentia, sed tantum ex eo quod conueniat alicui, talem essentiam participanti.

21. Tertium discrimen nascitur ex praecedenti, & simul oritur difficultas, vtrum accidens commune debeat existere actu, vt conueniat suo subiecto, & de illo possit praedicari: & consequenter an sit quintum praedicabile respectu subiectorum, in quibus non est actu.

Ad primam partem communiter respondetur, accidens Physicum, & reale, intrinsecum, & positivum, vt conueniat subiecto, exigere tum propriam, tum subiecti existentiam realem, & actualem. Ratio est, quia accidens commune non conuenit subiecto ex intrinseca proportione, & correspondentia cum natura, & essentia subiecti: sed dependet à causis extrinsecis, vt à complexione qualitatum, à situ regionis, à cœli influxi, &c. causæ autem illæ variabiles sunt, & ita accidens dependens ab illis, non potest subiecto conuenire absolutè, & simpliciter; sed merè contingenter. In praedicatione autem contingentí, verbum est, importat differentiam aliquam temporis, in qua significat praedicatum afficere subiectum. Cum ergo accidens non possit afficere subiectum secundum proportionem, & correspondentiam naturalem, vt diximus: necesse est vt illud afficiat secundum actualem informationem. Vnde istæ propositiones, *corvus est niger, cygnus est albus homo est grammaticus*, talia sunt nullo corvo, aut cygno, aut homine existente: aut etiam ijs existentibus, si accidentia illa non sint de tacto in illis. Quod non contingit in proprio: siue enim existat homo, siue non, vera est ista propositione, *homo est rufibilis*. Et ita de similibus.

Dictum autem est expressè *accidens reale intrinsecum*, quia esse cognitum esse amatum, & similia extrinseca possunt conuenire subiectis, non existentibus: itemque entia rationis. Dictum est etiam *reale posituum*, quia purè negatiua, vt *Aristoteles non ambulat*, non exigunt existentiam subiectorum: secùs priuatiua, quia priuatio supponit aptitudinem in subiecto ad formam negatam: quæ aptitudo non potest esse in subiecto non existente.

22. Ad secundam partem respondent negatiue Conimbricenses art. 3. affirmat tamen Auerſa q. 8. sect. 12. & q. 14. sect. 4. cum alijs quibusdam recentioribus. Et istud est probabilius, quia ad hoc ut natura aliqua sit vniuersalis, opus non est, vt actu sit in multis, sed ut possit esse in multis, vt constat ex dictis lib. 2. Accidens autem, quamvis in uno tantum sit subiecto, aptum est multis inesse: immo, quamvis non existat, aptitudinem habet, saltem negatiua, existendi in multis, ut ostensum est lib. 2. q. 4. à numero 11. vnde licet accidens non possit praedicari actu, seu praedicatione exercitâ de subiectis, in quibus non est actu, quomodo differt ab alijs vniuersalibus: tamen sicut habet aptitudinem, saltem remotam, ut in illis existat: ita habet aptitudinem ut de illis praedicetur, quod est esse praedicabile praedicatione signata.

Deinde, scientia est de vniuersalibus: ergo si accidens non sit vniuersale nisi existat in multis, non poterit haberis scientia de illo non existente, vel non existente in multis. Quid est absurdum.

Denique quando fit vniuersale per intellectum, quod ipsi Conimbricenses volunt, si res actu existit, fit abstractio ab actuali existentia: ergo talis existentia non requiritur per se ad yllum vniuersale.

23. Obiciunt primò. Aptitudo quinti praedicabilis ad effendum in suis inferioribus, est contingens, vt constat ex dictis: sed aptitudo, quâ album v. g. respicit corpora, quibus inesse potest, est illi essentialis, quia est respectus transcendentalis accidentis ad subiectum, qui magna est pars essentiæ illius ex Aristotele 7. Metaph. textu 2. ergo non constituit quintum praedicabile.

Respondeo, æquiuocationem esse in hoc argumento. Quamvis enim talis aptitudo, seu respectus supponatur essentialis accidenti: est tamen semper accidentalis subiecto, eique contingenter inest. Et in hoc sita est ratio quinti praedicabilis. Vnde quando dicitur accidens *aptum esse in multis contingenter*. Particula *contingenter*, afficit verbum *esse* non autem particulam *aptum*, vt per se patet. Deinde: si vniuersale fiat ab intellectu, aptitudo illa effendi, & praedicandi de multis, non erit essentialis accidenti, sed pendebit ab intellectu.

Obiciunt secundo. Albedo in communi, priusquam sit in aliquo subiecto, est abstracta: sed accidens in abstracto non potest habere relationem huius vniuersalis: ergo hoc modo sumpta, non est vniuersalis: & consequenter, vt vniuersalis sit, debet actu esse in subiecto. Minorem;

quæ probanda erat, supponunt ut certam, licet talis certitudo vix apparet, Quare.

Respondeo, negando minorem. Quando enim albedo intelligitur nata inesse multis subiectis contingenter, intelligitur constituere quintum vniuersale. Sicut quando intelligitur nata inesse multis particularibus individuis albedinis, constituit speciem, quia inest eis essentialiter, ut tota essentia communis.

Neque obstat quod non possit praedicari de subiectis in abstracto: quia neque proptium, ut risibilitas, potest sic praedicari de homine: & tamen dicitur simpliciter risibilitas esse proprium quarto modo, & quartum praedicabile constituere. Vnde accidens, sicut & proprium, est in subiecto in abstracto, quia album non est in subiecto, sed albedo: ut tamen de eo praedicetur, debet sumi, & explicari modo conuenienti, scilicet in concreto. Et ita argumentum est parui roboris, quamvis ipsi rem penitus demonstrata esse putent.

24. Quartum discrimen assignat Porphyrius in fine capituli ultimi his verbis, *propriorum quidem aequalis est participatio: accidentium vero vel magis, vel minus.* Tamen quedam sunt accidentia, quæ non suscipiunt magis, & minus, ut figuræ: & aliqua propria, quæ suscipere videntur, ut potentia iensitiva, & motua animalis: intellectiva in homine, & in Angelis.

Ad hoc respondetur quamplurima accidentia intendi, & remitti, seu secundum gradus augeri, & minui. Et hoc sufficere ut accidens absolute dicatur inæqualiter participari, licet aliqua aliter se habeant ex natura sibi propria, & speciali, non vero ex ratione accidentis communis.

Quoad proprium vero potest primo dici, ipsum non intendi aut remitti successiuè, sed si quam habeat inæqualitatem graduum, eos omnes simul in sua prima productione recipere, non vero paulatim, ut contingit in accidentibus.

Secundo potest dici proprium in ratione proprij non participari inæqualiter: quia cum ab essentia in omnibus æquali dimanet, non potest esse perfectius in uno, quam in alio: sed si perfectius est, hoc habet à causis extrinsecis; ideoque secundum illum excessum non est proprium, sed accidens: ut dum Petrus acutius videt, quam Paulus, vel perfectius intelligit. Et hoc idem est quod alij dicunt: scilicet proprium, quatenus forma quædam est absolute, & simpliciter, non suscipere magis, & minus, quia ut sic, est manans ab essentia, & necessario illi conueniens. Quatenus vero spectatur non ut forma absolute, sed ut forma tantæ, vel tantæ perfectionis ob coniunctionem aliarum causarum, & dispositionum, posse suscipere magis, & minus: & ut sic, non esse proprium, quia ut sic, non omnibus, nec semper competit. De huiusmodi autem susceptione magis & minus redibit sermo secundus de proprietatibus substantiarum, & in libris de generatione. Et haec sint satis de materia vniuersalium.

THE MARCH OF THE CLOUDS

BY JAMES R. DODD, JR.

ILLUSTRATED BY HENRY W. MCNAUL

WITH A HISTORY OF THE CLOUDS

BY JAMES R. DODD, JR.

ILLUSTRATED BY HENRY W. MCNAUL

WITH A HISTORY OF THE CLOUDS

BY JAMES R. DODD, JR.

ILLUSTRATED BY HENRY W. MCNAUL

WITH A HISTORY OF THE CLOUDS

BY JAMES R. DODD, JR.

ILLUSTRATED BY HENRY W. MCNAUL

WITH A HISTORY OF THE CLOUDS

BY JAMES R. DODD, JR.

ILLUSTRATED BY HENRY W. MCNAUL

WITH A HISTORY OF THE CLOUDS

BY JAMES R. DODD, JR.

ILLUSTRATED BY HENRY W. MCNAUL

WITH A HISTORY OF THE CLOUDS

BY JAMES R. DODD, JR.

ILLUSTRATED BY HENRY W. MCNAUL

WITH A HISTORY OF THE CLOUDS

BY JAMES R. DODD, JR.

ILLUSTRATED BY HENRY W. MCNAUL

WITH A HISTORY OF THE CLOUDS

BY JAMES R. DODD, JR.

ILLUSTRATED BY HENRY W. MCNAUL

WITH A HISTORY OF THE CLOUDS

BY JAMES R. DODD, JR.

ILLUSTRATED BY HENRY W. MCNAUL

WITH A HISTORY OF THE CLOUDS

BY JAMES R. DODD, JR.

ILLUSTRATED BY HENRY W. MCNAUL

WITH A HISTORY OF THE CLOUDS

BY JAMES R. DODD, JR.

ILLUSTRATED BY HENRY W. MCNAUL

WITH A HISTORY OF THE CLOUDS

BY JAMES R. DODD, JR.

ILLUSTRATED BY HENRY W. MCNAUL

WITH A HISTORY OF THE CLOUDS